6531

25
298

169

MEDICUS
OFFICIOSUS
WEINHART

FERD. CAROLI

WEINHART,

Phil. & Med. D. Sacr. Cæſ. Majeſt. Conſil. & Perſonæ Medici Med. Pract. & Aphor. in Acad. Oenip. Prof. Ord.

MEDICUS OFFICIOSUS,

Praxi Rationali Methodico-Aphoriſtica, cum ſelectis Remediorum Formulis, inſtructus.

NUNC AUTEM MAGIS LIMATUS, correctus, ac typo & ordine meliori, denuò in lucem editus.

CUM DUPLICI, CAPITUM ET RERUM INDICE.

Illuſtriſſimo ac Doctiſſimo Viro

ALEXANDRO CANCELLERIO

Philoſ. ac Medicinæ Doctori.

VENETIIS, MDCCXXXV.

Ex Typographia Hertziana.

Expenſis Joannis Jacobi Hertz.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Illuſtriſſime, ac Eruditiſſime Domine.

COgitanti mihi quam arcta ſint inter nos amantiſſimæ neceſſitudinis vincula vehemens ardor inceſſit, eam quoque publica aliqua ſignificatione teſtari. Opperiebar opportunitatem: quum venit commodum OFFICIOSUS hic MEDICUS officiosè per Germaniam exceptus: fœtus quippe fuit Clariſſimi Viri Ferd. Caroli VVeinhart Cæſarei Medici, officii ſui peritiſſimi. Aureum hoc opus quum typis noſtris cudere ſtatuiſſem, illico excogitavi, me non alii MEDICUM OFFICIOSUM dicare poſſe congruenter,

niſi OFFICIOSISSIMO ME-DICO ALEXANDRO CAN-CELLERIO. *Prælo igitur, dixi, committatur* MEDICUS OFFICIOSUS *ſub auſpiciis Eruditiſſimi Viri, qui primas partes tulit in officioſitate; quique* OFFICIOSUS *in me, ac Amantiſſimus ſemper ſingularis præſtitit amoris indicia. En igitur, Vir Eximie, offero Nomini tuo celeberrimo librum hunc non mole quidem magnum, at doctrina & praxeos ſcientia præſtantem. Officia is continet omnia probi, accuratique Medici in ſuo munere ritè obeundo, in curandis nempe omnibus humani corporis pathematibus. Tibi editur inſcriptus, qui officia & partes Medici eximii ab adoleſcentia uſque adhuc adeo explevisti, ut jam* ALEXANDER *alter in Arte Apollinea Magnus ætatem tui*

nomi-

nominis celebritate longe ſuperave-
ris. Qui a primis annis Gloriæ viam
ingreſſus, ac nihili faciens vel ge-
neris nobilitatem, vel augendæ rei
familiaris induſtriam, in ſcientia-
rum, eruditioniſque conſecutione
omnem operam, ſtudium omne col-
locandum eſſe putaſti. Hinc eſt quod
primum Græcæ literalis Linguæ
ſummam peritiam aſſecutus ad La-
tinæ quoque eruditionis apicem per-
veniſti, ac Sophiæ poſtmodum ingreſ-
ſus penetralia, in Recentioris Phy-
ſicæ, ſeu rerum naturalium perſcru-
tatione oculatiſſimus judex evaſiſti.
Quibus inſtructus præſidiis, haud
mirum cuiquam videri debet, ſi in
Medica Facultate tantum profece-
ris, ut carus, optatuſque Nobili-
bus, Civibuſque noſtris magna cum
laude Artem Medicam profitearis
in hac Italiæ Urbe Præcipua, ubi tot
Viri præſtantiſſimi faciunt Medici-

nam. At quo incautus provehor? Non meus eſt animus hic per tuas laudes excurrere; haud enim ignoro, quantum a tuis audiendis præconiis abhorreas, cæterum debui oſtendere omnibus, me jure quidem merito OFFICIOSUM *hunc* MEDICUM *tuo Nomini dedicaſſe; quando omnes id noverint, ac idem tibi pariter perſuaſum fuerit, Officii mei partes me expleviſſe ipſemet quoque putabo. Suſcipe igitur læta fronte, Vir Doctiſſime, hanc benevoli animi in Te mei qualemcunque ſignificationem, ut ſit manſuræ amicitiæ noſtræ perpetuum monumentum. Perge me diligere ut hactenus feciſti, & ad Neſtoris annos plurimum Vale.*

Obſequentiſſ. Amicus & Servus
Jo: Gabriel Hertz.

PRÆ-

PRÆFATIO.

OCtavus propemodum effluxit annus, quo publicam in lucem edidi Enchiridion Novum, continens Syſtema ſeu Nucleum univerſæ Medicinæ Practicæ, quod præter meritum apud Philiatros gratiam invenit, ut exemplaria ejus jam paſſim hinc inde diſtracta, adhuc avide a me expetantur. Cum verò in prædictis Theſibus nonnulli deſiderarent remediorum Formulas, quoad Doſin expreſſas (quod a me tunc omiſſum, ne Enchiridion in librum excreſceret, cum Artis Medicæ ſumma perfectio ſit, concinna & debita formularum compoſitio, ac plurimum difficile ſit, ſemper ex tempore Medicamentum gratum, ac debite compoſitum & aptum præſcribere præſertim Neo-practicis, & qui in Praxi Medica non diu & multum exercitati fuerunt, vel memoriam minus firmam ac felicem obtinuerunt) ideò, ut & his ſatisfaciam, ac cunctis me officioſum exhibeam, præſentibus his Theſibus ſelectas remediorum Formulas proponere volui,

non

non quidem dubias & incertas, ſed diuturna experientia & longo uſu veluti canonizatas, quas tum propria viginti ſeptem annorum, tum peritiſſimorum Claſſicorum & in arte Medica conſummatorum Authorum praxis ſuppeditavit. Inter vivos honoris ac filialis gratitudinis ergo nomino Colendiſſimum Dom. Parentem meum *Paulum*, olim Sereniſſimi Archiducis Ferdinandi Caroli &c. &c. Archiatrum, nunc Excelſorum Dicaſteriorum Phyſicum, quem Deus poſt 80. ætatis annum feliciter ac ſanè conſummatum, ulterius ſoſpitem & incolumem quam diutiſſime conſervet. Inter defunctos D. Patruum meum *Caſparum Vveinhart*, olim Sereniſſimi Archiducis Sigiſmundi Franciſci &c. &c. Perſonæ Medicum: hinc pariter & Excelſorum Dicaſteriorum Phyſicum, poſt 68. ætatis annum è vivis ereptum. Item Avum meum *Paulum* quoque nomine, olim Marchionis Burgavienſis, hinc Sereniſſimorum Principum Ferdinandi Caroli, Sigiſmundi Franciſci, Claræ Iſabellæ & Leopoldinæ Protomedicum, poſt 75. ætatis annum piiſſimè in D. defunctum. Tandem etiam Avum meum Maternæ lineæ, *Gerardum Schlairmacher*,

olim

olim Sereniſſimi Archiducis Leopoldi ac Claudiæ Aulæ Medicum, poſt 64. circiter ætatis annum è vita decedentem. Ne autem prædicta remedia Empyricè & promiſcuè in uſum trahantur, addidi Cautelas ac generalem & aphoriſticam Methodum, qua cuncta remediorum genera ex fonte chirurgico, pharmaceutico & diætetico derivata, decenter, & juxta normam artis, pro circumſtantiarum varietate ac morborum depulſione uſurpari poſſint. Non enim hic expectare oportet arcana & ſecreta (nomina apud Medicos rationales, quibus apertæ & candidæ Muſarum januæ, exoſa & incognita) ſed vulgaria, & in praxi trita, quæ tamen, ſi debite ac Methodice applicaveris, & morbum cognoveris, in quibus duobus verum Medicinæ arcanum continetur, abunde ſufficient, ad morbos quoſcunque depellendos. Præmiſi tandem in principio Generalia quædam ad Medici Officium ſpectantia, quæ paſſim in libris Medicis haud obvia, a me tamen tum per experientiam, tum per frequentem lectionem, in proprium uſum conſcripta & annotata, quæque ſingulariter virtutem, ſcientiam & prudentiam Medici, in quibus perfectio ar-

tis

tis conſiſtit, reſpiciunt, ut ad illam pro viribus aſpirarem, ac in ſtatu meo me perficerem. Cum autem ab eadem quam longiſſime me adhuc abeſſe, ingenue fateri neceſſe habeam, aliis interim conatum hunc meum communicare volui, ut ſaltem

---- fungar vice cotis, acutum,
Reddere quæ ferrum ſolet, excors ipſa ſecandi.

Cedat qualiſcunque hæc mea induſtria, ad DEI ſolius Gloriam, Medicæ Juventutis utilitatem, ac Proximi ægrotantis unicam ſalutem.

AP-

APPROBATIO MEDICA.

UT ſedulus virtutum ſectator, vitiorumque exſtirpator Medicus, in morborum debellatione pariter ac ſanitatis conſervatione, Officio ſuo ritè defungatur, hunc ſui Medici Officioſi titulo Tractatum accipiat ductorem comitemque fideliſſimum. Venerabitur certe ejus Autorem, Prænobilem & Magnificum Incl. Facultatis Medicæ Seniorem, utpote plurimis, quibus charo Eruditorum orbi innotuit, ſcriptis clariſſimum. Quæ uti multis jamdudum prælucent, ita præſentem Tractatum veris innixtum principiis, ſcientia firma, fidaque rerum experientia roboratum, judicio exin ſolido, accurata methodo, & grata concinnitate compoſitum, cenſeo digniſſimum, qui cunctis per impreſſionis lucem ſaluti cedat certiſſimum.

Theod. Frid. Statlender,
Med. D. & Prof. Ord. ac
Phyſ. Oenipont.

NOI

NOI REFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di reviſione, ed approbatione del P. Fr. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro Intitolato *Medicus Officioſus Praxi Rationali Methodico-Aphoriſtica, cum ſelectis Remediorum Formulis, inſtructus. Auctore Carolo Weinhart*, non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Secretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza che poſſi eſſer Stampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 19. Luglio 1734.

(Andrea Soranzo Procur. Reſſor.

(Zam-Piero Paſqualigo Reſſor.

(Lorenzo Tiepolo Cav. Procur. Reſſor.

Agoſtino Gadaldini Segr.

IN-

INDEX CAPITUM.

CAPUT PRIMUM.

DE Officio Medici in genere. pag. 1.
CAP. II. De Officio Medici in ſpecie, & primo quidem de Affectibus, requirentibus Venæ ſectionem. 53.
CAP. III. De Officio Medici, in Affectibus requirentibus Arteriotomiam, Cucurbitulas, Scarificationem, Hirudines, Veſicatoria & Fonticulos. 82.
CAP. IV. De Officio Medici, in Affectibus indicantibus Balnea & Acidulas. 102.
CAP. V. De Officio Medici, in Affectibus indicantibus Purgationem. 130.
CAP. VI. De Officio Medici, in Affectibus indicantibus Sudorifera, Diuretica, Salivantia, Errhina, Sternutatoria, Apophlegmatizantia & Expectorantia. 176.
CAP. VII. De Officio Medici, in Affectibus, exigentibus curam Lactis, Chalybis, uſum Theè, Coffeè, Chocolatæ, & Laudani opiati. 213.
CAP. VIII. De Officio Medici, in Affectibus exigentibus Alexipharmaca, Antifebrilia, Anthelmintica, Carminativa & Lithontriptica. 252
CAP. IX. De Officio Medici, in conſiderandis & præ-

& præſcribendis Appropriatis & Confortantibus : 288
CAP. X. De Officio Medici, in Affectibus exigentibus Adſtringentia, Stegnotica, Hypnotica, Anodyna & Vulneraria. 356
CAP. XI. De Officio Medici, in præſcribenda debita Diæta. 383

C A-

CAPUT I.

De Officio Medici in genere.

ARTICULUS I.

De Religione & Virtutibus Medici.

I.

CUm, teſte *Eccleſiaſt. cap.* 38. *a Deo omnis medela*, & Medicus quidem ægrum curet, ſed Deus ſanet: ſit etiam Medicina peculiare Paracleti donum, teſte Divo *Paulo ad Corinth. cap.* 12. *alii quidem per Spiritum datur ſermo Sapientiæ; alii autem ſermo Scientiæ ſecundum eundem Spiritum: alteri Fides in eodem Spiritu: alii gratia Sanitatum in eodem Spiritu &c.* Medicus in primis Divini Numinis cultor ſit, per veram & orthodoxam Religionem Catholicam.

I I.

UNica ejus cynoſura ſit gloria Dei, ac ſalus proximi; lemma & ſuprema lex ſit: *Deum colere, neminem lædere, ac omnibus velle prodeſſe*. Provinciam ſuam Medicus à Divina providentia, per legitimam vocationem humeris ſuis impoſitam, attenta ſollicitudine, ac ſollicita attentione adminiſtret, & Divinum ſpectando obſequium ſalutis ac perfectionis ſuæ centrum, in officii ac muneris ſui partibus, ad divinæ voluntatis amuſſim pura intentione peractis, collocet, cogitans, ſe redditurum aliquando deſuper ſeveriſſimam rationem, in magno totius Orbis conventu, ac ſabbato ſempiterno.

I I I.

VEneretur ac imitetur Medicus pro Viribus, SS. Cælites Medicos, & quidem menſe Januario, die XXXI. *S. Cyrum Alexandrinum*. Februario die XXV. *S. Cæſareum*, B. Gregorii Nazianzeni fratrem XXVIII. *S. Dionyſium Diaconum*. Martio die X. *S. Codratum Corinthium*. XV. *B. Joachimum Japponenſem*. Aprili die XIII. *S. Papilum Diaconum*. Majo die III. *S. Juvenalem*. VI. *S. Joannem Damaſcenum*. Junio II. *S. Alexandrum Martyrem*. XIX. *S. Urſicinum*. XXVI. *S. Samſonem Presbyterum*. Julio XV. *S. Antiochum*. XVII. *S. Pantaleonem*. Auguſto die XVI. *S. Diomedem*. XX. *SS. Leontium & Carpopherum*. XXII. *S. Philippum Benitium Florentinum*. XXV. *S. Genadium*. Septembri die XXVI. *SS. Coſmam & Damianum*. Octobri die XVIII. *S. Lucam Evangeliſtam*. XXX. *S. Zenobium*. Novembri die II. *Theodotum*. IX. *S. Oreſtem*. Decembri die VI. *S. Æmilianum &c.*

IV. Lo-

IV.

LOquendo de Virtutibus cardinalibus, ac in primis de *Temperantia*, Medicus ſit 1. *caſtus*, præſertim gynecæi, ſequioriſque ſexus curam gerens; hinc apud Lacedæmonios Æſculapii ſimulachrum ex agno caſto fuit. 2. Sit *ſobrius*, ut ad inviſendos ægros, eiſque opem ferendam, quacunque diei ac noctis hora promptus, paratus, ac ſui juris ſit. 3. *Taciturnus*, ne vel occulta artis myſteria, vel ſecretiora ægrorum mala, aut alia extra limen minimè evulganda, plenis buccis ubique effutiat; hinc Medicina *muta* dicitur, ac Ægyptii in *Iſidis* & *Serapidis* templis præſidum Deorum Medicinæ, apud ipſos *Harpocratem* ſilentii Deum, labia digito comprimentem adorarunt. 4. Sit *modeſtus*, ac moribus honeſtis elegans, cui pietas curæ, dilectio cordi, compaſſionis ſenſus carus, ac præcipuè *Manſuetudo* familiaris, ac humanus affectus ſuavis ſit. Hinc in Delo ſimulachro Apollinis Charites additæ ſunt, citharam, tibias & fiſtulam manibus tenentes; non tantùm ad Muſices & carminis inventionem denotandam, verùm etiam, quod deceat, Medicum eſſe humanum, gratioſum, & affabilem.

V.

LOquendo de *Fortitudine*, Medicus 1. Sit *fortis* ac intrepidus ad labores quoſcunque tolerando, utpote ægrotantium ſaluti totus mancipatus. 2. Sit *fortis* ad Momorum calumnias, ad artis oſorum & contemptorum ſcommata, ſarcaſmos, ac commentitias cavillationes, aliaque Medicum ferientia, ab infirmis, adſtantibus aut aliis ſubinde prolata, æquo animo ferenda: gnarus celare cordis æſtus, invitumque multa diſſimulare. 3. *Fortis* & cordatus in debellandis mor-

bis, ut non agat vel nimis tumidè, vel nimis timidè, ut nec temerè audeat, nec inconſultè timeat: ut ingruentes difficultates ac periculorum & impedimentorum Iliadem generosè vincat. 4. *Fortis* tandem, ut ſit communis Utilitatis amator, privatæ oblitus, Patientes vel ſæpiùs impatientes viſitando patiens, adverſus mollia durus, in arduis fidens, in gerendis magnanimus, in geſtis modeſtus, in adverſis conſtans, in ſecundis temperatus, ac in omnibus invictus.

V I.

LOquendo *de Juſtitia*, Medicus quoque æquitatis fidiſſimus ſit cuſtos, ſuum cuique tribuens, ſitque 1. Erga omnes comis, cunctis officioſus, nulli oneroſus, affinibus facilis, ſociis amabilis, reliquis urbanus, languentibus placidus, ad ſimiles familiaris. 2. Sit devotus ad Deum, benignus in proximum, liberalis in egenos, promptus ad concordiam, ſobrius ad mundum. 3. Sit Domini ſervus, proximi ſocius, ac mundi Dominus, ſuperiora habens ad gaudium, æqualia ad conſortium, inferiora ad ſervitium. 4. Laudet bonos, malos toleret, minori indulgeat, majori cedat, ſtudeat omnibus prodeſſe, nocere nulli.

V I I.

LOquendo tandem de *Prudentia Galen. l. 8. meth. med. cap. 9.* Medicum natura prudentem deſiderat. Cùm autem à peritiſſimis Sophiæ cultoribus duplex ſtatuatur prudentia, quarum una ad vitam juxta virtutum ac rationis normam legitimè inſtituendam: altera verò ad artis præcepta prudenter, ac debito modo, loci, temporis, ac perſonarum circumſtantiis, ſingulisque eventibus ritè accommodanda, habilem ac idoneum reddit, utraque planè in Medico Practico quàm maximè expetitur: prima, quia Virtutum cæte-

terarum dux, princeps, moderatrix ac architecta, & quia quaſi complexus omnis perfectionis, ac compendium omnis felicitatis: altera, quia hac duce & luce utendum in difficili planè Microcoſmi imperio, ne ceteroquin, per vias tot occaſionum variarum præcipitiis infeſtas, tot difficultatum ſentibus obductas, tot arduarum quæſtionum gurgitibus interciſas, tot millenarum circumſtantiarum labyrinthis implicatas, frequentiùs laborare, hærere, ceſpitare ac labi, neceſſe habeat Medicus. Unde haud immeritò apud Syros mos obtinuit, ut Apollo pingeretur barbatus, ad innuendam nempe prudentiam, quæ in Medico requiritur, ac ætatis decurſu in primis poſſidetur, in quem finem etiam veneranda antiquitas, ſimulachro Apollinis ſerpentem addidit, pro ſymbolo nimirum prudentiæ.

VIII.

PRæter Vitia, Virtutibus ſupradictis oppoſita, Medicus in primis vitare ſtudeat *invidiam*, cavendo, ne alterius ingenium, doctrinam, eruditionem, praxin uberiorem, feliciores inibi ſucceſſus, frequentius auditorium, favorem civium, ſuperiorum gratiam, fiduciam ægrorum, honores ac exiſtimationem canino dente rodat: de libris ad theſibus ſiniſtrè ac frivolè judicet, Collegæ ſui votum præ livore ſugillet, remedii formulam prudenter & ex lege artis præſcriptam, calumnioſè improbet: eum morbum non intellexiſſe, in cauſa hallucinatum, nec legitima uſum fuiſſe curandi methodo, ægris & adſtantibus clanculariè & nefandè inſtillet: ſicque famam ejus virulenta detractione laceret. Item, ne arcana ſua, earumque ſingularem chyrotechniam, invidioſè celet.

IX.

VItet inſuper *avaritiam*, cavendo, ne non tam Medeæ, id eſt, artis Medicæ gratia, quàm propter vellus aureum, vela faciat, ne Vulturis inſtar lucris ac raginæ inhiantis, ægros continuis ſuis petitionibus, exactionibus & pactis ab inſigni vel ſorditie, vel plurophilia profectis, fatiget ac exhauriat: ne lucri cupidine in extremam turpitudinem adactus, largiora præmia ac ſtipendia ſperans, morbos ægrotantium protrahat, vel morbum levem ita periculoſum exaggeret, extendat ac amplificet, ut ſub facie auxiliandi, praxin depilandi, loculoſque emungendi exerceat: ne experientiolas aliquas nullis forſan rationibus innixas, vel ſecreta opinativa & imaginaria empyrico ſupercilio ac hyperbolico præconio decantans, perquàm ſtudioſè velet, celet ac cuſtodiat, ut ægri etiam dato copioſo auro, ab eo talia remedia velut ex captivitate redimere neceſſe habeant: ne cum Pharmacopœis concors, partiatur lucrum, leviſſimo in morbo pretioſiſſima præſcribens medicamenta: ne tandem auri fulgore excæcatus, eò protervitatis, petulantiæ ac perverſitatis perveniat, ut venena propinet, abortum procuret, ſterilitatem inducat, falſimonium fide jurata probet, aliaque criſtiano Medico indigna & ſceleſta committat.

X.

TAndem deteſtetur Medicus *ſuperbiam*, cavendo, ne eò deveniat arrogantiæ, ut alios ſuos Collegas tanquam volitantes umbras ex alto deſpiciat, ac ſe ſolum ceterorum exemplum, artis Hippocraticæ canonem & archetypum, vana oſtentatione arbitretur, ne aliorum curationes vel conſultationes reprehendendo, gloriam, ac rixis & altercationibus unicam

cam ſibi laudem ac pompam comparare ſtudeat : ne remedia levis licet pretii, nec adeo difficilis compoſitionis, pro ſecretis, ſingulari ſtudio, diuturnis laboribus, vigiliis ac ſudoribus, maximiſque ſumptibus comparatis jactet, vendat, ſicque popularem plauſum ac fumum capret : ne flatulento ſuperbiæ halitu diſtentus, omnia celet, & non niſi arcana arcaniſſima crepet : ne plurimarum feliciſſimarum & inauditarum curationum à ſe factarum, proprius ac vanus ſit buccinator : ne tandem ſe uberioribus naturæ, animi, fortunæque muneribus præcellere, veram Palladis artem agere, neque cenſore, neque alterius ope indigere, falsò ſibi perſuadeat : ſicque nimium ſibi fidens, etiam in gravioribus periculis, alios ſibi adjungi non modo non poſtulet, verùm etiam oblatos repudiet.

ARTICULUS II.

De Scientiis ac Diſciplinis Medico neceſſariis.

I.

L*Ingua latina*, quæ fidiſſima ſcientiarum interpres, baſis ac radix, Medicus nec ſine magna turpitudine, nec ſine artis diſpendio carere poteſt, cui, ſi comitem addiderit *græcam*, ut ſaluberrimas doctrinæ Medicæ undas ex *Hippocr. Galeno*, *Aetio*, *Alexandrino*, *Ægineta*, *Oribaſio*, *Dioſcoride &c.* aliiſque velut ex originariis fontibus haurire, guſtare, ac vim vocis, dictionis nucleum, latentemque energiam meliùs percipere valeat, imitabitur ingenioſiſſimum illum virum, qui Romam & Græciam diſſidentes, manus tamen invicem jungentes pinxit, addito lemmate; *conſpirant amicè*.

II.

AD *Poeſin*, non quidem laſcivam illam turpium morum illicem, quæ venenum melle conditum lectitantibus nefandè inſtillat, ſed caſtam & eruditam, Medico ſubinde divertere licebit, horis præcipuè ſuccifivis, eamque non quidem ut civem, ſed peregrinam tractare, tum, ut animi laxandi cauſa, delectabile ejus viretum peragrando, moralium flores & fructus carpat: tum, ut apud ægros atque etiam in Regum, Principum, Magnatumque ſympoſiis, ac ſapientiorum quorumque congreſſu, quin & in diſerto ſacrorum, moralium, profanorumque & philoſophantium ſermone, ſententias ejus magna cum laude, ac præſigni & efficaci ad bonam frugem exhortatione, vel honeſta delectatione proferre poſſit: tum ut eloquentiam ſuam, quæ *Marco Tullio* teſte, abſque Poeſi ſicca & imperfecta eſt, uberrimis Poetarum fontibus irrigare, ſermonemque ſuum ſententiis verbiſque Poeticis, non quidem affatim & ad nauſeam, ſed condimenti loco tantùm appoſitis, ac in tempore prolatis, quaſi luminibus ac ſtellulis illuſtrare poſſit.

III.

E*Loquentia* eruditione munita, non tam decora & elegans eſt in Medico, quam etiam ſuo modo neceſſaria, tum in Cathedris ad artis decorem oſtentandum, ad opes ejus ampliſſimas in mediam lucem proferendas, & ſalutem ac ſanitatem ægrotantium promovendam: tum in conſultationibus publicis ineundis, ad mentis concepta ornatè proferenda, ad ſententiam ſuam argumentis acerrimis & exquiſitis rationibus ſtabiliendam, ac adverſarios, erronea ac falſa hypotheſi innixos, de ponte dejiciendos; tum ad ægros, Medicis haud in paucis contradicentes perſuadendos, ad

pœ-

pœnitentiam contumaces, propoſito dextra cum facundia prognoſtico de morbi periculo, ad eam diſponendos, ad ægros mæſtos conſolandos, timentes erigendos, diffidentes excitandos, iratos placandos, furenteſque coercendos.

IV.

Philoſophia Medicinæ ſoror germana & uterina eſt; facem ei præferens. Sine hac Medicina eſt potius cadaver quoddam exſangue, quam corpus vivens, eſt ramus divulſus ab arbore, hinc Medicina rationalis dicitur, à ratione nempe & dialectica, ac Medici Phyſici ob Philoſophiam denominantur, cùm Medicinæ principia ſint intimiora Philoſophiæ arcana, eaque aliud non ſit, quàm particularis quædam Philoſophia, ac ſpecialis & experimentalis Phyſica, cauſas & affectiones corporum naturalium in ſpecie exponens, eaſque ratione & experientia examinans. Sine Philoſophia enervis eſt omnis doctrina Medica, omnis diſquiſitio à veritate recedit, oriuntur monſtroſa opinionum portenta, novitatum quiſquiliæ & paleæ, ac ſententiæ vigilantium ſomniis haud abſimiles; deſcriptiones ſunt mutilæ, & detruncatæ, aut omnino nullæ, axiomata vix probabilia, propoſitiones obſcuræ, probationes difficiles vel erroneæ, ordo confuſus, ac methodus curativa innumeris penè errorum laqueis irretita. Cùm enim curatio fundetur vel in *indicatione*, quæ aliud non eſt, quam ſyllogiſmus ſeu unius ex altero per rationem illatio, vel in *experientia* aut *analogiſmo*, quorum primum ſuppeditat modum argumentandi ab inductione, alterum ab exemplo, clarè eluceſcit, quòd ille meliùs noverit curare, qui meliùs noverit Philoſophari, hinc neceſſariò oportet eſſe, ut Medicus ſit vel Philoſophus vel ſtultus, cùm tertium, ſi detur, craſſi bubulci vel aſini genus ſit.

V.

ASTrologiam etiam Medico convenire, nullus eſt, qui ambigit, niſi cui auriculas ignorantia, & pertinacia commodavit cornua, nemo enim inficiari poteſt, jucundum illud & fæcundum cæli cum inferioribus conjugium ac commercium, vireſque ac influxus luminarium in Vegetabilia, Mineralia, immò & ipſum Hominem, quod teſtantur melancholici, maniaci, epileptici, aliique circa conſtellationes graviores luminarium, & lunæ in primis, quæ non immeritò aſtrorum omnium ſpeculum & infundibulum appellatur, pejus habentes. Videmus etiam paulò pleniùs radiante Diana, humidiorum morborum ſævitiem exaſperari, ac in pejus ruere paralyſes, apoplexias, lethargos, hydropes & ſexcenta alia ſymptomata. Idem teſtantur epimenia, ad eaſdem lunæ phaſes recurrentia, dies critici, vulnera luminaribus conjunctis vel oppoſitis inflicta, difficiliùs tardiuſque coaleſcentia, pericula ex V. S. in violentis aſpectibus celebrata, dyſenteriæ, febres malignæ, peſtilentiales, aliaque mala epidemica, quorum ex aſtris origine, non maximus tantum *Hippocrates*, ſed & complures alii tradidere: immò etiam ex aſtrorum ſecuturis aſpectibus præviſos prodiderunt.

VI.

BOtanices & Anatomiæ maxime peritus ſit Medicus: illius non tam ad decorem, ut remediorum ſuorum actualem habeat notitiam, quam ad neceſſitatem, pro viſitandis Pharmacopoliis: hujus, cum ſit oculus Medicinæ, in cimmeriis difficultatum prælucens tenebris, ſit lumen, quo homo in homine quæritur & invenitur: ſit feneſtra illa, quam Momus in humano corpore deſiderabat, ut abditi morborum cau-

cauſarum, partiumque affectarum receſſus pateſierent: ſit prima ac firmiſſima baſis, ſuper quam erigitur medendi methodus. Medicus enim ſine Anatomia eſt cæcutiens, qui viam baculo examinans, huc atque illuc miſerabiliter ceſpitat.

VII.

CHymia Medico non minùs neceſſaria: non quidem illa, quæ pro lepide omnia dilapidat, & ut aurum coquat, omnia decoquit; ſed illa, quæ utpote fidiſſima rationalis Medicinæ miniſtra & ſocia, tum ad utilitatem, tum ad ſplendorem ac amplitudinem Reipublicæ Medicæ multùm confert; parando ac ſuppeditando lectiſſima omnis generis medicamenta, ſapore etiam, doſis exiguitate, ac vi energetica commendatiſſima, quibus immanes morborum hydræ potentiſſimè expugnantur, quorum contumacia Galenicorum auxiliorum vim haud raro ſatis ſuperbe eludit; hinc plures cum *Matthiol.* in epiſtola quadam audent dicere: neminem Medicum abſolutum eſſe, immò ne mediocrem quidem, qui in hac nobiliſſima ſcientia non ſit exercitatus.

VIII.

MEdico honorificum eſt, ſi partem Medicinæ *Chirurgicam* ita mente calleat, ut urgente neceſſitate etiam Miniſtrum & operatorem agere queat. Sicuti enim boni Imperatoris eſt, militis gregarii partes ſuſtinere, ſi neceſſitas inſtet: ita dedecori non erit Medico, ſi pro re nata, pro rei gravitate ac data occaſione, miniſtrum agat, cùm ſubmiſſio hæc & humilitas pro ſalute ægri, in neceſſitatis anguſtiis conſtituti ſuſcepta, exiſtimationis jacturam minimè inferat. Si verò adſint Miniſtri, & artis peritia & manus dexteritate inſignes, præſidem agat Medicus, atque inter eos ſplen-

ſplendeat, ut Dux inter milites, operationes eorum dirigendo, tratendo præcepta, reſcindendo errores, ac cavendo, ne ſolennis hæc Medicinæ pars abeat in carnificinam.

IX.

MEdicum *Pharmacopœum* agere, ac parare clyſmata, facere potiones & quævis magmata, vel etiam cataplaſmata, unguenta aliaque leviſſima ægris porrigere, philargiriam, lucrumque ſapit, ac Medici famæ maculam haud levem inurit; cum ſublimius atque excellentius Medicorum munus ſit, quam ut ad manuales has operationes, vileſque mercaturas ſeſe demittat, præſertim ſi adſint artis Pharmaceuticæ periti, qui pharmaca decenter ac rite paraverint ac diſpenſaverint. Interim unum vel alterum ſibi peculiare ac reſervatum remedium, cujus uſum & enchireſin ille ſolus novit, diſpenſare haud indecens erit; præſertim ſi non lucrum, ſed honorem, artis laudem & amicorum gratiam aucupari, eorumque ſanitati proſpicere intendat.

X.

FAllaciſſima eſt *Praxis*, quæ valida non eſt *Theoriæ* baſi munita, nam ſolida priùs, exquiſita & firmiſſima principia jacienda, antequam ad Practicæ perfectionis culmen aſſurgatur, craſſis ſemper ignorantiæ tenebris ſepultus jacebit Theoreticorum face deſtitutus, exercitandus priùs Medicinæ Tyro in Theoriæ Palæſtra, antequam Athleta Medicus in Praxeos deſcendat arenam; nec audeat ægritudinis monſtrum aggredi ac devorare, niſi priùs dente meditationis ſeu ſtudio Theoriæ detriverit principia, ac mentis in ore volverit generalia Medicinæ dogmata: Utilius eſt priùs cum mortuis, hinc cum vivis tempus terere, præſertim

tim etiam, cùm ſingula ferè præcepta & recondita, quæ in praxi obſervantur; affluentius in Practicæ Medicinæ libris ac ſcriptis eluceſcant; quare animus priùs Theoria probè imbuendus, inveſtiganda humani corporis elementa, principia, humores, temperamenta, aliæque ejus proprietates, & affectiones, perpendenda inſignis affectuum varietas, numeruſque penè infinitus; conſiderandus ægritudinum mos, motus, magnitudo atque eventus: ruminandæ cauſæ ſæpiùs abditæ ac perveſtigatu difficillimæ, utendum ſignis diagnoſticis, ac generali medendi methodo; quæ omnia non ſicco pede & per tranſennam peragenda, ſed pluribus annis ſolida & eximia horum acquirenda eruditio. Nam teſte *Hippoc. Vita brevis, ars longa.*

X I.

THeoria probè inſtructus Medicus noverit, non ſatis eſſe confuſam animo tenere medendi effigiem, & generales de arte medica contemplationes & notiones habuiſſe, ſed ad tecmarſin & particularia deſcendendum eſſe, cum non homini, ſed Calliæ vel Socrati Medicina fieri debeat: noverit etiam Praxin à Theoria diſtare, quantum æra lupinis: in Practica occurrere ſæpiùs aliquid, quod nec dici, nec ſcribi poteſt; omnes etiam penè morbos curari in cathedra & libris: non omnes verò in lectis, in quibus ægri ſæpiùs moriuntur; Experientiam igitur, quæ eſt anima & mater Medicinæ, judex etiam & lapis lydius, ad cujus obruſſam pleraque examinanda, ſibi comparet Medicus, ægrotantium lectulos, indefeſſa diligentia frequentando, juvantia & lædentia exactè conſiderando, cum Medicis practicis & præcipuè ſenioribus converſando & conſultando, pharmacopolia adeundo, libroſque practicos ac præcipuè eorum obſervationes perluſtrando.

AR-

ARTICULUS III.

De Officio Medici, in Ægris aſſumendis & viſitandis.

I.

NOn decet Medicum, haud rogatum ſua offerre officia, nam teſte *Hippoc.* promptitudo & facilitas medendi effuſò oblata, ab ægris contemnitur; atque turpe eſt, imperium & poteſtatem in corpus, ab ipſis ægris emendicare. Accedit contemptui non tam minor confidentia, quæ tamen haud modica eſt bonæ curationis circumſtantia, quàm ſuſpicio haud exigua, vel quæſiti lucri, vel jactantiæ & nimiæ ambitionis. Præſtat igitur in ſuæ dignitatis cultum, in debitam ſui artiſque medicæ venerationem atque decorem, propria virtute meritiſque inclareſcere Medicum, & vocatum aſſiſtere ægrotanti, quàm ſe ipſum obtrudere, ac mulierculas, pharmacopæos, chirurgos, conſanguineos, amicos, alioſque ægrorum aſſiſtentes, ad id conductos habere, ut operam alicujus veluti buccinis undique deprædicent, ac patientes per fas & nefas procurent.

I I.

SIcuti *Rudolphus* Primus Imperator aſſeruit: melius eſſe benè imperare, quam Imperium ampliare; ita melius eſt pauciores infirmos ſuo Regimini commiſſos, magna cum animi applicatione, diligentia, ſtudio, artiſque præceptis regere, quàm plurimis uno eodemque tempore non poſſe ſatisfacere: cum enim, docente *Celſo*, optimus ac maximè idoneus ſit artifex, qui non diu ab ægro receſſerit, & qui ad omnes circum-

cumſtantias ſedulo attenderit, eaſque ritè percontatus fuerit; impoſſibile erit, tot ægris decenter invigilare poſſe, & ferè non obvium accommodare medicamentum, ſine ulla percontatione, cognitione cauſæ, & cum diſcrimine.

III.

ÆGros deploratos & conclamatos, ſolo prognoſtico relinquendos, eorumque curam minimè ſuſcipiendam eſſe, *Hippoc.* jubet l. *de art.* dum ait: *Medicinæ eſt vehementes morborum impetus retundere, & eorum, qui morbis victi ſunt, curationem non aggredi*, ne teſte *Galen.* fidiſſimo Hippocratis interprete, infamentur apud vulgus remedia, quæ multis fuere ſaluti; quod tamen intelligendum eſſe judico de illis tantum morbis deſperatis & conclamatis, qui per ſe & revera tales ſunt, nulla arte aut ope curabiles, vel ipſa natura immedicabiles, ut v. g. cæcitas & ſurditas congenita, hectica maraſmodes, ſphacelus, phthiſis conſummata &c. non de his, qui plerumque ſaltem interimunt, & ex quibus aliquos ægros convaluiſſe obſervatum eſt, horum enim curatio generoſo animo tentanda, præmiſſo tamen in ſpe difficili prudenti præſagio, vel prædicto mortis periculo: cum melius ſit anceps experiri remedium, quam nullum, ac *Celſo* teſte, temeritas ſubinde reſtituit, quos ratio non ſanat. Nam ſicuti in bello ſæpè longe violentiùs ex neceſſitate, quam virtute pugnatur; ita ſatius eſt aliquid cum periculo facere, quam ſpe adempta certo perire, præſertim cùm etiam monſtra in arte ſubinde contingant, & monente *Philone*, auxilium divinum maximè plerumque adſit, cùm deficit humanum.

IV. In

I V.

IN Medicam poteſtatem haud recipiendos eſſe, qui confeſſionem Sacramentalem renuunt, jubet ſupremum Eccleſiæ caput *Innocent. III. in concil. Lateranenſ. tit.* 37. *c.*15. quod juſſum repetit *Pius V.* in ſua bulla 8. Mart. 1566. in lucem edita; *cum Medici*, inquit, *ad infirmos in lecto jacentes vocati ſunt, ipſos ante omnia moneant, ut confeſſori omnia peccata ſua juxta ritum S. R. E. confiteantur, nec tertio die ulterius eos viſitent, niſi longius tempus confeſſor ob aliam cauſam infirmo conceſſerit*. Quod eò intelligendum, ut Medicus teneatur ægrotantem periculi, vel per ſe vel per alium, prout neceſſe videbitur, admonere, eumque ad exomologeſin ſacrumque Viaticum ſuſcipiendum adhortari, minis etiam erga recuſantem, quod deſerere eum velit, adhibitis. Eum autem nihilominus renuentem, omnino non inviſere, ſeu ex toto deſerere, non ſuadent *Sanchez. Villalob. Barboſ. Sylveſt. Dian.* aliique ab eodem citati, cùm Medicus divinæ Pietatis æmulus, tentatis omnibus, quæ ipſi præcepta ſunt; & quantum ex ſe eſt, pietatis opus ulterius proſequi, adhibitiſque præſidiis, ut forſan æger adhuc reſipiſcat, vitam prolongare poſſit, præſertim etiam, ſi metuendum, ægrum à Medico ex toto derelictum, magis obſtinatum fore, & obſequia, quæ jam fortè parabat, omnino negaturum eſſe.

V.

MEdicum paulò gravius periclitantem ſeipſum curare, minùs tutum eſt, ob judicium in re propria, denſa Philautiæ ac affectuum inordinatorum nube magis obtenebratum: infirmis etiam frequentius ſenſualitati magis, quam rationi obedientibus; hinc præſtat, vel alios ſimul in conſilium adhibere, qui

citra

citra animi perturbationem de morbo judicent, & abſque pavore remedia ſuggerant, vel ſi Medicus ægrotans adeo ſit debilis, ut mens etiam langueat, iis omnem medendi provinciam concredere.

VI.

MEdicum non teneri, cum extremo vitæ periculo, peſte correptis ſuccurrere, niſi pacto ſe obligaverit, vel ſalario ad id conductus fuerit, in confeſſo eſt. Hoſtes & inimicos ſuos in curam medicam aſſumendos eſſe nonnulli dubitant, ne, ſi quid humanitùs accideret, eoſque mori contingeret, ſuſpicionem incurreret. Verùm ſicuti Medicina etiam inimicis opem non denegat, ſed odium benevolentia, damnum beneficentia, ac peſſima quæque humanitate vincendo, medelam adhibere non recuſat: ita majori hoc in paſſu utendum cautela, ut etiam ſi fieri poſſit, alter adſit Medicus, vel alius doctus Vir, rationes curationis intelligens, receptis quoque in pharmacopolio ſedulò aſſervatis, utpote incorruptis candoris & ſedulitatis teſtibus.

VII.

NOnnulli Medicis inobedientes, guloſos, qui Medicum & Medicinam infamant: ut etiam Ingratos, qui jam olim vitæ diſcrimine erepti, deteſtanda ingratitudine beneficentiam Medici contempſerunt, eumque denuò ad opem ferendam impudenter accerſunt, opera Medica haud dignos cenſent; verum intemperantes ac inobedientes, qui vivunt, prout volunt, debent curari prout poſſunt: neutiquam vero omnino derelinquendi, quod enim, teſte *Galen.* intemperantiæ dediti, nullis poſſunt juvari præſidiis, potiùs de cura prophylactica quam actuali morborum curationem intelligendum; præſertim etiam,

cùm aliis remediis & nova temperantia, quam infir-
mitate oppreſſi ſępiùs ſectantur, juvari poſſint. Ingra-
tos quoque haud omnino negligere oportet, ne avari-
tię aut crudelitatis accuſent Medicum, cujus ſupremi
debet eſſe cura, ut nihil committat, quod vel Chri-
ſtianę charitatis jura frangere, vel nobilem & prę-
claram facultatem, turpi pecunię exactione fędare
poſſit.

VIII.

CUm ſalus ęgri ſuprema Medico lex ſit, eaque
non minimùm dependeat à legitima Medici viſi-
tatione, quę eſt veluti anima felicis curationis, hinc
plurimùm intereſt, ut à Medico decenter inſtituatur;
multùm enim pręſtat ad morbi cognitionem: plus ad
ejus curationem: plurimùm ad errorum plurimorum,
qui ab ęgris & aſſidentibus in abſentia Medici com-
mittuntur, evitationem. Sic etiam quod vox vivi
Pręceptoris: quod pręſens Magiſtri auctoritas apud
diſcipulos, hoc Medici pręſentia apud ęgros; ac tan-
tum hoc ęvo valet remedium, quantum de Medico
ſperat ęger, quantumque in eo eſt opinionis & au-
thoritatis; hinc promptum ſemper habens juvandi
animum, rogatus omnibus domi ſit oportet, neque
triſtem à ſe quemque patiatur abire, laturus omnibus
viſitando auxilium, vel quantum in ſe eſt, non de-
negaturus.

IX.

MEdicus ęgrotum accedat opportune; ſemperque
illorum, qui periculoſius decumbunt, prius: re-
liquorum verò poſteriùs curam gerat. Matutinum in
primis tempus eligat viſitationi aptiſſimum, ſępius et-
iam veſpertinum huic labori impendat, interdum bis
de die, ſi morbus pręſertim acutus urgeat: ſubinde
ter

ter vel quater, ſi morbus acutiſſimus, & præſertim rogatus; in levioribus & chronicis quotidiè ſemel vel alternis diebus, immo quandoque poſt 3. 4. vel plures dies demum, prout opus eſſe videbitur, ita tamen, ut ſemper quid ad reditum uſque ſuum faciendum ſit, reliquerit. Optime faciet, ſi acceſſum moderatus fuerit juxta morbi conditionem, ægrotantiſque affectionem. Sunt enim ægrorum aliqui, qui crebro ſe inviſi maximoperè lætantur, & Medici non aliter quàm Angeli cujuſdam aut Numinis cælitus delapſi adventum expectant; alii e contrà à ſæpius inviſentibus afficiuntur moleſtia, Medicumque quærendi lucri, ſe ipſos verò deteſtandæ arguunt avaritiæ.

X.

AD ægrum placide ingreſſus, lætabundus eum ſalutet Medicus, ac monente *Hippoc.* meminerit auctoritatis & ſeſſionis, anima enim teſte *Philoſopho* 7. *Phyſ.* 2. ſedendo ſapientior fit, & prudentior, ac Intellectio aſſimilatur quieti & ſtatui magis, quam motui; unde olim quoque ſedere tenebantur conſultantes & judicantes. Sedeat ex adverſo vultus ægrotantis, ut ex eodem velut ex ſpeculo mala tum Præſentia tum futura intueri valeat, & quidem paulò remotius, præſertim in ægritudine maligna, vel quod tutiùs ex latere, ne miaſmate venenato, cum halitu ab ægrotantis corpore emiſſo, inficiatur & ipſe Medicus; quo in caſu etiam ad ingreſſum ſuffitum parari, feneſtras aliquatenus aperiri ad ſpatium aliquod jubebit, ſeque tum odoramentis, tum in ore detenta Myrrha, vel maſticata rad. Zedoar. Angel. Cort. cit. rotul. aut morſell. aliiſque alexipharmacis, & breviori præcipuè viſitatione, ab imminente contagio immunem reddet,

XI.

SEdens, pacate ac modeſte hilari facie ad ægrum converſa, gravitateque comitati & humanitati conjuncta, cognita, viſuque neceſſaria inſpiciat, ea quoque, de quibus fas & opus eſt, interroget, ægrumque vel adſtantes morbi Hiſtoriam referentes patienter, ac attente audiat, ſermocinetur de rebus Medico non naturalibus dictis, de cibo & potu, eorumque vario præparandi & adminiſtrandi modo & uſu, de ægro ad confidentiam & obedientiam diſponendo, de remediis debito tempore & modo exhibendis, de aliis etiam rebus indifferentibus ac opportunis, juxta ægrotantium conditionem, capacitatem & genium, quibus Medicus Prothei inſtar ſe conformet, omneſque lucretur, modo à civilitatis ac modeſtæ gravitatis limitibus non ſecedat.

XII.

AB initio Viſitationis, præſertim de morbi eſſentia, cauſis vel exitu oraculorum more dubius reſpondeat, neque ordinatorum ſemper rationem reddat præcipuè coram vulgò & ignaris, aut ægris quibuſdam hæſitantibus & omnia ſecura metuentibus, ne majorem hæſitandi occaſionem nanciſcantur: bene tamen coram peritis & ſcientificis agendorum, morbique cauſæ ſæpius manifeſtandæ, ut præceptis medicis magis obtemperent, & non reſpondeant, quod Ariſtoteles Medico ſuo multa vetanti, & non pauca circa morbi cauſam edicenti, ſcitè reſpondiſſe fertur: *ne me cures, ut bubulcum vel foſſorem, ſed priùs cauſam ediſſere, atque ita præceptis tuis me facilé morigerum reddideris.*

XIII.

ÆGris non nimiùm familiaris ſit Medicus, ne ipſum, ejuſque remedia parvi pendant, & contemnant, nec miniſtros ſibi faciat ſocios, niſi debitam in ſe venerationem poſthabeant: non tamen inimicos ſed benevolos potiùs, eorumque acta collaudando ac celebrando, ſibi devinctos reddat. Procuret etiam, quantum ex ſe eſt, ut ægrotis adſtantes & aſſidentes munere ſuo ritè fungantur, ut ſint infirmis grati, gnari morum & conſuetudinis & naturæ ægrorum, ſint mundi, gratioſi, urbani, ſeduli, fideles, patientes, dociles, ac Medico obtemperantes; cavendo etiam, ne ægris vel iram concitent, vel triſtitiam ex intempeſtivis nunciis, vel aliam offenſam cauſentur.

XIV.

VIſitando, Medicus diutiùs ægris, quàm par eſt, non adſtet, vel ſaltem rarò & quidem non niſi familiaribus: mulieres etiam non niſi cum aliorum adſtantium præſentia, & brevi intervallo viſitet, illiſque quaſi tranſeunter acceſſionem quodammodo fugitivam exhibeat: neque tamen etiam, niſi coactus nimiùm properet, in omnes circumſtantias diligenter inquirens, & in primis, quomodo tulerint medicamenta, attentè notans, cùm ex juvantibus & lædentibus tutiſſima ſumantur morborum remedia, hinc maximè hallucinantur, qui ſtatim ac ægros intuitui ſunt, pulſumque tetigerunt, rigoroſo, ut decet, morbi, cauſarumque examine neglecto, inconſultò ſtatim medicamenta dictant, & Andabatarum more agenda præcipitant.

XV.

MEdicus ægrotos viſitans, honeſtè & decorè veſtitus ſit, ſicuti enim ſumptuoſus valdè veſtitus arrogantiam ſapit, ac lividi dentis ſcommata vix evitat, ut taliter veſtiti vel luxu perdita, levia, otioſa ac prodiga audiant ingenia, vel incurrant ſuſpicionem ampulloſi circulatoris & agyrtæ; ita ſordidus aut nimium vilis veſtitus, vel quæſtum exilem, vel egeſtatem, vel avaritiam denotat. Videat igitur, ut veſtitus gravis ſit, honeſtè elegans, mundus, non lacerus aut labe vel ſpurcitie inquinatus, ut omnia ad optimam exiſtimationem, prudentiam ac animi moderationem ſint compoſita. Ad cultum & munditiem corporis quoque ſpectat, ut Medicus manus quàm maxime puriſſimas habeat, faciemque mundam, & pilos in barba & capite decenter compoſitos, cavendo quoque, ne tetro odore ex quacunque parte corporis emiſſo, vel ex ſorditie oriundo, ægrotantibus moleſtiam, vel econtra etiam odoribus moſchatis vel ambratis, fæminis hyſtericos excitet paroxyſmos,

XVI.

TAndem Medicus viſitans, artem Medicam adverſus ejus oſores & contemptores acriter tueatur, eam malè tractantes ſemel biſve tacitè correptos, & non emendatos palam arguat: ægros inobedientes blandè primùm, hinc ſeverè corripiat, vel omnino deſerere comminetur, præſertim verò apud potentiores ſciat, vi virtutis patientiæ & manſuetudinis, Medico quàm maximè neceſſariæ, multa connivere, ferre, diſſimulare, ac calumnias, aliaque innocenter, ac injuſtè ſæpius illata, vitæ ſinceritate, & oppoſitis actionibus, aut amicorum, vel proborum aut eruditorum potentumve laude abolere,

ARTICULUS IV.

De Officio Medici in dignoſcendis Morbis eorumque Cauſis.

I.

QUò quis Medicus accuratior eſt in morbi cognitione, eò felicior in ejuſdem curatione, aſſerente enim *Hippoc. de art. ſi ſuffecerit Medicus ad cognoſcendum, ſufficiet etiam ad curandum*, ut adeo non mirum, complures tantùm in medicinę operibus aberrare, quantum in cognitione morbi falluntur, Cum igitur prima baſis curandorum morborum ſit recta eorundem cognitio, atque debitum unius ab alio diſcrimen, Medicum planè percontatorem eſſe oportet, qui neceſſariis interrogationibus non parcere, ſed artificioſa inquiſitione morbi eſſentiam ejuſque cauſam inveſtigare debet, antequam curationis methodum aggrediatur.

II.

HAud malè agunt illi Medici, qui in curatione morborum, moram aliquam admittunt, ac prima die toti ſunt in examinando ad amuſſim ęgro, circa cauſas occaſionales, omneſque morbi antecedentes ac præſentes circumſtantias, quo tempore nihil remediorum imperant, ne per illorum uſum ordinariæ morbi periodus ſignorumque conſtantia perturbetur, aut morbos aliena facie ſiſtunt, vel ſaltem generale aliquod & innoxium præſcribunt Medicamentum. Secunda die, diligentiùs conſideratis rebus ante dictis, morbi ſpeciem tandem decernunt, & exinde remedia opportuna præſcribere incipiunt; latent enim ſæpiùs in puteo Democriti profundiſſimè ſepulta prima mor-

borum ſtamina, denſaque caligine circumfuſa deliteſcunt, ut non niſi magno, ſummaque induſtria erui poſſint.

III.

ANteſignanus noſter *Hippoc. l. de affect. tit. 36.* quinque interrogata Medico, cum ad ægrotum devenerit, proponenda injungit, inquirendo: 1. *Quid doleat? 2. Ex qua cauſa? 3. Quot diebus? 4. An alvus ſecedat? 5. Quo victu utatur?* plurimi quæſtionum harum limites paulo anguſtiores agnoſcunt, hinc etiam celeri cogitatione, linceaque mentis acie percurrere, examinare & perpendere jubent, ægrotantis *temperamentum*, *ætatem*, *ſexum*, & quoad hunc, ſciſcitando, an mulier *gravida*, & quot *menſibus* utero gerat? an *menſes* in virginibus vel non gravida, vel *lochia* in puerperis ritè fluant? item quale anni tempus, aeris conſtitutio, loci ac regionis mutatio, conſuetudo in victu, exercitia, idioſyncraſiæ, ac ſingulares, occultæque nonnullorum proprietates. Item quærendo: an & quibus hactenus uſus fuerit remediis? qualis eorum fuerit effectus? an prioribus jam annis tali morbo laboraverit, vel Parentes ſimili morbo detenti fuerint? an conſuetam aliquam evacuationem neglexerit? &c.

IV.

PRædictis ſimilibus quæſtionibus pro re nata propoſitis, obſervatis ſimul ægri moribus, diſcurſu, facie, oculis, ac lingua, præſertim in morbis acutis, pulſum tanget Medicus, ex eoque virium vel robur aut debilitatem, vel effervеſcentiam febrilem, aut naturalem æconomiæ corporis diſpoſitionem dignoſcet; ita tamen, ut, ſicut in civilibus non uni teſti, ita neque in foro Medico huic ſigno, tanquam fallaci ſubinde

& in-

& incerto, præſertim in affectibus capitis, ut apoplexia, lethargo, febribus etiam malignis, facilique ex cauſa mutabili, & in variis individuis vario, non fidat.

V.

IDem dicendum de Urina, quæ poſt pulſum cognitum inſpicienda, quoad ſubſtantiam, colorem & contenta ſcite examinanda, in morbis præſertim, qui Uroſcopiæ ſubjacent, ac quorum cauſa in genere venoſo, epate, liene, renibus, ureteribus vel veſica deliteſcit. Hinc exſibilandi ſordidi illi Uromantes & Lotio-Phyſici, qui, neſcio quod vaticinium, omni ratione carens, levi popello vendunt, & quidem non ut Apollo ex tripode, ſed ex matulis oracula edunt, ac turpem lucri odorem venantur. Noverit autem Medicus, urinam æquè ac pulſum, ut ſignum coindicans tantum conſiderandum eſſe; ita, ut cætera quoque ſigna diagnoſtica ex aliis fontibus deſumpta, ad partes vocari debeant, ut ex omnibus ſimul certi quid decerni poſſit, cùm ſola Protei inſtar mutabilior ſit, tum pro diverſa individuorum varietate, ſanguiniſque ac ſpirituum craſi, tum pro diverſo vitæ genere, pro vigiliarum vel ſomni, repletionis vel inediæ, motus vel quietis, regionis, anni temporis, aſſumptorum, aliarumque circumſtantiarum varia conditione.

VI.

SIcut autem Urinæ, ita etiam prò varietate affectuum, excretorum alvi, ſputi ac ſudoris habenda ratio; præterea quoque tam in morbis chronicis, quàm acutis, *Hippoc.* in cognoſcendo hypochondriorum ſtatu, num eadem mollia, æqualia & ſine dolore, Medicum quotidie diligentiſſimum eſſe jubet, cùm ibi non tam potiſſima facultatis naturalis ſit ſedes, quàm etiam veluti Palæſtra quædam, in qua omnes propemo-

modum naturę, morbique fiant conflictus, ut adeo non tantùm multùm inſerviant pro morborum diagnoſi, verùm etiam non leve futuri prę̨ſagii evadant argumentum.

VII.

CUm ex dictis facilè eluceſcat, quanta ſolertia, ingenii perſpicacitate, & vigilantia egeat Medicus, ad ęgritudinis ideam, ſpeciem, cauſamque detegendam, ut adeo veteres haud fruſtra Palladis ac Æſculapii ſimulacro, draconem veluti vigilantię ſymbolum, & quem acutiſſima pervigilique oculorum acie prędituum eſſe tradunt, apponerent, fontes ſignorum partis affectę morbi cauſarumque quàm diligentiſſimè trutinandi & delibandi, quales ſunt. 1. Eſſentialiter inhęrentia, quo ſpectant partis temperies, magnitudo, figura, morbus ipſe ſenſibus obvius. 2. Cognitio cauſarum procatarcticarum & diſpoſitivarum, vel hęreditariarum. 3. Actiones lęſę, & quidem vel naturales, vel vitales, vel animales. 4. Excreta, eorumque ſubſtantia, qualitas, quantitas, ſapor, modus ac ordo excretionis. 5. Qualitates mutatę *quoad* calorem, frigus, colorem, ſaporem, ſonum. 6. Examen juvantium & lędentium. 7. Mutatio unius morbi in alium.

VIII.

QUòd ſi verò, ut ſubinde etiam, omni adhibita diligentia, & ab initio inprimis contingit, planè obſcura fuerit morbi ſpecies, ut penitus cognoſci & peſpici nequeat, pręſertim ſi quis vocetur ad curationem morborum vel complicatorum, vel obſcurè procedentium, vel ſimilitudinem cum aliis morbis habentium, ut Medicum confundant, ac anxium & dubium reddant, ad magna ſaltem remedia non acceden-

dendum, ſed inviolabile illud præceptum *Hipp. 6. epid. ſect. 2. text.* 50. obſervandum : *ſi non potes prodeſſe, vide ſaltem ne noceas*. Hinc vel urgenti ſymptomat proſpiciendum, vel debilia aut communia tentanda præſidia, ex quorum adminiſtratione nullum ægroto immineat periculum, vel res tota naturæ committenda, confortantibus interim inſiſtendo, tenuemque victum imperando, uſque dum natura vel vincat, vel morbum detegat; cavendo tamen, ne æger aut adſtantes propoſitum tuum agnoſcant, ac te ex incerta conjectura remedia tentare, eaque cum alienæ vitæ diſcrimine experiri, malè & perperam accuſent.

ARTICULUS V.

De Officio Medici, in Prognoſticando.

I.

Vix ulla Medicinæ pars eſt, quæ excellentiam artis, & Medici præſtantiam adeo oſtendat, quam ea, quæ eventus præſagiendi rationem tenet. Hæc enim maximam medenti conciliat authoritatem, cùm Numinis inſtar.

1. *Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox futura ſequantur*, prænoſcat. 2. Futuris docet tempeſtivè occurrere, cùm oculati Argi inſtar veluti ex ſpecula futuras affectiones, imminentiaque graviſſimorum ſymptomatum pericula prævideat & præcaveat. 3. Apud ægros & adſtantes parit admirationem : hinc admiratio fiduciam, fiducia obedientiam, ac obedientia ſanitatem. 4. Medicum infamia, calumniis, ac crimine internecionis liberat. Cùm enim omnes ſanari non poſſint, ac plurimi, vel ob ægritudinis contumaciam, vel ægri inobedientiam, vel ejuſdem debi-

debilitatem, vel adſtantium errores, vel rerum neceſſariarum defectum, vel fati neceſſitatem; vitali luce priventur: Medicus prudenti præſagio ab omni mortis culpa ſe reddet immunem. Officium enim ejus eſt, morbos ſanabiles ſanare, & inſanabiles prædicere, ne, ſi fortè ars victa malo fuerit, vel ignoraſſe, vel fefelliſſe videatur.

I I.

SIcuti etiam ſcientia Prognoſtica nobiliſſima ac utiliſſima, ita pariter quoque obſcuriſſima & difficillima, ut plures vel peritiſſimi Medici, ſubinde in præſagiendo cæcutiant, & vacillent. Difficillima eſt, 1. Ob ſubitam criſium mutationem, quæ prædictionem multoties interturbat. 2. Ob velociſſimum urgentis morbificæ cauſæ impetum, nunc ad penitiora partis alicujus principis penetralia, nunc ab iis ad ignobiliorem corporis partem, ut vel repentina ſalus, vel inopinatus ſequatur interius. 3. Ob plures morbos ex humoribus diverſis & contrariis ſcaturientes. 4. Ob cauſas procatarcticas inopinato ſupervenientes, criſium certitudinem corrumpentes. 5. Tandem ob peculiares hominum proprietates & idioſyncraſias, Medico ſæpenumero haud compertas.

I I I.

CUm igitur tanta Prognoſeos difficultas, ut etiam *Hippon.* præſagiendi artis magiſter peritiſſimus 2. *aph.* 19. pronuntiaverit, *acutorum morborum non eſſe certas Prædictiones neque ad ſalutem, neque ad mortem*; cautum ſemper Medici ſit præſagium, ne, ſi res aliter ac prædixit, ſuccedat, ægro & adſtantibus riſui & contemptui habeatur, vel commiſſi in curationis negotio erroris inſimuletur, *nihil enim* juxtà effatum *Hippoc. 2. prorrhet. & lib. prænot. ineptiùs eſt*,

eſt, quam Medicum in prognoſi morborum frequenter falli. Sicuti enim unquam hallucinari, ferè ſupra captum hominis: ita rariſſimè ſolius artificis, prout ingenuè fatetur *Cous* noſter *prænot.* 41. & *Galen. in Commentar*.

IV.

MEdicus nunquam ſanitatem, niſi infallibilis ſit; certo promittat, vel ejuſdem certos præfigat terminos: multò minus agyrtarum & ſcurrarum more, turpis captandi lucri cauſa, certitudinem talem juramento confirmet, cum nunquam certus ſit de ſuprema cauſa, à qua cuncta hæc inferiora diriguntur, neque etiam de obedientia ægri, vel diligenti applicatione, aut operatione remediorum, vel naturæ cooperatione, aliiſque pluribus caſibus ſubitaneis atque fortuitis, temerarias ejuſmodi pollicitationes evertentibus, ut adeo non mirum, tales ſui dedecore, infamiæque dolore meritas errorum ſuorum pœnas luere.

V.

PAri ratione nunquam mortem certam, niſi certiſſima & infallibilia fuerint indicia, vel eam abſque ſpei, ſi aliqua affulſerit, mentione prædicet, ne forte, quem moriturum infallibiliter falsò præſenſerit, magna cum nominis ſui calumnia, non ita longè poſt, quaſi à mala ſententia provocaret, ſupervivat. Non enim omnia adeo manifeſta ſunt circa ægros, ob ſpecialem uniuſcujuſque individui idioſyncraſiam, quin interdum hujus ratione miracula in Medicina fieri videantur, & ii, qui conclamati putantur, præter ſpem ſubinde convaleſcant.

VI.

ÆGritudine incipiente aut parùm invaleſcente, judicium ſuum ſuſpendat Medicus, ac oraculorum more, ambiguè de morbi exitu ſermocinetur, illudque *Galen.* 1. *De dieb. decret.* 12. obſervet: *ſi nihil in morbo firmiter præſagire poſſimus, ſatiùs eſt tacere, quàm temerè pronuntiando falli*, quia 1. nonnulli videntur morbi ab initio ſalutares, latente malignitate, qui poſtmodum ex inſidiis erumpentes ad occaſum inſperatò tendunt, cum dedecore benè præſagientium. 2. Medici nonnulli minùs cauti facile decipiuntur, dum vel ſubitis ægrorum alleviationibus, abſque ratione & cauſa manifeſta repentè factis, cæca decepti fiducia, & ab omni ſuſpicione remoti, ſalutem ſtatim ſpondent, dum non raró, inſperata ſupervenit mors, ac ſpei gaudium inopinatò vertitur in mærorem, cum arti ignominia & Medici infamia; vel mala pertimeſcunt, quæ tamen, ſicuti præter rationem ac temerè eveniunt, ita non ſunt formidanda; utpote inſtabilia; vel tandem magnum & acutum pronuntiant morbum, qui dein repentè evaneſcit, ſuperſtite ſolum Medici amuſi & inexperti infamia. Nihil igitur temere affirmandum: nihil etiam contemnendum.

VII.

MEdicus in *Prædictionibus Hippoc.* utpote hac in arte cautiſſimi & exercitatiſſimi, apprimè verſatus ſit, & nocturna diurnaque manu eas verſans, illius *lethale, malum, pericoloſum, & pernicioſum* probè norit diſtinguere. Sciat etiam interdum à multis bonis indiciis unum malum vinci, & rurſus è contrario, à multis malis unum bonum, noverit quoque fundamentum legitimum prognoſeos cujuſcunque conſiſte-

ſiſtere, in circumſpecta conſideratione robori naturæ, & violentiæ morbi, & utriuſque mutua collatione; inprimis etiam ægri decubitum & faciem veluti corporis & animi ſpeculum, & oculos, in quibus elucet vitæ noſtræ radius & Vitium præcipuus character, & nares, & linguam, quæ humorum qualitates ac inflammationes internas ſiccitate ſua exprimit, & manus & pulſum & urinam, reliquaque excreta, ac præſertim ſigna coctionis in iis apparentia vel deficientia, lincea mentis acie contempletur, quæ cùm *Galen.* accuratiſſimè ſemper obſervaverit, ſe nunquam in prædictione deceptum fuiſſe gloriatus eſt; unde etiam *3. epid. comment. ult.* doctum in arte, non valdè in prædicendo falli poſſe, affirmat.

VIII.

SI Medicus dubiam naturæ victoriam ſagaci conjectura prævideat, periculum adſtantibus maturè inſinuet, ut patiens proſpicat conſcientiæ, domuique ſuæ diſponat, & affines curæ ſuæ & hæreditati cogitent, inſeque Medicus à mortis ſubſecutæ culpæ fiat immunis; nihil interim omittendo, quod ad opem naturæ ferendam, ad ægrotantis ſolamen, aſſidentium gratificationem? ſuæque operationi ultimum poſſe tribuendum, accommodatum videbitur: ſpei etiam, ſi aliquod adſit lumen oſtendendum, ſaluſque à remediis & à viribus, ſi hæc conſtiterint, ac nullos obtingat error, ſperanda.

XI.

SI Medicus nullam ſupereſſe ſpem; ægrumque proſſus conclamatum viderit, poſt exitum è cubiculo abſque terrore, ſubmiſſa voce & apparenti ſaltem viſus & animi triſtitia, aſſiſtentibus judicium ſuum aperiat, nullatenus autem ægrotantem omnino deſerat,

cum

cum multi ſæpè mirabiliter ſanentur, ac monſtra non tantum in natura, ſed etiam in arte contingant, ac interdum in deſperatis caſibus benedictio Divina præter omnem ſpem, dum ex officio ſæpiùs extremè laborantibus ſuccurrimus, nobis affulgeat; hinc ſæpius à Medicis prognoſtico derelicti, vel ſponte, vel obviis oblatis remediis convaleſcunt.

X.

MEdicus animum decumbentis preſertim timidiorem, quantum fieri poteſt, & animę ſalus concedit, erigat, conſoletur, ſpemque ejus dulciter nutriat: cùm ejuſmodi confidentia, ſpiritibus recreatis & in motum concitatis, ſępiùs humores corporis faciliùs corrigantur, hiſque bene ſe habentibus, viſcerum damna quoque promptius deleri poſſint; ita tamen, ne periculoſis in morbis ęgrum nimis hilarem ac bonę ſpei plenum reddendo, in multo majorem hinc conjiciat triſtitiam, cùm in pejus ruit morbus, vel ultra ejus promiſſa producitur, aut in futura ſalute nimium confiſus, Medico, ut fas eſt, non obtemperet.

X I.

CAveat Medicus, ne coram infirmis, qui oculis & auribus intenti in cubili detinentur, ac geſtus, voceſque Medici nondum claras, & vix dum in labiis hęrentes, circumſpiciunt, muſſitet, vel geſtu aſſidentibus, ac multò minùs ipſis ęgris, ęgritudinis periculum & acutiem manifeſtet, niſi vel occurrat ęger animo fortis & prudens, qui plùs magni fecerit ſcire eventus morbi veritatem, quàm exitum adverſum extimuerit, vel ęgri moroſi ac protervi, remedia ad ſalutem utilia ac neceſſaria reſpuant, ut ea lubentiùs admittant, vel expoſcant, vel Patientes permaneant

ad pœnitentiam contumaces, & monita ſalutaria ſpernentes, cras in craſtinum differant, quo in caſu Medicus zelo charitatis accenſus, ſuavi primùm cum dexteritate, hinc etiam hac vana exiſtente, indignabundus propinquam iis mortem apertè præſagiat, ut ſaluti ſuæ provideant, & licet malevolentiam incurrat, generosè tamen eam temnat, pro certo habens, gloriæ palmam ſibi comparari, ſi quidquam adverſum in recti muneris executione procedat.

ARTICULUS VI.

De Officio Medici in Conſultando.

I.

COnſultatio Medica non tantùm ægroto maximè utilis, quàm Medico honorifica. Utilis, quia 1. cùm in rebus alioquin omnibus pluralitas, tum votorum tum conſiliorum, tam ſollicite quæratur & expetatur, eadem minimè rejicienda in re maximi momenti, qualis eſt ſanitas & vita noſtra, theſaurus longè omnium præſtantiſſimus; ut adeo æger bonam recuperandæ valetudinis ſpem, ac ſingulare emolumentum ſperare poſſit, ex plurium Doctorum virorum colloquio, qui magna vigilantia & cura, ſapienti conſilio, fide egregia, mira dexteritate, & accuratiſſima providentia eidem aſſiſtunt, ac de ejus affectu curando diſſerunt. 2. Quia curatio & cognitio morborum, utpote ſæpiùs res arduæ & intricatæ, multorum judicio ac voto magis enodantur, ut unus ſolus in tanta judiciorum difficultate, in tam magna experimentorum incertitudine, in tam præcipiti occaſionum lubricitate, in tot millenis rerum circumſtantiis, ſæpiùs haud ſufficiat.

II.

HOnorifica Medico eſt Conſultatio , cum in ea Medicorum doctrina , judicium , modeſtia , aliæque virtutes præcipuè cognoſcantur ; ſicuti enim plures ob conſultationem indigne inſtitutam , famam via indirecta acquiſitam , derepente amiſerunt ; ita econtra multi rara eruditione conſpicui , qui ob taciturnitatem & modeſtiam , vel aliorum invidiam diutiſſimè latuerunt , facto ſermone doctrina & eruditione pleno, emerſerunt , hominumque benevolentiam & amorem magneticè ad ſe rapuerunt . Præterea labores & curæ æquis inter ſe partibus dividuntur , ut vel plus laudis , ſi ex communi voluntate res bene geratur , vel minus invidiæ , ſi conſilii dexteritatem ſperatus ſucceſſus fefellerit , in Medicos retundet , ſicque vulgi calumniæ , imperitorumque detractorum tela magis evitentur .

III.

SI igitur morbi gravitas id exigat , atque æger , vel adſtantes , aut conſanguinei alios pro conſilio proponant , Medicus alacriter eos admittet , neque per hoc, prout venerandus *Senex. l. de præcept.* ait , indecore quidquam aut contra authoritatem ſuam facturum aliquid unum illum affirmat , qui plures advocaverit . Siquidem hominem ſe fateri , nec unum omnia poſſe agnoſcere , apud ſapientes nihil omnino præjudicat , aut de jam præconcepta exiſtimatione diminuit , cùm præſertim cuicumque , etiam doctiſſimo , id evenire poſſit , ut , dum alterius curam peragit , continuis ipſe etiam curis & ſollicitudinibus obrutus , & quibuſdam quaſi tenebris circumfuſus , eo ipſo reddatur perplexus , minuſque perſpicax ad diſcernenda ea , quæ in præſenti caſu magis forent neceſſaria , magiſque conducibilia . Hinc etiam laudabile hoc inſtitutum haben-

di

di conſultationes, etiamnum viget in non paucis Hiſpaniæ, Galliæ & Italiæ locis, Pariſiis in primis & Patavii, ac modo etiam Viennæ, ubi perraro morbus gravis curandus ſuſcipitur, quin conjunctis plurimorum conſiliis de agendis deliberetur, ſi res poſtulare videatur.

IV.

UT ægro utilis, ac Medico honorifica ſit Conſultatio, primo conſulentes ſint eruditi, perſpicaces, providi, curarum præſertim felicium experientia inſignes, ac pacis præcipuè amantes; hinc olim Romani Medicos in templo pacis congregari jubebant, ut de ægri ſalute placidè, & abſque altercatione conferrent, & ab execrabili, fædaque magis angue lernæa contentione abſtinerent. Ad ægrotantis enim ſalutem, veritatiſque centrum unicè collimandum; non ad gloriam, non ad lucrum, non ad privata commoda alioſque affectus, qui peſſimi ſunt Conſiliarii; plures enim ægrotantes, ob exorta inter Medicos diſſidia, dum privatis inter ſe gliſcunt odiis, aut æſtuant ſimultatibus, videntes quomodo calamitatem aut maledicta alteri afferant vel affingant, infauſtiſſimam ſortiti ſortem pereunt, dum occaſio nunquam reditura præterit, peſſumdata reſtat natura, morbus invaleſcit, ægerque internecione deletur. Sicuti igitur Medicorum æmulatio, contentio ac diſſidentia, in ægrotantium periculum ac perniciem, adſtantiumque confuſionem, ita eorum conſenſio ac concordia, in maximum ægrotantis & reip. Medicæ emolumentum & honorem cedit.

V.

SEcundò, Conſultatio maturè inſtituatur, antequam proſternat, conculcet, vires atterat, ac prorſus enervet morbus, ægerque ſymptomatum violentia ac ſævitia ſuccumbens agonizet. Numerus conſulentium ad evitandam confuſionem non ſit nimius: hinc cùm in ore duorum vel trium ſtet omne verbum, ac trium virorum unio, ſit quaſi ſymbolum perfectionis, adeo ut cognitio, quæ à tribus eruditis non habetur, vix à pluribus obtineri queat, gemini vel tres ſufficiunt, licet etiam in aulis Principum quatuor, vel ad ſummum ſex, non improbentur.

V I.

TErtiò, Conſultatio non ſit imparata, omnia enim ſubita probantur incauta, niſi ſubinde neceſſitas, ob repentina, graviaque ac urgentia ſymptomata ſupervenientia, gladiatorum more in arena ex tempore conſilium capiendum eſſe jubeat; hinc maximè ægrotis conſultum atque proficuum & exoptandum foret, ut Medicus ordinarius prius caſum, ſeu ſpeciem facti, cum omnibus circumſtantiis cæteris futuris conſiliariis ſcripto mitteret, ut tanto paratiores, majorique eruditione inſtructi accederent, *ſana enim Conſultatio*, ut inquit, *Blas apud Luert. ex eruditione rerumque peritia & experimento contingit*.

V I I.

QUartò, Conſultatio ſit ordinata, ita Medicus ordinarius omnium primò Hiſtoriam morbi, ejuſque originem, vehementiam, durationem, adhibitaque præſidia, fide recta, menteque ſincera proponat: hinc doctoratu junior aſcendendo ad ſeniorem uſque,

conclusum ultimato formantem graviter, eruditè, liberè, benignè tamen ac modeſtè, abſque ullo exiſtimationis ſuæ nævo, de morbi genere, differentiis, cauſis, ſignis, indicationibus, ac materia remediorum, & quidem omnia lynceo mentis acumine penetrando diſſerat, ſententiam ſuam validiſſimis rationibus ſtabiliat, præſtantium & authenticorum ſcriptorum auctoritate fulciat, experimentis atque exemplis, quibus res clarior evadit, confirmet, aliorumque opiniones, ſi minus idoneæ & rationi conſentaneæ videantur, modeſte & abſque zelo refutet, atque aliam magis tutam curationis viam perſuadeat.

VIII.

Sicuti *Galen.* non reprobat Medicorum diſſenſum, ſed amicitia plenum, ac doctam duorum Medicorum contentionem, honeſtum conſultantium certamen appellavit, quæ etiam in medicina, ubi multa conjecturabilia, quia ambiguitate & controverſia non carent, inevitabilis: immò ſæpius cotis inſtar ferrique mutuo attriti veritatis ignem elicit, atque ex diſſonantium vocum opinionumque diſcordia, gratiſſima, ægroque utiliſſima emergit harmonia; ita prudentis erit Medici, ſententiam adverſariam, ſi neceſſitas urgeat, benevolè revellere, non prorſus eam negando, vel directè vehementius impugnando, ſed placidè diſtinguendo, ac contrariorum argumentorum vi modeſtè retundendo. Cordati enim Medici eſt, revelli ſine pertinacia, & revellere ſine iracundia, cavendo inſuper vel maximè, ne dicta & facta Ordinarii vel alterius, ad ejus oppreſſionem & contemptum, ſuique ad aucupandum honorem carpat, ſua meliora importunè obtrudat, peccata in medendo obtendat, & omnia crebris contradictionibus peſſumdet.

IX.

QUintò, Conſultatio talis ſit, in qua ſuperflua omnia vitentur, nihil ad pompam, nihil ad oſtentationem proponatur, nihil etiam neceſſarium ad ſanitatem ægro redimendam, omittatur. Exulent igitur. 1. Qui loquacitate ſua, dum de ægroti ſalute, vel ſaltem de rebus ad eam pertinentibus ſermocinari deberent, turpiſſime in devia, ac inanium & importunarum quæſtionum labyrinthum incidunt, vel de non entibus prolixa verboſitate diſcurrunt. 2. Qui eloquentiam ſuam oſtendentes, magnificis verbis, ſuperbiſque nominibus de morbo, ejuſque cauſis pronuntiant, hincque vel curam alii prorſus morbo accommodant, vel in remediis omninò jejuni & ſteriles frigeſcunt; cum tamen laudabilius ſit fideliter curare, quàm ſubtiliter de morbo diſputare; & admirari morbos, non autem curare, ſit hominis ſua arte & ingenio abutentis. 3. Qui, ut boni Practici videantur, remediis onerati ut mendicus laciniis & aſinus ſaccis prodeunt, ac morbos eorumque cauſas ſicco pede tranſeuntes, neſcio quibus ſecretis, non tam è tripode Apollinis aut Jovis cerebro depromptis, quàm propria ſpeculationes inventis, morbum ſanaturos ſeſe, promiſſis potiùs magnificis aures ſcalpunt magis, quàm effectu præſtant.

X.

QUoad locum Conſultationis, Patavii habetur in publico, ubi coram plurimis auditoribus, conſanguinitate junctis aliiſque, magna cum gravitate de natura affectus diſſeritur, & plerumque in potiſſimis conſenſus, in parvis diſſenſus, ſed amicitia plenus reperitur. Alibi ſemotis arbitris, aliiſque affinibus ac ægrorum domeſticis peragitur, ut ſic libe-

rius

rius proferantur ſententiæ, factaque à primo Medico, ſi correctione indigeant, liberè ſine omni nota ignorantiæ, corrigi poſſint, in quem aliàs creduli adſtantes, ſi mors ſubſequeretur, ejus cauſam referrent. Sive autem in publico ſive in privato inſtituatur loco, nunquam tamen in præſentia ægri, periculoſo valde vel incurabili morbo laborantis, ne audita mentione infelicis exitus turbetur animo, qui corpore jam ante languebat infirmo; vel prius ſaltem de ſimulato prognoſtico conveniendum, ut ejus animus in bonam ſpem erigatur, veritate rei interim amicis inſinuata.

X I.

FActa Conſultatione, Medicus ordinarius peritorum conſultorum exequatur conſilia, eorumque decretis obtemperet, neceſſe eſt; ſæpe enim accidit, ut hic conſultorum dicta contemnat, laceret, & præſcripta eorum, poſtquam abierunt rejiciat, lividis coloribus depingat, ad ſua redeat, in ſententia ac erroribus ſuis obſtinatè perſeveret, ægroque perſuadeat, eos multa quidem dixiſſe, ſed ſcopum non attigiſſe, ſe melius ægri naturam noſcere, ſicque melius ſanitati ſuæ conſulere poſſe. Sed ſicuti talis, dum conſultores ægro ſunt præſentes in eodem loco, ſummè arrogans ac præſumptuoſus, in ſocios perfidus & ægroganti ſumme perniſcioſus jure merito habetur: ita ſi conſulentes abſint, ſcriptoque tantum ſua communicent conſilia, Medici adſtantis ac domeſtici potior habenda ratio, tum quia autopſia Medicum docet & confirmat, tum quia, licet è longinquo expertiſſima præſidia medica præſcribantur, ſæpiùs tamen vel eorum mentem non ſemper recte percipiunt ægroti, vel dubii ſunt, an hæc ferre poſſint, vel nova inexſpectata, nec prævisa ſuperveniunt ſymptomata, vel remedia non ſtatim eam, quam ægroti ſibi pollicebantur, præſtant operam, ut jam deſerere ſit animus;

quibus in caſibus neceſſarium eſt, ut ordinarius præſcriptæ curæ clavum teneat, ac dirigat, & pro ratione loci, temporis, ægri ac morbi, nunc addat, nunc demat.

XII.

QUiſquis igitur vitam ſummopere zelans, morbo pertinaci ancipiti, periculoſo aut ex toto vel ex parte inſanabili corriperis, & ad medicam conſultationem, velut ad anchoram & aſylum confugis, ut vel levamen, vel integram exinde ſperes valetudinis reſtitutionem, ut eadem ritè & dicto modo peragatur, cura; vel ſi perniciosa conſulentium diſſidia & turbas timeas, eos ſeorſim accerſe; vel ut ſeparatim ſententiam, atque rationes ſuas ſcriptis mandent, jube, eaque Medico tuo adſtanti & ordinario approbanda vel rejicienda, vel ex parte vel ex integro committe. Si enim vir probus ſit & honeſtus, in cujus animo Charites, medicæ virtutes ac peritia conſpirant, excitatus præſertim fiducia tua ad majorem curam & ſollicitudinem, nihil quidquam in votis optatiſque habebit, quam ut boni principis inſtar, vel amantiſſimi patris aut tutoris, valetudinem tuam regat, vitamque pro viribus tueatur; ſi autem ejus ſcientiam ac peritiam ſuſpectas habeas, eum prorſus cum merito ſoſtro dimittas, aliique, cui libentius fidas, ſalutem tuam concredas, conſulo.

ARTICULUS VII.

De Officio Medici, in Methodo medendi.

I.

ROgatus olim à nonnemine *Cappivaccius*, magni nominis & immenſæ eruditionis, præclarè de univerſa Medentum republica meritus, ut arcana & ſecreta ſua communicare vellet, ſcitè reſpondit: *Diſce meam Methodum, & habebis mea ſecreta.* Hæc enim eſt arcanorum ſummum arcanum, hæc eſt baſis ac firmiſſimum artis medicæ fulcrum, hæc eſt lapis lydius, quo veri rationales Medici à ſpuriis & adulterinis, empiricis nempe & agyrtis diſcernuntur, hæc eſt vera ars, qua per indicationes auxilia inveniuntur ad ſanitatem tum conſervandam, tum redimendam. *Nemo enim* ut Parens Medicinæ *Galen. 9. method. 8.* teſtatur, *artis Medicæ ſcientiam nanciſci poteſt, niſi & Methodum quandam habuerit per univerſalia Theoremata, & in particularibus ſe exercuerit.*

II.

MEdici Methodici eſt, curare *cito*, *tuto*, & *jucundè*. Citò quidem, tum ob celerem fugacitatem occaſionis, quæ citatis alis properat ac fulguris inſtar fugit: tum ob corporis humani œconomiam variis mutationum viciſſitudinibus obnoxiam, tum ob celerrimos haud raròcauſæ morbificæ motus, ut medicamenta, quæ antea erant proficua, hinc reddantur inutilia, tum ob vires, quæ modo validæ ad remedium perferendum, poſtea diminutæ & languidæ, illud ipſum admittere nequeunt. Rectè igitur magnus *Hip-*

Hippoc. in epiſt. ad Crater. meminit : *Ab omni quidem arte aliena res eſt procraſtinatio ; verùm maximè in Medicina , in qua vitæ periculum parit : præcipuè autem occaſio attendenda in morbis acutis , qui vehementiſſimis ſtipati ſymptomatibus , ocyſſimè citato curſu ad ſtatum properant .*

III.

CAveat igitur Medicus , ne agyrtarum , & Pſeudomedicorum inſtar , turpiſſimi lucri cauſa morbos prolonget , ac momentum illud occaſionis , quod eſt anima curationis , turpiter negligat : neque etiam imitetur meticuloſos illos & ſuperficiarios Medicos , qui famæ ſuæ nimis ſollicitè conſulentes , ac mulierculas , imperitum vulgus , ſubinde etiam magnates , neſcio quid ultra artem ſibi ſapere viſos , timide reſpicientes , nullum magnæ efficaciæ præſidium adminiſtrare audent , quod non ipſis adſtantibus vel approbatum vel conceſſum fuerit , ne ex minùs proſpero eventu , nocuiſſe potius , quam profuiſſe viſi , ægri incurrant contemptum ; neque timido illos lepores , quorum timore plures ægrotorum è vita diſcedunt , vel chronicos incurrunt affectus , dum vel ab initio , non ſatis validè mox revellunt materiam aliquam in partem affluentem , vel purgationem , ſaburra cacochymica in primis viis hærente , differunt , uſque dum præternaturale præpullulet fermentum , totam inficiens maſſam ſanguineam , ac reliquas viſcerum digeſtiones corrumpens ; vel dum ebullitiones febriles , prætermiſſis venæſectionibus non reſtinguunt , vel in morbis gravibus quibuſcunque , ad generoſum aliquod auxilium deſcendere reformidant , non perpendentes illud *Maſſariæ : vix ullos magnos curari morbos , quia raro ſe expediunt Medici à lenientibus* ; vel illud *Celſi : ſatiùs eſt , experiri anceps remediùm , quàm nullum .*

IV. Non

IV.

NOn tantùm *citò* curabit Medicus, cum elapſa occaſione cauſæ morbificæ repentè ſumant aliam ideam, motum, ac morem, humores noxii dominentur, morbus invaleſcat, ſymptomata ſæviant, vires collabaſcant, naturaque oppreſſa ſuccumbat; ſed etiam celeritati jungenda eſt *ſecuritas* veluti media, & inter duas reliquas conditiones præſtantiſſima. Licet enim, in morbis chronicis falices inducias concedentibus, feſtinatio nimia ſæpiùs periculum minetur, Medicus tamen eò ſemper intenta mentis acie collimare debet, ut *tutò* ſaltem medeatur.

V.

TUtò curabit Medicus, ſi utatur remediis velut amicis, paucis nempe ſed expertis, ac longiſſima annorum ſerie approbatis, & quaſi canonizatis. Certa enim dubiis & incertis præferenda, hinc dum *Celſ. l. 3. c. 9.* temerariis ſubinde remediis utendum eſſe innuit, aſſerendo: *quos ratio non juvat, temeritas ſubindè ſanat*; intelligendum hoc de morbis planè conclamatis & deſperatis, in quibus melius eſt anceps remedium experiri quàm nullum. *Tutò* curabit, qui noverit remedia vulgaria præ foribus naſcentia, viribus integris, facilique pretio ubivis habenda, ſæpiùs præſtare exotericis & peregrinis, incertam ſubinde proſapiam mentientibus, ſuſpectis, mangonizatis, nec rarò ſitu, teredine, ſentinaque corruptis.

VI.

TUtò curabit, qui noverit, æquè feliciter & faciliter curari morbos remediis ſimpliciſſimis, euporiſtis ac vulgaribus, ſelectis tamen, ac circumſpectè,

eſſe, & cum judicio adhibitis, quam per abſtruſiſſima nonnullorum ſecreta. Hinc, teſte *Helmont.* pauca ſunt, quæ Medicum nobilitant; ac aureum illud *Arnoldi de Villa nova* dictum probe obſervandum: *Dolus eſt, uti compoſitis, ubi ſimplicia ſufficiunt*; ſicuti enim ſimplex victus ſaluberrimus ac naturæ convenientiſſimus, ita pariter & pharmaca, cùm in utriuſque natura paucis contenta ſit. Pro re nata igitur Medicus, nec ſolis euporiſtis & ſimplicibus, nec ſemper compoſitis uti ſciet.

VII.

T*Utò* curabit, qui didicit abſtinere remediis chymicis propria manum haud paratis, aut quorum experientiam nondum habet, præſertim ſi Galenica ſufficiunt. Item qui purgantibus violentis, præcipuè Mercurialibus & antimonialibus haud uſus fuerit, præſertim in jam ſeneſcentibus, lactantibus, cachecticis, & debilibus; aut venæſectione nimis prodiga in ætate jam ingraveſcente, in non aſſuetis, in modo inveterato, viriumque defectu; vel Opiatis in aſthmate, hydrope, infantibus, extremaque ſpirituum inopia exhauſtis; vel Dulcibus, in affectibus tartareo-acidis.

VIII.

T*Utò* curabit; qui omnes cauſæ morbificæ reliquias è corpore ad pulviſculum uſque expellit, ne iis relictis, maſſa cruoris ſubinde ebulliat, fermenteſcat, ſicque recidivam radice ſua pejorem patiatur æger; qui inſuper maximè ſtuduerit eradicandæ cauſæ morbificæ, exſiccandoque fonti, unde tot ſymptomatum ſcaturigines propullulant, ita tamen, ut ſubinde à regia via divertere, & ſymptomatibus præſertim urgentioribus occurrere poſſit, vel cauſæ ſimul & ſymptomatibus proſpicere. Item qui morbis debilibus de-

debilia, valentibus valentia adhibet remedia. Sicuti enim, quæ longo tempore ſunt contracta, lentè curare oportet, ita quæ brevi breviter, ut creationis morbi & curationis, paria quodammodo ſint temporum momenta.

IX.

TUtò curabit, qui auream illam venerandi *Coi* obſervaverit regulam: *Si non potes prodeſſe, ſaltem ne noceas*. Sæpiùs enim, dum chronicas ac profunda radice inveteratas ægritudines curare præſumimus, hydram lernæam offendimus, ac non ſolùm non juvamus, ſed magis lædimus: hinc noverit, optimum ſæpè medicamentum eſſe, non uti medicamento. *Quiete* namque *& abſtinentia*, præcipiente *Celſo*, *graviſſimi curantur morbi*: immò *neglecti ſubinde morbi*, teſte *Aetio*, *fiunt leviores*: fruſtranea enim ſunt medicamenta, exhauſta natura, vel obtento jam fine, vel ubi ipſa natura ſufficit. *Tutò* etiam curabit, qui topica, niſi aliquid adſit, quod curationem pervertere poſſit, ante univerſalium remediorum uſum non applicaverit: qui medicamenta temerè non mutaverit, cùm crebrior eorum mutatio, vel ignorantiam vel diffidentiam innuat; qui tandem vel diæta ſubindè ſola, vel ſaltem nunquam ſine illa medebitur, nam ſine clavis & remis navigat, qui nulla victus ratione obſervata, Medicinam facere conatur. Hinc verum illud magni *Sennerti* effatum: *Medicamenta vel efficaciſſima incaſſum propinantur ubi juſſum & conveniens diætæ regimen fuerit neglectum*.

X.

JUcundè tandem, quæ ultima medendi conditio, medebitur Medicus, ſi remediis utatur ſuavibus, & quoad fieri poteſt colore, odore & ſapore gratis; luben-

bentius enim tinctura vel eſſentia dulcis & odorata, vel paucæ & inſipidæ pillulæ, vel exiguus aſſumitur pulviſculus, quam longum & ingratum apozema, aut potiones amaræ vel prodigioſæ, & theriacales compoſitiones, & nauſeabunda variorum ſimplicium commiſtio, quæ inſuper certa ignorantiæ filia, periculoſa etiam & ſumptuoſa.

XI.

JUcundè curabit, qui ſine dolore vel abſque inſigni moleſtia ægrotum tractaverit, vitando omnia, quæcunque vel animum vel ſenſus ejus offendere poſſunt: concedendo econtra, quæ viſui jucunda oculos delectant: quæ tactui grata & attingenti mollia, quæ in cibo & potu palato ſuavia, in iis præſertim, quæ parùm nocere valent, aut quorum levis illata noxa, facilè reparari poteſt, curando etiam ut omnia ſint munda, mundiſque vaſculis excipiantur. Nullus adſit miniſtrorum, niſi quem æger libenter viderit: nemo adſtantium vel amicorum cubiculum introeat, niſi cujus adventus & præſentia ægro fuerit gratiſſima. Jucunditatem augebit per omnia Medicus, ſi lenitatis, dilectionis & beneficentiæ affectibus excitatus, erga ægrum fuerit humanus, affabilis, ſuavis & gravis.

XII.

DUm autem ægrorum genio gratificari conatur Medicus, caveat, ne nimia promptitudine in præſtandis ægro obſequiis excedat; quemadmodum enim facilitas mediocris jucunda eſt, & nihil detrahit de authoritate Medici, ita, ſi nimia, non tam ſæpè cedit in Medici contemptum quàm ægri perniciem, ſi præſertim concedantur, quæ curationis curſum retardare, vel morbi periculum augere poſſunt, ut medicaſtris adulatoribus haud infrequens, dum vel

in gratiam ægrorum, cauſa morbifica multùm adhuc in corpore luxuriante, dolores Narcoticis ſedant, ſicque ut cum *Rhaſe* loquar, rem magni terroris componunt; vel appetitui ægrorum unice lenocinantes, nunc frigidam, nunc vinum, nunc cibos ſolidiores, ubi non deberent, porrigunt: nunc ſervorum ritu quibuſcunque juſſis parent, cùm tamen Medici, ex *Æſculapii* progenie exorti, ægris dominari, iiſque præeſſe debeant, ſicuti duces exercituum militibus, ac Reges ſubditis. Certè, quàm multi blanda aurium gargarizatione, per deceptorios hos ſuſurrones inſtituta, ad ſuperlunares ablegati fuerunt, qui ſub rigidis verorum Medicorum præceptis, convaluiſſent.

XIII.

Jucundè tandem curabit Medicus, qui minoribus, quoad fieri poteſt medebitur expenſis, haud imitando illos, qui ægros in maximas inutiles ac ſupervacaneas expenſas præcipitant, præſcribendo ad oſtentationem potiùs, vel inſcitiam ſuam multitudine & pretio medicamentorum tegendo, vel Pharmacopolas, cum quibus ſubinde pacta quædam circumventioſa inſtituunt, ditando, præſcribentes remedia tam cara quàm rara, quæ ægrum è morbo convaleſcentem, in novas pro tot debitis perſolvendis anguſtias & ægritudines deturbant, ut deinceps mori potiùs cupiat abſque medicamentorum ope, quam cum tanta pharmacorum ſupellectile, ac hæredum ſuorum diſpendio, perire.

XIV.

Felix igitur ille Medicus, qui *tutò, citò* ac *jucundè* medebitur. Licet autem reperiantur quidam caſus, in quibus hæc tria requiſita in curatione conjungi nequeunt, non enim in morbis chronicis ſemper citò,
nec

nec in illis, qui vomitum deſiderant, aliiſque ſemper jucundè mederi valemus, unde ſpectandum ad id, quod magis urget, anteponendaque ſecuritas celeritati & jucunditati, maximè ubi mortis impendet periculum: ſatius tamen eſt, morbum cum minori jucunditate citò curare, quam ægrorum palato & voluntati ab-blandiendo, affectum prolongare & exaſperare.

ARTICULUS VIII.

De Officio Medici, in petendo & recipiendo Soſtro.

I.

MEdicis ac Præceptoribus non rei, quam communicant, ſed operæ quam locant, pretium ſolvi, elegantiſſimo loco exprimit *Senec. l. 6. de benefic. c. 34 emis, inquit, à Medico rem inæſtimabilem, vitam ac valetudinem bonam: à bonarum artium præceptore ſtudia liberalia & animi cultum, itaque, his non rei pretium, ſed operæ ſolvitur: quod deſerviunt, quòd a rebus ſuis avocati nobis vacant, mercedem non meriti, ſed occupationis ſuæ ferunt*. Meritò igitur Medico convenit Honorarium, tam pro viſitationibus, quam itineribus, formularum præſcriptionibus, tædio, labore, lectione ac meditatione &c. cum illud *honora Medicum*, non de verbali tantùm, ut ita dicam, ſed reali etiam honore intelligendum ſit; ſi enim Juris Conſultus non tenetur gratis conſilium ferre, niſi pauperibus, ſi Advocatus pro labore honorarium poſtulare poteſt, multò minus Medicus gratis haud mederi tenetur, utpote ſaluti hominum unicè intentus.

II. Li-

II.

LIcet verò Medico competat honorarium pro ſuo labore & diligentia, etſi etiam moriatur æger, dummodo juxta artis præcepta medicinam fecerit, ut nihil ipſi imputari poſſit, quod vel maximè obſervavit *Socrates*, cujus morientis ultima vox erat: *O Crito Crito! Æſculapio gallum debemus, quem reddite, nec negligatis*; tamen de mercede cum ægro paciſci, præſertim in morbis dolorificis & acutis, videtur eſſe res, nobiliſſima arte medica indigniſſima, ac mos potiùs Empiricorum & agyrtarum, qui, dum dolor eſt & occaſio viget, quidquid poſſunt, arripiunt, quod tamen, ſicuti impium, ita arti potiſſimum ignominioſum, Pacta hujuſmodi honeſtis viris avaritiam & ſorditiem: Juriſconſultis extorſionem ſapiunt; quid enim non largiretur in periculo conſtitutus? *pellem pro pelle*, ut legitur *in lib. Job. & omnia, quæ poſſidet homo, dabit pro anima ſua*. Sicuti igitur de mercedé cum ægro paciſci indignum, de illa deliberare durante morbo indecorum & avarum, ita impium, urgente eodem magno & acuto.

III.

CAveat ingenuus Medicus, ne tacito quodam poſtulandi genere, apud ægrotum hanc aut illam veſtem, clinodia, equum, libros, aliamve ſupellectilem domeſticam nimium commendet, neve ab eodem, ſi mercator fuerit, quidpiam emere tentet, ne aliquam inferat cogitationem hominibus alioquin ſuſpicioſis, & de lucro ſemper cogitantibus, velle, ut ſibi offeratur, id quod emit, aut collaudat, artificio quodam id extorquere, quod ipſum oblaturum non confidit, multo minus quidquam ex domo Patientis aſſumere, deteſtandæ avaritiæ indicio, quam ſummopere improbat divinus

D *ſenex*,

ſenex, dum *lib. de dec. ornat.* ſapientem Medicum argenti contemptorem debere eſſe dicit. Idem innuit *Seneca*, ac laudatiſſimo exemplo reipſa teſtatus eſt *Hippoc. Abderites*, qui nunquam ſe pro uſu medicinæ accepiſſe mercedem ſcribit; quia Medicina libera eſt & Deorum munus; quam laudis partem Patri quoque ſuo Medico attribuit hoc diſticho *Auſonius*:

Obtuli opem cunctis poſcentibus artis inemptæ;
Officiumque meum cum pietate fuit.

IV.

SIcuti laudabilis mos eſt nonnullorum locorum, quo certum pretium certis Medicorum laboribus determinatur: ita ſi nihil certi ſtatutum ſit, æquum exigere poteſt ſoſtrum Medicus, cavendo, ne vel nimio rigore incurrat ſuſpicionem avaritiæ, vel abjecto nimis pretio ſuſpicionem negligentiæ, quaſi non adhibuiſſet ea omnia, quæ è re ipſius ægri fuiſſent, cum contemptu etiam nobiliſſimæ artis; potiſſimùm autem illuc reſpiciet, quid conditio ægrorum ferat, quid mores poſtulent, & quid morbi eſſentiæ conveniat. Sunt enim alii morbi periculoſiores malignitate ſua, alii diuturnitate tædioſi: alii curatu magis jucundi &c.

V.

CUi Medico honor curæ eſt, cautum ſe gerat in hoc negotio, neque facilè Soſtrum ab ægro exigat, quia grati ſponte dant, ingrati verò ne coacti quidem; eſt enim longè ſatiùs, ut aſſerit *Hippoc.* à morbo ſervatis ingratitudinem exprobrare, quàm malè habentes emungere, aut miſeros ſine ope relinquere. Nullus enim Medicorum eſt, qui non experiatur multos etiam gratos: ſubinde autem horridam illam, terribilemque faciem, ſi præmia laboris poſcat, vel

vel ægros, qui vano verborum ſacculo, & turgidis promiſſionum, gratiæque ampullis Medicum dimittunt: hinc verborum obliti, elegantiſſimum *Balthaſ. Zahnii* tractatum de mendaciis, capite vel paragrapho adaugent, quaſi Jure quodam divino vel naturali obſtrictus teneretur Medicus, ut largos illos non in unum ſed complures ſtudiorum annos, in libros cariores, in peregrinationes quoque impenſos ſumptus, in gratioſi tantùm aſpectus ſpem, aut vanæ promiſſionis exſpectationem, ſummo privatæ rei cum damno impenderit, & tandem id lucri habeat, ut miſerrimum ſervorum ſervum ſe exhibeat.

VI.

NOn decet Medicum eſſe mercenarium, ſed nobilem & ingenuum, ut ejus liberalitatem & promptitudinem ſtudiorum officiorumque, ægri magis experiantur, quàm de collatis in illum beneficiis aut larga beneficentia eidem exhibita, gloriari poſſint. Sublimior, & ſupranaturalis medentis debet eſſe intentio, ac ſpes æternæ Mercedis, ex obſequio exinde Deo præſtito. Stolidus enim jure meritò haberetur ille Medicus, qui in morbis præcipuè malignis, ſub vili forſan uno vel altero imperiali, tota die venalem circumferret animam: qui dum per annum, ſæpè etiam complures, plurima præſtitit officia, vel nihil, aut vix & ne vix quidem imperialium aliquot munuſculum, ex rejectæ non raro monetæ quiſquiliis accipit; qui pro exiguo ſubinde ſalario, tot aeris excretorumque corruptelas, tot itinerum pericula, tot æſtus, tot algores, nimbos, nives, inundationes, tot ægrorum viſitationes in varias partes diſtributorum, aut longa locorum intercapedine diſſitorum, tot prandiorum interruptiones, tot juges vigilias, ſomni interruptiones, vel maturas ad gallicinium expergefactiones, tot ſol-

licitudines & curas ſuſtineret, niſi perenne quoddam officio ſuo ritè functis, ſupereſſet præmium.

VII.

IN accipiendo Soſtro Medicus eam moderationem obſervare poteſt quam *Severus & Antoninus* Imperatores prudentibus & advocatis ex publico, ut moris olim erat, ſalariatis, in acceptandis xeniis & donativis à clientibus præſcripſerunt: *neque omnia, neque ſemper, neque ab omnibus*. Nam valdè inhumanum eſt à nemine accipere, paſſim viliſſimum, omnia avariſſimum. Præcipuè autem pauperibus gratis ſuccurrere ſtudeat, non enim lucri, ſed ſanitatis & charitatis cauſa medendum: immo lucrum tunc maximum eſſe credendum eſt, ſi lucrum negligatur in tempore; quod enim ad ſuperos tranſit, nos ne ſentientes quidem divites reddit & locupletes, hinc placet, quod ſummo cum laudis & honoris titulo de *Hieronymo Fabricio ab Aquapendente* refert *Polyhiſtor Rhod.* in elogiis virorum Illuſtrium, laudatum Medicum conſtantiſſimè omne oblatum munus recuſaſſe, ſeque eodem planè animo erga pauperes quo erga divites ſe exhibuiſſe: id verò eo ipſo effeciſſe eum, ut tot muneribus aureis aliiſque pretioſis & rarioribus ornatus fuiſſet, ut amplum ſatis cubiculum iis exornare potuerit, quibus inibi omnibus benè diſpoſitis, hanc foribus addidit inſcriptionem: *Lucri neglecti lucrum.*

CAPUT II.

De Officio Medici in ſpecie, & primò quidem, in Affectibus requirentibus Venæſectionem.

ARTICULUS I.

Quibus in morbis Medici officium ſit, ſecare Venam?

I.

VEnæſectio, cùm ſanguinis plenitudinem ad mediocritatem reducat, corpus gravi onere liberet, illudque calorem nativum liberius ventilando, arctioreſque vias & meatus reſerando, alacrius & expeditius reddat: ejus etiam orgaſmum & efferveſcentiam ſiſtat: humores ipſi permixtos per efferveſcentiam, conflagrationem & adustionem corruptos, vel omnino in putredinem degenerantes evacuet, ulterioremque putredinem arceat, ſanguinem ventilando, circulationemque liberiorem reddendo: præterea ſanguinem è vaſis p. n. elabentem, vel ferociori impetu in partem aliquam irruentem, vel potiùs in parte quadam ſtagnantem, revellat, derivet, eum promptius ad partem ab affecta diſtantiorem moveat, ſtagnationis incrementum inhibeat, ſanguinemque priſtino motui & circulationi reſtituat; clarè eluceſcit, eam indicari in morbis excitatis à vitio ſanguinis vel *in quanto*, vel *in quali*, vel *in motu*.

II.

HIs præſuppoſitis officium Medici erit, eam, ce primarium maximè neceſſarium & utiliſſimu remedium adminiſtrare, in omnibus inflammationi bus, tam internis, ut *phrenitide*, *angina*, *ophtha mia*, *pleuritide*, *peripneumonia*, *hepatitide*, *inflamma tionibus ventriculi*, *inteſtinorum*, *meſenter. lien. re veſic. uteri &c.* quàm etiam externis: neque ſangu tantum mittendus ratione præſentis, ſed etiam ratio ne futuræ inflammationis præcavendæ, ut in *fractu ra*, *luxatione*, *contuſione magna*, *vulneribus majori bus*, *ictu*, *caſu*, *doloribus* cujuſcunque partis *vehemen tioribus*, in quibus *Galen.* ſe nullum majus inveni remedium fatetur, quam Venæſectionem uſque ad an mi deliquium adminiſtratam, niſi viribus jam coll pſis & debilitatis.

III.

VEnæſectionem quoque adminiſtrari curabit *in fe bribus continuis*, ubi nimius urget, vel metu tur æſtus, aut nimia turgeſcentia, vel impetus ſan guinis ad caput, pulmones vel alia membra, præſe tibus præſertim coindicantibus; cùm depletis hac ra tione vaſis, laxataque quaſi ſanguinis maſſa, via ſte natur diaphoreticis, purgantibus, aliiſque præcipita tibus in ſtatu morbi exhibendis. *In Intermittentibus* præſertim ſub hoc climate, non adeo neceſſarium i dicabit, niſi adſit plethora, vel urinæ rubræ, cra ſæ; ingens cephalalgia, vel metuatur futura febris co tinua, vel inflammatio alicujus viſceris.

IV.

IN *febribus malignis* quàm cautiſſimè procedet Medicus, obſervando præcipuè ſtatum ſanguinis febricitantis, an ad diſſolutionem, orgaſmum & nimiam ebullitionem inclinet, an verò ad coagulum, lentorem ac majorem malignitatem: in poſteriori caſu parcè adhibenda, vel eadem omnino ſuperſedendum, præſertim etiam, ſi ab experientia pluribus nocuiſſe quàm profuiſſe conſtiterit: in priori verò, ubi malignitas mitior cum febre ardente vehementiori juncta, in ſubjecto præſertim juvenili vel plethorico, & ſi viſceris inflammatio adeſſe vel imminere videatur, confidentius & largius adminiſtrabit.

V.

APparentibus *petechiis*, *bubonibus* vel *parotidibus*, intermittet Medicus Venæſectionem, ſi ex hiſce evacuationibus natura potentior reddita ſit, ac victricis naturæ ſigna deprehendantur, ut pulſus æqualitas, vehementia, dilatatio plenior, febris ac ſymptomatum remiſſio, cum veris coctionis ſignis: cautè tamen & parciùs adminiſtrabit, ſi erumpant ſymptomatice, ex ingenti ſanguinis ebullitione, & humorum malignorum ac putreſcentium fervore, admotis paulò poſt V. S. cucurbitulis, cum levata ſic ſubinde natura, poſt talem V. S. copioſos ſudores, eoſque criticos erumpere obſervemus. Idem ferè obſervabit Medicus in *variolis*, abſtinendo à V. S. eiſdem erumpentibus, ſi eruptio fiat per ebullitionem *depurativam*, & ex eorum eruptione febris & ſymptomata remittant: adminiſtrando econtra, ſi fit eruptio per ebullitionem *corruptivam* cum febre intenſiori, anxietate, difficultate ſpirandi, urina rubra, craſſa, aliiſque gravioribus ſymptomatibus, ac minor etiam adſit malignitas. An-

te eorum eruptionem Medicus eam adminiſtrabit, ſanguis nimium ferveat, ebulliat, copia turgeſcat, cum impetu caput petat, immineant inflammationes viſcerum, adſint deliria &c. Nam hæmorrhagia narium in principio copioſa, morbum imminuit, ac natura oneris parte levata, reliquum facilius expellit, & vincit.

VI.

MEdicus V. S. quoque inſtituet in omni fluxu & evacuatione ſanguinis copioſiori, ut *hæmorrhagia narium, vulnerum, hæmoptyſi, vomitu ſanguinis, mictu cruento, dyſenteria nimium cruenta, immoderato fluxu menſium, hæmorrhoidum &c.* viribus nondum extremè debilitatis, maximè etiam ſi oriantur ex copia & orgaſmo ſanguinis. Idem faciet, in affectibus ex conſueta ſanguinis ſuppreſſione exortis, ut in *ſuppreſſione menſium, hæmorrhoidum &c.* niſi affectus jam ſint omnio inveterati.

VII.

SAnguinem præterea mittet *in catarrhis* ac *defluxionibus calidioribus*, ſero cum cruoris maſſa ebulliente & turgeſcente, affectibus *rheumaticis*, *arthritide universali*, *mania*, *melancholia*, *apoplexia ſanguinea*, id eſt, à ſtagnatione ſanguinis circa capitis vaſa producta, cum faciei rubore & venarum turgeſcentia, quæ nullo alio remedio citiùs curatur, quàm per V.S. in ipſo curationis veſtibulo ſtatim inſtitutam. Item in *palpitatione cordis*, in qua *Galen. 5. de loc. affect. c. 2.* fatetur, ſe nunquam inutiliter in hoc affectu venam ſecaſſe In *dyſpnœa*, quæ fit ſine ſtertore, & uno verbo in omnibus aliis affectibus, qui vel à ſanguinis copia, vel ejuſdem vitioſa qualitate, vel præpoſtero ejus motu oriuntur: ſicuti econtrario nullo horum urgen-

ſurgente, omittitur, ut in *phthiſi*, *hectica*, *paralyſi*, *aſcite*, *tympanitide* &c.

VIII.

ULtimò tandem pro cura prophylactica Venæſectionem ſuadebit Medicus, ſemel vel bis in anno adminiſtrandam, qui ſanguine abundant, & quibus nec integrum, nec commodum eſt, exactam ſervare diætam & clinicam agere vitam, cùm nulla alia ſuppetat ratio valetudinem ſuam tuendi, & vitam in longam ſenectutem producendi, quàm vel per exactiſſimam diætæ rationem, vel per purgationem, & V. S. Semel vel bis in anno, vere nempe & autumno inſtitutam. Qui enim ſobriè haud vivunt, ſingulis diebus aliquid crudi humoris addunt, qui ſenſim & ſenſim adauctus ac putreſcens, lethales excitat affectus, ut adeò plures fere hac de cauſa pereant.

ARTICULUS II.

De Officio Medici, in obſervandis Coindicantibus, & Contraindicantibus Veneſectionem.

I.

IN Venæſectione præcipuè obſervabit Medicus permittentia vel prohibentia, cum theſaurus vitæ in ſanguine ſit reconditus, ac *Helmontio* teſte, vires vitales & ſanguis ſint correlativa; hinc oculus dexter præcipuè ad vires, ſiniſter ad morbum dirigendus. Intelliguntur autem per vires præcipuè vitales, quæ ſunt debiles, vel per *reſolutionem*, ſeu ab immodica evacuatione, ſeu à morbi diuturnitate vel doloris atroci-

tate

tate vel labore, inedia, vigiliis &c. & cognoſcitur per pulſum continuum, parvum, languidum ac valdè frequentem; vel per *ſuffocationem* ſeu *oppreſſionem*, ab humorum copia, & cognoſcitur ex pulſu vario, confuſo & inæquali, & quòd nulla cauſa externa reſolvens præceſſerit. Sicuti igitur viribus non reſolutis, ſed ſuffocatis & oppreſſis convenit V. S. & quidem larga: ita viribus nonnihil imbecillibus, mediocris: reſolutis verò & planè proſtratis nulla, cùm non deceat exhauſtos ſpiritus vitales magis exhaurire.

II.

CUm vires inſignem à rebus ſecundùm naturam, præter naturam, & non naturalibus mutationem patiantur, de iis etiam conſiderationem inſtituet Medicus, & primò quidem *de ætate*. Ex ætatum numero ſanguinis miſſionem coindicat *ætas florens*, inter pueritiam & extremam ſenectutem media. Pueris *Galen.* Venæſectionem prohibet, eamque ante 14. annum non vult adminiſtrari; Medicus tamen in ſeptennibus, octennibus, decennibus &c. detentis morbis acutis à ſanguinis copia, ejuſque effervescentia exortis, tutam & neceſſariam judicabit, præſertim ſi validiores, venis amplis ac copia ſanguinis præditi. In admodum natu parvis tutius eſt abſtinere his in locis, quia vires in tam tenella ætate debiles, fermenta viſcerum in primo flore, unde facile exhauriuntur, habitus corporis tener ac facilè reſolubilis & perſpirabilis, ac aliud eſt in Gallia, aliud in Italia, aliud in Germania Medicinam facere.

III.

IN Senibus idem *Galen.* poſt annum 60. Venæſectionem prohibet, quia ſenes frigidi, ſicci, debiles, & ob ſanguinis ac ſpirituum penuria, ejus noxam

xam vehementer ſentiunt. Interim tamen eam admittet Medicus, morbo acuto id exigente, ac validioribus viribus exiſtentibus, quæ non ſemper dependent ex numero annorum, ſed ex muſculoſo, & bene habito corpore, cum pulſu magno & venis amplis; cavendo tamen ne decipiatur Medicus, inflatis in ſenibus venis, cum ſæpè à flatibus oriri poſſit talis venarum diſtenſio. Sicuti autem permittitur V. S. morbis acutis eam exigentibus, ita eadem in ſenibus limitatur, ut parcior fiat ejuſdem evacuatio.

IV.

MUlier, molliore habitu & frigidiori temperie prædita, V. S. minùs tolerat, quàm Vir. In Gravidis fœtus in utero etiam non impedit V. S. urgentibus præſertim morbis acutis, vel aliis abortum minitantibus, eam tamen moderatur, ratione quantitatis. *Hippoc.* enim 5. *aph.* 31. *Mulier utero gerens, vena ſecta abortit.* (intellige venæſectionem largiorem, & antiquis ad libras conſuetam, ut fœtui alimentum ſubtrahatur) Sicuti autem urgentibus morbis acutis Venæſectio in gravidis permittitur, & teſte experientia, innoxiè adminiſtratur, præcipuè à primo menſe uſque ad quintum: cautiùs verò mediis & poſtremis, & quidem in partibus ſuperioribus, ut mediana vel ſalvatella; ita eam pro præcavendo abortu, circa medium geſtationis tempus, vel ultimis temporibus pro facilitando partu, non temerè & ex conſuetudine tantùm, ſed conſideratis probè indicantibus & prohibentibus, adminiſtrandam curet Medicus; nempè in plethoricis tantùm, & copioſos aliàs menſes habentibus, ubi abortus periculum imminet à copia ſanguinis, fœtum obruente & ſuffocante, quo in caſu præſentiſſimum eſt remedium V. S. ſæpiùs etiam quandoque repetita, hinc etiam accidentia gravidis ſupervenientia, ut inappetentia, vomitus &c. cùm ex ſan-

ſanguine retento, impuro & cacochymo (meliore fœtui in alimoniam cedente) oriantur, à Venæſectione ſublevantur: immò in totum auferuntur, ſi uſque ad ſolutionem ſymptomatum ſingulis menſibus iteretur, cùm econtra à purgatione magis exacerbentur.

V.

QUoad *temperamentum*, V. S. magis coindicat *ſanguineum*, minùs *biliofum*; omnium minimè *malancholicum & pituitoſum*; quod ad *habitum corporis*, eum magis coindicat *carnoſus*, veniſque latis præditus: ſicuti econtra difficulter V. S. ſuſtinet *præpinguis* & obeſus, uti & habitus omnino raræ & *gracilis* naturæ, cum venarum exilitate, Gracilitas enim corporis, cum venarum latitudine magis permittere ſolet V. S. Quoad *anni tempus*, eam magis coindicat *vernum*: hinc *autumnale*, minus *hyemale*, ac omnium minimè *æſtivum* ac caniculare. Quoad *regiones*, largiorem V. S. tolerat *temperata*, hinc *calida & ſicca*, minimè autem *frigidior*, unde in Germania cautiùs, quàm in Italia, Gallia, Hiſpania &c. vena ſecanda, qua copioſiori, homines etiam apparenter robuſtos, in animi deliquium, cachexiam, hydropem, vel alios morbos incidere, obſervamus.

V I.

QUoad *conſuetudinem* alacriùs & leviùs Venæſectionem perferunt *aſſueti*, quàm non aſſueti & hæmophobi. Licèt autem non tanta ſit vis conſuetudinis, ut ſemel detractus ſanguis, neceſſariò dein ſingulis annis ſubtrahi debeat: præſertim ſi altero anno non adſit idem indicans, ac cauſa venæſectionis ſublata ſit; tamen ejuſdem multa habenda ratio, cùm experientia conſtet, V. S. aſſuetos ſtatis vicibus in vena pun-

pungi ſolita, titillationem ſentire, natura quaſi ad ſolitas evacuationes monente. Quoad *victum*, magis evacuandi utentes eodem *pleniori* & liberaliori: parcius *frugaliter* victitantes. Quoad *animi pathemata*, Venæſectionem impediunt *ira*, *triſtitia*, *timor*, quo etiam reducuntur *vigiliæ* ac nimius *venereorum* uſus: ſicuti econtra eam indicat *terror* ſubitaneus, pro ſuffocatione cordi ex cruoris ſtagnatione impedienda.

VII.

Evacuationes, tempore V. S. coincidentes, ſi ſint *ſanguinis*, & accedant pro quantitate cauſæ, ut ſint veluti criticæ *perfectæ*, nihil innovandum, teſte *Hippoc.* 1. *aph.* 20. ſi *diminutæ*, adjuvandæ, & V. S. adminiſtranda, evacuando tantum, quantum conjunctis evacuationibus cauſa morbifica requirit. Si nimiæ, priùs ſiſtendæ, in quem finem etiam locum habere poſſet V. S. revulſoria. Si ſint evacuationes *aliorum humorum*, ſed per *alvum*, vel *vomitum* vel *habitum corporis*, vel *abſceſſum &c.* eodem ferè modo procedendum, & criticæ perfectæ, naturæ relinquendæ: diminutæ, per loca conferentia adjuvandæ: hinc pro exigente neceſſitate Vena ſecanda.

ARTICULUS III.

De Officio Medici, in conſiderando Loco, & Quantitate Venæſectionis.

I.

Locus Venæſectionis adminiſtrandæ ſpecificatur, tum ab affectu, exigente vel revulſionem, vel derivationem, vel evacuationem, tum à ſitu partis affectæ hujus vel illius, Venæ apertionem requirentis, *Revulſio*, quæ eſt ſanguinis in quadam parte ſtagnantis, in contraria vel oppoſita evacuatio, ſi ſit *univerſalis*, contrarietatem obſervat reſpectu totius corporis, & in eo contrarios terminos reſpicit, vel à capite ad pedes, vel à dextris ad ſiniſtram & viciſſim: ita tamen, ut non ſimpliciter pars diſtantiſſima requiratur, ſed attendenda origo fluxionis, tum vaſorum communio cum parte affecta. Si *particularis* & *localis*, in uno membro contrarios terminos reſpicit, & quidem vel à parte poſteriore ad anteriorem, vel ab interna ad externam & viciſſim, licet hæc potiùs ad derivationem referenda, nec facilè in principio, corpore pleno inſtituenda. Sicuti autem revulſio ſanguinem ſtagnantem in contraria diſtantiori evacuat, dum reliquus ſanguis promptius ad venam apertam fluit, & imminuta ejus quantitate, ſanguis ſtagnans à vicinis vaſis depletis reſorbetur, ac motui circulari reſtituitur: ita derivatio in proximiori, & evacuatio ex ipſa parte affecta evacuat.

II.

CIrca Venarum electionem, ſtante circulari ſanguinis motu, non ampliùs ſuperſtitioſus ſit Medicus. Nulla enim hic ordinis prærogativa ſpecialis, neque ulla Vena datur, cujus ſectio ſpecialiter medeatur determinatæ alicui parti vel morbo. Communiter in praxi, pro evacuatione in febribus ſecatur *mediana*, utpotè tutiſſima, cui arteria non ſubjacet; vel *Baſilica* cui tamen arteria ſubjacet. *Cephalica brachii* ramus ceteris exilior eſt, minuſque in praxi obſervabilis; interim una vel altera non apparente, altera magis conſpicua aperienda, cum omnes hæ Venæ æquales ſint rivuli, ex eodem flumine ſanguinem haurientes: eadem Mediana vel Baſilica *evacuationis* cauſa ſecatur, in affectibus omnium illarum partium, quæ ſunt ſitæ inter claviculas & renes, ut *Cordis*, *pulmonum*, *epatis*, *lienis*, *ventriculis*, *renum &c.* uti etiam *revulſionis* gratia in omnibus affectibus partium inferiorum, ac etiam ſuperiorum ſupra claviculas, ut *Colli*, *faciei*, *capitis &c.*

III.

AN *dextra* vel *ſiniſtra* ſecanda, deſumitur ex habita ratione vel revulſionis, vel derivationis vel evacuationis: ſic v. g. in pleuritide dexteri lateris, ut vera fiat revulſio, ſi Medicus in principio vocetur, & adſit inſignis plethora, in ſiniſtro latere, utpote parte oppoſita Vena ſecanda. Secus & ordinariè per derivationem potiùs ex brachio partis affectæ, unde ſtatim inſigne doloris emergit levamen. Evacuationis cauſa dextra magis aperiri ſolet, niſi in affectibus lienis, ubi ſiniſtra præfertur, ut ſervetur rectitudo & vaſorum communio. In Venæſectione præſervativa, verno tempore dextri: autumno ſiniſtri

ſtri brachii vena tundi ſolet, non autem neceſſario debet.

IV.

VEna cephalica manus, & Salvatella, incidi ſolent, ſi vel in brachio nulla Vena ſit conſpicua, quæ tundi poſſit, vel virium adſit minus robur, cum tardius, & minori cum debilitate evacuent, aut majus immineat periculum ex V. S. largiori, ut in graviditate. Apertio Salvatellæ in febre quartana pluribus experimentis laudata, ſolido caret fundamento, & nulla ratione fulciri poteſt. *Vena frontis*, derivationis gratia ſecari ſolet in affectibus capitis, ut *phrenitide*, *mania*, *dolore capitis*, *ophthalmia &c.* *Venæ ſublinguales* ſeu *raninæ*, ejuſdem cauſæ gratia aperiuntur, præſertim ſi turgidæ ſunt, *in dolore capitis*, *prunella* ſeu *inflammatione & ardore linguæ*, in qua maturè aperiendæ; item in *angina*, in qua etiam, ubi febris haud adeò magna, nec corpus plethoricum, vel ſolæ apertæ, præcavent faucium anguſtiam, dum anginæ ſentitur principium.

V.

VEna *ſub genu* utriuſque cruris, ſecari ſolet in pedibus ulceratis. *Saphena*, in ſuppreſſione menſium, & exinde oriundis affectibus, licet in plethoricis & ſuppreſſione antiquiori, plures priùs ex brachio, hinc ex pede mittant Medici. *Iſchiatica*, in coxendicum dolore. *Cephalica pedis* ad pollicem, vel quæ eſt *ad minimum pedis digitum*, in affectibus capitis pro revulſione, in febribus quoque continuis, ſi adſit æſtus & dolor lumborum, cum urinis rubris craſſis, vel materia caput petat cum cephalalgia, vigiliis, imminentibus deliriis, quo in caſu poſt unam vel alteram Phlebotomiam in brachio adminiſtratam, hæc Vena pe-

edis ſecanda. Convenit etiam derivationis gratia, in ffectibus renum ac partium infra eos exiſtentium, ut eſicæ, uteri &c. Interim quod de Venis brachii, hoc tiam de Venis pedis dicendum, parùm nempe intereſ-e, vi ſanguinis circulationis, quæcunque tandem tan-atur, cum omnes ſint ramuli unius trunci, licet Medi-us ſubinde accommodare ſe debeat vulgari praxi.

VI.

QUantitas emittendi ſanguinis deſumitur ex morbi magnitudine ac virium robore, tantumque evacuandum, quantum morbus exigit, & vires tolerant. Ratione *magnitudinis morbi*, *Galen.* in febribus ardentiſſimis, maximis phlegmonibus, & doloribus vehementiſſimis, ſanguinem ad animi deliquium mittendum eſſe ſuadet, modo vires ſint validæ, quod tamen hoc tempore obſoletum, ejuſque loco repetita commendatur V. S. præſertim in paucitate ſanguinis, debilitate corporis, & ubi magis revellendum; abſtinendum etiam a V. S. *Neroniana* dicta, ſeu apertione duarum vel trium venarum ſimul & ſemel, eodem tempore.

VII.

IN *Inflammationibus*, *Hippoc.* ſanguinem ad coloris mutationem uſque mittendum eſſe jubet, ſi in prima vel ſecunda V. S. appareat crudus, pituitoſus & aquoſus, eadem continuanda uſque dum appareat rubicundus, & viciſſim; cujus præcepti obſervatio, licet in praxi ſæpè optimè ſuccedat, pertinaciter tamen coloris mutatio expectanda non eſt, cum vires priùs deficere poſſent. Nonnulli ſanguinis emittendi quantitatem, ex labeſcente fluxionis impetu ac pulſus mutatione colligunt, quæ tamen non ſemper exſpectanda, cum in robuſtioribus non niſi plurima ſanguinis jactura facta, ſuccedant.

VIII.

TUtò procedet Medicus, in quantitate ſangui emittendi detrahendi, ſi largiorem adhibea vel eam pro neceſſitate repetat, ubi major ſangui effervescentia, major ſanguinis copia, ætas floren temperamentum ſanguineum, venæ latæ & ampl regio ac tempus anni calidius: parciùs econtra, præſertim in Germania licentioſa illa & prodiga narum apertio, nonniſi urgente admodum indicatio inſtituenda, idque ſaltem permittentibus, nec cont indicantibus viribus, cùm ſanguis ſit vitæ theſaur & copioſior V. S. ſpiritus exhauriat, calorem innat diſſipet, viſcera languefaciat, cruditateſque gener hinc teſtatur experientia, aliquos ex phlebotomia piosa in morbos incidiſſe longos, nonnullos in reliq ſicæ tempus frigidos, aut decoloratos ac cache additos fuiſſe: alios incidiſſe in morbos exitiales hydropem, diſpnæam, hepatis ac ventriculi imb litatem vel tremorem, paralyſin, apoplexiam, tiſſimum igitur eſt, à Mediocritate non recedere ad ventilatoria V. S. ad Unc. 4. 5. & in evacuato ad Unc. 6. 8. 9. &c. pro una vice emittere.

ART

ARTICULUS IV.

De Officio Medici, in conſiderando Tempore Venæſectionis.

I.

CUm *tempus* V. S. aliud ſit *commoditatis*: aliud *neceſſitatis*, vel aliud ratione *therapeuticæ*: aliud ratione *prophylacticæ*; ambo quàm maximè conſideranda. Ratione curæ therapeuticæ, urgente neceſſitate, ut in angina, pleuritide vehementi, contuſione magna, caſu, hæmorrhagia enormi, apoplexia, catarrho ſuffocativo &c. nulla habenda ratio diei, horæ & temporis, ſed quantocyus adminiſtranda, etiam neglecto prævio clyſtere vel laxativo, cùm hi morbi ita ſint comparati, ut niſi iis V. S. ſubitò occurratur, æger in præſentaneum conjiciatur vitæ periculum.

II.

EOdem modo acceleranda V. S. in febribus continuis, ac ab initio ſtatim, vel ſecunda aut tertia die ſanguis detrahendus eſt, modo ventriculus vel primæ viæ nulla humoris corruptela, vel cruditate refertæ ſint, quo in caſu clyſter vel laxativum præmittendum. Nam, 2. *aph.* 29. *incipientibus morbis, ſi quid movendum videatur: move; cùm verò conſiſtunt ac vigent, quieſcere melius eſt.* Principio neglecto, etiam in augmento Venam ſecare licet, modo abſit malignitas, vireſque non ſit reſolutæ, nec proximè

 immi-

immineat criſis. In *febribus intermittentibus*, ut v. gr. tertiana, etiam poſt tertium, immo quartum paroxyſmum & ultra, commodè ac tutò Venam ſecabit Medicus, quia in his febribus interdum cacochymia multa & ſanguis paucus; interdum ſanguis à principio copioſus, & cacochymia in maſſa ſanguinea cum urina rubra, craſſa, turbida: interdum econtra; unde pro horum varietate Vena nunc citiùs, nunc tardiùs ſecanda: nunc prorſus V. S. intermittenda.

III.

IN *febribus continuis* legitimum tempus V. S. eſt remiſſio febris, ſi autem nulla ſit, ut in febribus ſynochis, eligenda hora matutina, quia tunc omnia corpora magis vegeta. In *Intermittentibus* tempore apyrexiæ Vena ſecanda. Si V. S. ſit reiteranda, & quidem evacuationis cauſa, præcipuè in acutis & morbis univerſalibus, eadem die fiat. In his enim ſubitò corpus in alium ſtatum transferendum, ac ſæpè evenit, ut morbus mox principium percurrat, ac poſtmodum V. S. ambigua fiat: ſi revulſionis cauſa, diverſis diebus repetenda eſt, ut natura contrario motui diverſis vicibus, & intervallo interjecto aſſueſcat magis. Si in uno eodemque affectu, & purgatione, & V. S. opus ſit, præſtat V. S. purgationi (intelligitur autem radicativa, non lenitiva,) præmittere.

IV.

RAtione curæ prophylacticæ, ſeu in V. S. electa, in qua commodum tempus exſpectare poſſumus, inter anni tempora, ob temperatam ejus qualitatem opportuniſſimum eſt *vernum*, teſte *Hippoc. 7. aph.* 53. ubi ait. *Quibus ſanguinem è venis detrahere convenit, iis vere ſecanda eſt vena*, hinc *autumnale*, quod etiam aliquid de calore remittit. Eligenda dies ſere-

ſerena, minimeque turbida. Horæ etiam antepomeridianæ aptiſſimæ, quia tunc temporis peracta concoctio, & ſolis ortis animum reddit hilariorem. Eligendi dies, in quibus non occurrit violenta quædam conſtellatio, aut ipſum novilunium vel plenilunium, aut quadraturum aliqua. Quoad lunam, in augmento ejus inſtituta efficacior, & commodior eſt, quam in ejuſdem decremento, quia natura priſtinas tunc temporis vires citiùs recolligit.

V.

VUlgò etiam attenditur ad ſigna *Zodiaci*, ex quibus pro adminiſtranda V. S. faventia ponunt, *arietem*, *libram*, *arcitenem* & *amphoram*, minus faventia, *taurum*, *geminos*, *leonem*, *virginem* & *caprum*; medio modo ſe habentia, *cancrum*, *ſcorpionem* & *piſces*. Sed multis præſtantibus viris, hæc ſigna ne minimum quidem valent ad legitimum Phlebotomiæ uſum, cùm jam aliquot viginti gradus à priſtina ſua ſtatione receſſerint, in quo olim Venæſectionis uſui fuerunt deſtinata. Sic pariter partitio corporis humani in diverſa *Zodiaci* ſigna, dum *arietem* capiti, *taurum* collo &c. adſcribunt, abſurda eſt & phantaſtica; hinc metus in V. S. in dictis ſignis contrariis celebrata, de nihilo eſt, cùm omnia ſint contra rationem & experientiam.

V I.

NOn approbet Medicus Tabellam hanc infra appoſitam phlebotomicam, mendaciſſimam & impoſtoriam, principio ſtolidiſſimo, numerorum nempe delirio & chimæricæ calculationi innixam, ac plurium penè manibus, & multorum calculis oberran-

rantem. Sicuti autem Medicus, Tabellæ hujus ſantoribus fungum pro crebro, ac peponem pro corde relinquit; ita ſubinde connivere poteſt, ne ob validam nonnullorum impreſſionem, ſolus metus idem efficiat, quod in morione illo aulico, qui per jocum à lictore ſic inſtituto, virga percuſſus, gladium tamen eſſe rarus, nihilominus exanimatus cecidit.

TABU

TABULA

GENERALIS

Secundum quam V. S. pro recepta ſuperſtitioſa vulgi conſuetudine inſtituitur; ubi prima dies à novilunio numeranda, ita tamen, ut ſi novilunium horis ante meridianis incidat, illas dies pro prima accipiatur: ſi autem horis pomeridianis, inſequens pro prima numeretur.

Dies		Dies		Dies	
1)		11	bona, aliis mala	21)	
2)		12	bona	22)	
3)	mala	13)		23)	bona
4)		14)	mala	24)	bona
5)		15)	bona	25)	
6	bona	16	mala	26)	
7)		17	bona, aliis mala	27	extremè mala
8)		18	bona	28	bona
9)	mala	19)	mala	29	mala
10)	mala	20)	mala	30	mala

ARTICULUS V.

De Officio Medici, in, ante, & poſt V. S.

I.

UT Venæſectio ritè inſtituatur, quædam ante, quædam in, & quædam poſt eam conſideranda. Præparatio eam præcedens conſiſtit in hoc, ut 1. præcedentibus aliquot diebus, vires crapula aut forti exercitatione non opprimantur. 2. Primarum Viarum præcedat evacuatio, morbo inducias ferente, vel ſi ventriculus ciborum ingluvie aut crapula obrutus, vel alvina regio excrementis onuſta. 3. Animus patientis excitetur, ne per mœrorem vel conſternationem motus ſanguinis impediatur. 4. Patiens reficiatur, cui præſertim eximius oris ventriculi ſenſus, per ſuccum acidiuſculum *limon. granat.* vel ovum recens ſorbile, hauſto deſuper vino generoſo, vel juſculum evpeptum, non tamen longè à Venæſectione aſſumptum. 5. Moderata fiat deambulatio & commotio membri, in quo V. S. inſtituitur. Sic præſertim altiores & profundiores habentes venas, brachium priùs commoveant, frictiones in eo inſtituant, vel grave quoddam pondus manu geſtent.

II.

PRæterea 6. Si in manibus vel pedibus inſtituatur Phlebotomia, partes hæ in aquam calidam imponendæ, ut probè incaleſcant, rubeſcant, & venæ magis conſpicuæ evadant. 7. Venæ brachii ordinariè ante prandium, niſi aliud ſuadeat neceſſitas: ſublinguales & pedum 3. vel 4. horis poſt prandium ſecari ſolent. 8. Non fiat V. S. ſtatim à ſomno: ſed hora ante pomeridiana eligenda, nona nempe vel deci-

decima &c. 9. Situs ægri ſupinus ſit ſedens, vel decumbens in valde languidis vel debilibus, aut nimium meticuloſis, vel animi deliquio obnoxiis.

III.

IN ipſa V. S. 1. Pars incidenda prona collocanda. 2. Eadem pars liganda tribus ſupra locum incidendum digitis, (in ſublingualibus ac Vena frontis, collum moderatè conſtringendum, ligatura nunc leviori, vena ſatis apparente, nunc ſtrictiori in caſu contrario, nunc dupla, ita ut una etiam infra locum incidendum inſtituatur, vena exiſtente tremula ac inconſtanti. 3. Vena oculis haud apparens, mollitie & digitorum attactu præterfluentem ſanguinem ſentiente exploranda, notanda, ac modeſtè ferienda, per tranſverſum in Venis brachii & ſublingualibus: per rectitudinem in Vena frontis & reliquis. 4. Major fiat apertura, ubi ſanguis copioſior & craſſior evacuandus, ut in melancholicis & pituitoſis: minor, ubi ſubtilior, tenuior & magis bilioſus. Inſtrumentum Phlebotomicum venarum varietati, ſitui, & foramini nunc ampliori, nunc minus amplo faciendo reſpondeat. Tutiſſimè aperitur vena ſcalpello, ſeu ferro inciſorio.

IV.

PRæterea 5. antequam Vena aperiatur, cavendum, tactu præcipuè ante ligaturam explorando, ne vel Arteria ſub baſilica latens ſecetur, & ſanguis arterioſus, tenuis, rubicundus ſaltatim egrediatur, eum maxima virium debilitate, ac metu aneuriſmatis, vel Nervus ſub mediana, vel tendo ſub utriſque, unde dolor ingens tumor, ſtupor, reſolutio, convulſio &c. 6. Vena aperta ſuperiùs vinculum laxandum, ſanguinis ſegnior fluxus, pugno arctius adducto, vel compreſſo halitu, aut excitata tuſſi vel ſcreatu, promovendus. 7. Sanguis viribus conſtantibus una vice: eis non conſtantibus iteratis vicibus;

oppreſſo interdum venarum oſculo emittendus, 8. Si ſanguis craſſus, niger, putridus effluat, fluxus minus impediendus & ſiſtendus, quàm ſubtilior, tenuior, & colore magis rubicundus, virium tamen ſemper habita ratione.

V.

INſuper, 9. dum Sanguis emittitur, 3. ſaltem pelviculis, ſtanneis, terreis, vel vitreis excipiendus, reponendusque loco, quo nec ventus, nec fumus, nec pulvis aut ſol eum afficere poſſit, 10. Imminens quandoque animi deliquium, ex timore, vel majori evacuatione oriundum, & cognoſcibile, ex remiſſiore ſanguinis fluxu, pallido faciei colore, oſcitatione oculorum vertigine, aurium tinnitu, pulſus mutatione, ſingultu, nauſea &c. tum prohibendum, vena digito ſubinde obturata, *ſal* ori indendo, labia eodem fricando, vel *aquam frigidam* ore geſtando, eamque ſæpiùs expuendo; tum præſens removendum, ſupino decubitu, ac injecta ex inſperato in faciem *aqua frigida*, vel *acet. roſ.* ſuaveolentibus nari adhibitis, exhibitione *juſculi*, vel *vin. generoſ.* cùm *confect. alk.* vel *julep. vit.* parati ex 2. *vitell. ov.* cum *unc.* 6. *vin. alb.* & *ſacch. fin. unc.* ss. 3. *gutt. ol. deſt. cinam.* vel cochl. *aqua cinam. bugloſ.* vel *cum vin. parat.*

VI.

SI loco Venæ, caſu aperiatur Arteria, illico foramen claudendum, ac *lamina ſaturni*, vel *nummus argenteus* inter 2. linteola apponatur cum forti ligatura, vel applicetur Catapl. ſtegnot. *Galen.* ex *thur. alb. pil. lepor.* cum *album ov.* hinc membrum diu extenſum ſervandum, ac in oppoſita parte pro revulſione Vena ſecanda. Si Nervus vel tendo lædatur, mox *ol. deſtillat. terebinth.* vel *ol. deſtill. cer.* calidum vulnuſculo

in

inſtillandum, vel accipiendo ad unc. 1. *ol. deſt. tereb. ſpirit. vin. drach.* 1. & *euphorb. dr.* ss. appoſito deſuper Emplaſt. *ex tereb. cer.* & modico *euphorb.* Si Vena pertuſa intumeſcat, apponatur *ol. rut.* vel *ruta oleo cocta*, vel *vin. calid.* cum *ſal. mixt.*

VII.

POſt Sanguinem ſufficienter emiſſum, vinculum enodandum, manus dilatanda, brachium extendendum, vulnus detergendum ac deligandum, ſuperpoſito *goſſypio oleo tincto*, ſi V. S. ex eodem vulnere ea die reiteranda, vel *ſplenio vino madido*, ſi Vena magis coarctanda, vel etiam *nummo argenteo* inter 2. linteola applicato, ſi Sanguis difficulter ſiſtatur; quo in caſu etiam prodeſt *crepit. lup. vitriol. uſt. goſſyp. uſt. lanug. cydon. &c.* Facta deligatione, brachium in media figura detinendum, quieſcendum; omniſque tam animi, quàm corporis contentio vitanda. Vulgus poſt V. S. ſomnum tota die prohibet, tum ne foramen nondum coalitum in ſomno aperiatur, tum ne calor exiguus interiora petens, in ſomno ſuffocetur; ſed quia primum diligenti adſtantium cura, & probè facta deligatione præcaveri poteſt: poſterius verò verum non ſit, niſi forſan immodica fuerit ſanguinis evacuatio, aut timiditas acceſſerit, quæ animi deliquium inferre poſſit; ideo nihil obſtat, quin ſaltem poſt cibum, vel paucis à V. S. horis ſomnus iniri poſſit.

VIII.

HOra una aut altera elapſa, alimentum euchymum temperanter ſumendum, ne coctio lædatur, & anſa novæ vitioſorum humorum ſaburræ adminiſtretur. Brachium eo die vehementi motu haud agitandum, vitetur aer intemperatus, moderentur ani-

animi pathemata; animus ſit hilaris, tranquillus, ſeponantur labores, & ſeria negotia, ac judicium ſanguinis, pro conſervatione ulteriori ſanitatis, non negligatur.

ARTICULUS IV.

De Officio Medici, in Sanguine per V. S. emiſſo, judicando.

I.

QUoad judicium de Sanguine miſſo ferendum; officium Medici eſt, conſiderare ejus colorem, conſiſtentiam, ac ſerum. Optimus erit ſanguis, qui benè fibroſus, æqualis ac unius ſubſtantiæ, epatis parenchyma repræſentet, ruborem cum ſplendore floridum exhibens, ſupernatante ſeroſa materia, in debita ac proportionata quantitate & qualitate.

II.

QUoad *colorem*, *ruber* & *floridus*, pauca aqua ſo perfuſus, bonam valetudinem indicat. Interim in acutis ſanguinem impensè coloratum, morbi maligni ſignum eſſe plures aſſerunt; hinc etiam, teſte *Baglivo* olim Romæ obſervatum, omnes ferè ab acutis morbis evaſiſſe, quorum ſanguis V. S. extractus, cruſta alba atque glutinoſa præditus erat: econtra mortuos, quorum ſanguis valdè rutilans erat, cum ſuperficie nimium rubicunda. *Ruber* & *ſpumoſus*, niſi ſpuma per accidens ex defluxu ſanguinis excitetur, copiam, fervorem, orgaſmum ac ebullitionem ſanguinis denotat. *Nigricans* vel *maculis nigris* ſpectabilis, ejus per lentam phlogoſin aduſtionem ac humorem melan-

cho-

cholicum, *albus* pituitam, & ſi ſimul *ſpumoſus*, multam ejus progeniem, tuſſes, raucedines, & catarrhos excitantem innuit. *Flaveſcens*, *viridis*, flavam aut retorridam bilem; *lividus*, & *cæruleus*, dolores circa lienem, ac humoris melancholici, aliorumque peccantium abundantiam; *variegatus*, inſtar marmoris, inſignem humorum in M. S. confuſionem putredini obnoxiam ſignificat. Color *cinereus* extremam aduſtionem arguit.

III.

QUoad *conſiſtentiam*, Sanguis, qui *lente* effluit (quod nonnunquam etiam provenit, vel ob foramen non ſatis amplum, vel ſanguinis copiam aut paucitatem, vel timorem, aut venas flatu turgidas) & picis inſtar digitis adhæreſcit, uti & fundo pelvicularum; ac celerrimè concreſcit, concretuſque difficulter finditur, *craſſior* eſt, ac obſtructiones indicat. *Tenuior* econtra, qui tardius concreſcit, faciliuſque finditur, & ad bacilli attactum diffluit; hinc imperfectam hæmathoſin, viſcerumque eidem inſervientium debilitatem ſignificat. Qui *variegatus* multum, pelliculam duntaxat de ſe emittit tremulam & mobilem, ſub ea continens ſubſtantiam fibris prorſus deſtitutam, vel minus cohærentem, ut attactus in partes diffluat, *putridus* eſt, ac ſanguinis corruptelam denotat. Qui *cruſta alba*, *glutinoſa*, *viſcida*, & quandoque *denſa* ac *diaphana*, ruptu & fiſſu difficili præditus eſt, *crudior* eſt, denotans portiones fermentibiles in M. S. in ſtatu cruditatis exiſtentes, perfectamque coctionem nondum adeptas.

IV.

QUoad *ſerum*, illud *modicum* & colore *pallidum* conveniens eſt ac naturæ proportionatum. N*imis copioſum*, maſſa ſanguinis veluti Inſula circumdat eidem ſupernatante, arguit, vel prægreſſum potu liberaliorem, vel obſtructionem aut imbecillitatem r num, vel viſcera ſanguinificationi dicata infirma, insufficientem per urinas aut inſenſibilem tranſpir tionem excretionem: *pauciſſimum*, aut *nullum*, ca ſas contrarias indicat *Nimis flaveſcens*, bilem ſalium lixiviorum copiam denotat. *Cæruleum & li dum*, ſplenis affectuum comes, *Album & lacteum* vel alimenta intempeſtivè & præproperè ante V. aſſumpta, & in chylum converſa, vel viſcerum h mathoſi dicatorum, & ſanguinis intemperiem ac bilitatem innuit. Sanguis *malè olens*, licet rarus putredinis ac corruptionis index, ac mortis prodrom Probitas ſanguinis in pedis vel manus ſectione calidam effuſi, dignoſcitur, tum ex laudabili ejus lore, tum ex fibris, ſanguine virgula conquaſſato parentibus, & quidem inter ſe cohærentibus, no tractu facilè diſrumpendis.

ARTICULUS VII.

De Officio Medici, in præſcribendis Reme-diis poſt judicium V. S. pro Cura Vernali, vel Autumnali.

I.

SAnguine probè conſiderato, officium Medici e pro varia ejus conſtitutione curam prophylactic in

inſtituere, & ſi humores pituitoſi, bilioſi, melancholici, putridi abundent, eos per epicraſin evacuare per Decocta, vel Nodulos laxativos; ſi obſtructiones adſint, eas tollere per Brodia alterantia, & deobſtruentia. Si fervor bilis aut ſanguinis, eum temperare per uſum Acidularum, aut ſeri lactis vel Brodiorum alteratorum; ſi debilitas viſcerum ſanguificantium, ea roborare, prout ex ſequentibus magis apparebit Remediorum formulis.

Brodium alterans. ℞. *Herb. acetoſ. endiv. cichor. petroſel. cum tot. chærefol. fl. borag. pimpinell. ſanguiſorb. an. q. pl. M. S.* Species pro brodio herbarum, quarum manipulus unus coquatur in brodio carnis, poſtea coletur per linteum & reddatur acidum ſucco citri, aut conteratur in ipſo ſequens pulvis.

℞. *Pulv. epat. rub.* vel *cryſt. tart. unic.* ss. ſubinde etiam addi poteſt aliquid de *ſal. abſinth.* vel aliis ſalibus digeſtivis. Pulvis pro brodio herbarum, de quo tres cuſpides cultri plenæ ipſi immittantur. Continuentur hæc Brodia, ad *unc. vi.* per 14. circiter dies.

Species pro Vino. ℞. *Herb. recent. acetoſ. chærefol. dracunc. hort. pimpin. ſanguiſorb. fl. borrag. meliſſ. an. q. pl. abſinth. parùm* M. S. Species, ſive herbæ recentes pro vino, quarum manipuli duo immittantur in ampullam vini albi unius menſuræ, ſiſtatur per aliquod tempus, & de eo ſumatur ſemper primus Potus per Menſem Maji.

Nodulus laxativus. ℞. *Fol. ſenn. ſ. unc.* ss. *agar. crud. inciſ. & conquaſſ. rad. mechoac. craſſe pulveriſ. an. unc.* ss. *z. z. inciſ. drach. 1.* ss. *herb. card. ben. agrim. ceterach. ſummit. abſinth. fl. borrag. anth. an. p. 1. cort. cit. inciſ. drach. 1. ß. M. inciſ. & contuſ. dentur ad Nodul. ex ſind. alb.* S. Nodulus herbarum laxativus pro una & dimidia menſura vini, & una dimidia menſura aquæ fontis, aut aquæ cichoreæ vel boraginis diſtillatæ, de quo mane bibatur octava pars ſumtis primum, aliquot cochlearibus brodii carnis aut juſculi vitellorum ovorum.

Alius

Alius: ℞. *Rad. cichor. dr. iij. fœnic. enul. polyp. q. an. dr. ij. herb. abſinth. Rom. card. b. chamæd. cent. min. adjant. aur. an. p.* 1. *fol. ſenn. ſ. unc.* 1. ss. *rhab. el. agar. troch. an. dr. ij. paſſul. min. unc.* 1. *cinam.* vel *galang. min. dr. j. ſem. aniſ. ſcrup. iv. crem. tart. dr. ij.* ss. *M. inciſ. & contuſ. ad Saccul. exſind. rub.* S. Nodulus herbarum laxativus: cui affundatur una & dimidia menſura vini albi, & una dimidia menſura aquæ bullientis, relinquatur in loco calido per 12, aut 24. horarum ſpatium, poſteà aſſervetur in cella vel cubiculo, de quo bibatur quotidie pars octava vel paulum minus.

Decoct. laxativum ℞. *Tulp. tamarind. unc.* 1. *rhab. fol. ſen. ſ. an. dr. vj. paſſul. min. unc. iii. ſem. fœnic. contuſ. dr. i.* ss. *coq. in aq. font. lib. iv. ad lib. ii. Col. detur. ad uſum.* S. Decoctum laxativum pro purgando Sanguine, de quo mane ſumatur octava pars, vel aliquantum plus quam medium octavæ partis die accipiatur.

Pulvis digeſtivo-laxativus, ℞. *Crem. tart.* vel *pulv. epat. rub. ſcr.* 1. *ſal. abſinth. gr. vj. ſcam. ſulph. gr. vii. x. xij. &c. ol. deſt. mac. gut. ij. M. f. Pulv. dentur* 4. *doſes.* S. Pulvis digeſtivo-laxativus de quo ſumatur quotidie una doſis, vel diebus alternatis mane, jejune in brodio, vel in potu aquæ mineralis, cujus poſteà bibatur una ampulla.

Alius ℞. *Fol. ſenn. ſ. tart. alb. an. unc.* 1. *ſem. aniſ. caryoph. cinam. galang. an. dr. j. diagryd. dr. ij. M. f. Pulv.* S. Pulvis laxativus purgans ſanguinem de quo drachma, aut media drachma quandoque ſumatur.

Serum lactis. ℞. *Ser. lact. cum ſucc. cit.* vel *tamarind.* vel *crem. tart.* vel *acet. parat. depur. & clariſ. unc. vj. viij. x. lib.* 1. *&c. eſſent. cit. q. ſ. pro grato odore. Detur. per* 14. *dies* vel 3. *ſeptim.* S. Serum lactis, mane jejune bibendum. & poſtea per unius horæ ſpatium deambulandum.

Serum lactis magis compoſitum. ℞. *Rad. cichor.*

ſcorz.

ſcorz. herb. endiv. acetoſ. fumar. cuſcut. cochlear. beccabung. chærefol. pimpin. ſanguiſ. fl. borrag. an. q. pl. M. S. Species pro Sero lactis herbarum. De quibus manipulus unus vel duo ebulliantur in potu lactis captæ aſpergatur ſuccus citri vel acetum, & coletur per linteum.

Serum lactis *Fonſecæ*, Magnatibus familiare, & guſtu gratum. ℞. *Tamarind. unc. iij. aq. frag.* (vel *alterius deſtillat.* vel *aq. font. lib. v.*) *terantur in mort. lapid. ut nuclei denudentur, & auferantur, aquam ſenſim affundo :* hinc ℞. *lact. caprill. lib. iv. ebull.* tum *affund. dilutum tamarind. coque ſimul parum ſine agitatione ollæ, in vaſe terreo vitreaceo, donec partes caſeoſæ ſequeſtrentur,* hinc *refrig. col. per lint. depur.* 2. *album. ov. ac ultimò filtretur per chart. aromatiz. eſſ. cit. q. ſ. ad grat. odor.*

CAPUT III.

De Officio Medici, in Affectibus requirentibus Arteriotomiam, Cucurbitulas, Scarificationem, Hirudines, Veſicatoria, & Fonticulos.

ARTICULUS I.

De Officio Medici, in adhibenda Arteriotomia, & Cucurbitulis, ſine & cum ſcarificatione.

I.

LIcet aliàs ex communi Practicorum experienti[a] aſſuetum tantum ſit, aperire Venas, factu[m] tamen, ut etiam aperientur *arteriæ*; ſic Ga*len.* earum inciſionem commendat, in Capit[is] calidis, affectibus, ut v. g. in diuturnis Capitis dolori[bus] calidis, & ſpirituoſis, ut cephalalgia hemicrania, [in] calidis & acribus oculorum defluxionibus, ac ophth[al]miis contumacibus, in vertiginoſis, phreniticis, in flu[]xionibus à temporibus ad dentes, & à dentibus vic[iſ]ſim ad tempora, præſertim ſi adſint dolores tempor[um] fixi, cum pulſu arteriarum notabili.

II.

UT autem Medicus hoc in paſſu cautus ſit, ac ritè ſuo fungatur officio, cùm res periculo non careat, tum ob metum inſignis hæmorrhagiæ, tum ob difficilem ratione pulſus conſolidationem, & aneuriſmatis superventum, obſervabit. 1. *Arteriotomiam* nonniſi in difficillimis, & inveteratis morbis, qui aliis non cedunt auxiliis, eſſe exercendam, & non niſi urgentes neceſſitate, ac præmiſſis univerſalibus, 2. Arterias tantum minores aperiendas eſſe, ut v. g. prope aures vel in temporibus, cum in majoribus prædicta pericula magis metuenda ſint. 3. Eam non inſtituendam in debilibus, quos præſtat aliis auxiliis curare, quàm partibus ſanguine & ſpiritu privatis, in certum periculum deducere 4. Tantum ex ſecta arteria emittendum ſanguinis, quantum effluit, niſi ſit nimium, hinc vulnus conſolidandum appoſito Emplaſt. *ex aloe, thur. ſarcocoll. bol. Arm. pil. lepor. cum album. ov. except.* vel *terra vitriol. dulc. cum terr. ſig. album. ov. except.* 5. Arteriotomiam inveteratos, alioſque præternaturales affectus citiùs curare, quàm V. S. tum quia arteriæ omnem omninò diſtribuunt ſanguinem, ſicque natura omnem ſarcinam per arterias expellit, & quidem multò velocius; tum quia à flatulentu & calido ſanguine arterioſo plurimi producuntur, & foventur morbi.

III.

CUcurbitulæ vel applicantur cum ſcarificatione, inciſa cute, vel integræ ſine ſcarificatione. Sine hac locum habent 1. in nimio fluxu menſium, infra mammas appoſitæ; ex *Hippoc.* 5. *aph.* 50. *mulieri ſi placet menſtrua ſiſtere, cucurbitulam quam maximam ad*

mammas appone. 2. Ad femur & crura prò ciendis menſibus, in quem finem etiam frequentiùs ſcarificatæ ſimul proſunt. 3. Contra urinæ ſuppreſſionem realem, & in calculo jam in ureterem delapſo, ubi juxta ductum ureterum applicatæ, & verſus inguina tractæ, calculum ſubinde transferunt, dolores leniunt, & urinæ fluxum cient.

VI.

PRæterea 4. locum habent in hæmorrhagia narium, hypochondriis applicatæ ſed cautè, ne ſequatur inflammatio; item pedibus, ex obſervat. *Foreſt.* Uſitata etiam admodum, & proficua in hoc caſu ventoſa magna ad nucham applicata. 5. Valent ad dolorem ſtomachi, & inteſtinorum a flatibus oriundum, quo in caſu, teſte *Galen.* incantamenti inſtar ſubinde juvant. 6. Ad motum ciendum ſtagnanti ſanguini, ut dum in apoplexia futuræ coronali applicantur. Affigi ſolent aqua calida priùs madidæ, & ad ignem candelæ calefactæ præmiſſa frictione partis per lintea calida.

V.

CUucurbitulæ cum ſcarificatione, cum ſanguinem ex cute evacuent, eòque effuſo, alius vaſis majoribus in capillaria effundatur, hoc modo totum quoque corpus evacuant, ſicque haud immeritò V. S. vicaria appellantur, & applicari ſolent. 1. Ubi V. S. locum non habet; vel ratione virium ægri, ut in pueris, gravidis, ſenibus aut morbo longinquo, vel acuto fractis, cum non confertim, ſed paulatim & ſenſim evacuent; vel ratione lipothymiæ imminentis; vel ratione difficultatis ſecandi venas. 2. In partibus gangræna affectis pro humoribus impactis, & corruptis eliciendis. 3. In partibus acri fluxione tentatis.

4. Pro

4. Pro veneno a cane rabido, aut aliis animalibus venenatis immiſſo extrahendo. 5. Pro menſibus ciendis. 6. Pro oculis fluxione tentatis. 7. In febribus malignis petechialibus.

VI.

LOca frequentiora applicandarum Cucurbitularum, ſunt in dorſo, regio interſcapularis & lumbi. In brachio, humero, in pedibus femori & furis affigi ſolent. Quantitas ſanguinis extrahendi varias pro morbi vehementia, & cauſæ morbificæ ratione. Parva & minima eſt, ad unc. ij. vel iij. mediocris, ad unc. iv. v. ſumma, ad unc. x. xij. Ubi morbi magnitudo urget, applicandæ copioſiores & majores jamdum ſanguine repletæ, iterum removendæ, ac denuo poſt repetitas ſcarificationes imponendæ, & foramina altius infligenda: in minori affectu, minores & paucæ cucurbitulæ ſufficiunt, nec eas cum ſcarificatione repetere opus eſt.

VII.

SCarificatio nunc eſt ſuperficiaria, nunc profundior. Quando craſſior ipſa cutis, ſanguiſque evacuandus profundius deliteſcit, perficitur phlebotomo ſeu ſcalpello, parte prius fomentata aqua tepida, aut propè fornacem calefacta, admotis poſtmodum cucurbitulis vel ſolum calefactis, vel juxta Belgas cum flamma, quæ potentius quidem trahunt, ſed majorem ægris cauſant timiditatem. Eadem peracta, loca ſcarificata abluenda aqua tepida, & plagulæ pauco ſevo obliniendæ.

VIII.

SIcuti Scarificationem menſtruatim ex conſuetudine tantùm inſtitutam, tam prodigaliter vitæ noſtræ inæſtimabilem theſaurum, Sanguinem nempe profundentem. Medicus nullatenus approbet: ita moderatum ejus uſum, urgente præſertim neceſſitate, minimè damnet, cum experientia teſtetur, multos provectæ ætatis homines, ſine nullo damno, hoc præſidii genere uſos fuiſſe; neque verum eſt, ut vulgo dici ſolet, illum ſcil. qui ſemel ſcarificaverit, pro totam vitam illud continuare neceſſe habere, niſi in vitæ periculum ſe præcipitare velit, cum experientia contrarium teſtetur. Hinc etiam *Mœb. in hiſt. de feb. petech.* affirmat, puerum 8. annorum crebrioribus ophthalmiis, & fluxionibus oculorum obnoxium, ſuaſu periti cujuſdam Medici, Scarificationibus per ſingulos menſes bis uſum fuiſſe, eaſque ad 10. ætatis annum feliciter continuaſſe: ceſſantibus autem his affectibus, eundem ceſſaſſe etiam ab ipſarum uſu, abſque ulla morborum invaſione.

ARTICULUS II.

De Officio Medici, in præcipienda applicatione Hirudinum.

I.

HIrudines ſeu Sanguiſugæ, non ſecus, ac Scarificationes, capillaria pariter venarum & arteriarum aperiunt vaſa, ſicque ſanguinem evacuant, eas tamen in hoc antecellere videntur, quod paulatim & ſenſim evacuando, minorem creent moleſtiam, plus inſuper afferant emolumenti, cùm hirudines ſa-

ſanguinis ſint appetentes: cucurbitulæ verò ſæpè loco ſanguinis, aquoſus tantum & ſeroſos humores evacuent.

II.

APplicari ſolent Hirudines, vel totius corporis evacuandi gratia, vel ob morbum membri alicujus privatis, Quoad primum, veteres præſertim in gravidis, pueris, ſenibus, acuto morbo detentis, venæſectionis uſu contraindicato, applicabant eas ad venas majores, ut medianam, baſilicam &c. Quoad alterum, Hirudinibus uſi fuerunt tanquam vero topico remedio, hinc præmiſſis univerſalibus, imponebant has in omni arthritide ſupra locum affectum, coxæ in doloribus Iſchiaticis, in abſceſſibus, cutis fæditatibus, malignis tumoribus, vulneribus, morſibus venenatis; item ad illas partes, ubi V. S. & cucurbitulæ nequeunt applicari, ut v. g. naribus, labiis, pudendis &c.

III.

HOdie uſus earum non adeò frequens, cùm, ſi ſanguis univerſaliter ſit evacuandus, id fiat per V. S. ſi particulariter, per ſcarificationem, niſi applicatio ad venas hæmorrhoidales, quæ frequentiſſima, ad imitationem naturæ, in nonnullis corporibus eas ſponte & periodicè, ſummo cum ſanitatis emolumento aperientis. Ex *Hippoc.* enim in *epidem.* ij. quibus Hæmorrhoides profluunt, neque pleuritide, neque pulmonis phlegmone, neque phagadæna, neque furunculis, neque terminthis, neque lepta, neque vitiliginibus albis corripiuntur, immò ex eodem 6. *aph.* ij. *Melancholicis & nephriticis hæmorrhoides ſupervenientes, bonum ſunt*, & 6. *aph.* 21. *Infantis, ſi varices, vel hæmorrhoides appareant, inſaniæ fit*

ſolutio. Prætereà præſervare dicuntur a morbis a Melancholia vulgo derivatis, ac dantur etiam exempla plurium virorum longævorum ex periodico hęmorrhoidum fluxu, ut adeo venæ Hæmorrhoidales non ſine ratione quibuſdam dicantur *venæ aureæ*.

IV.

CUm igitur natura ſponte ſua venas Hæmorrhoidales cum emolumento refert, æquum eſt, ut ars imitatrix idipſum efficiat, quare earum apertio, cum utilitate præſcribenda erit a Medico, in mania, melancholia, affectione hypochondriaca, ſcorbutica, palpitatione cordis, ſcirrho lienis, affectione arthritica, nephritica, affectibus etiam pectoris, cum ſuppreſſos illos excitet, teſte *Hipp. 6. aph.* 12. dum ait: *diuturnas curanti hæmorrhoides, niſi una quæpiam ſervetur aperta, periculum aquæ inter cutem aut tabis impendet*. Item in ſuppreſſione menſium, dum ſanguinem in vaſis uteri, propter copiam & craſſitiem infarctum, ad orificia venarum ſedis trahunt, vi vacui.

V.

SIcuti autem ex *Galen.* non adeò tutum eſt, naturam evacuationi per hæmorrhoides aſſuefacere, cum periculoſus ſit exceſſus, ſeu ſanguis ſupra modum excernatur, ſeu ſupprimatur; ita, licet earum apertio in multis magis morbis proſit, nunquam tamen eadem temerè tentanda, ſed diligenter advertendum, num prius fluere conſuetæ fuerint, & modo ſuppreſſæ morborum cauſa exiſtant, vel ſanguis alias affectet vias & exitus, vel an natura eò tendat, quod per earum intumeſcentiam, dolorem, pruritum, vel aliquot guttulas ſanguinis effluentis innoteſcit, quo in caſu earum apertio majori cum emolumento celebrabitur.

VI. Pars,

VI.

PArs, cui applicandæ Hirudines, linteis aqua nitroſa madidis abſtergenda, hinc aqua dulci abluenda, & ſiccanda denique aliquot guttulis ſanguinis columbini irroranda, vel ſaccharo pulveriſato fricanda; poſtmodum Hirudines, & quidem non venenoſæ, ſed præparatæ, & ritè electæ, ſeu per fiſtulam, ſeu per cucurbitulam, ſeu manu ipſa mediante linteo albo, & mundo comprehenſæ, parti applicantur, & quidem in ano poſterius coccygem verſus in affectibus lienis: exterius vero magis, ubi venam cavam deplere animus. Applicatæ Hirudines prius non removendæ, niſi per ſe decidant, maturato tamen, ſi placet eorum caſu per aſperſionem nitri, ſalis, vel cineris. Poſtquam ceciderunt, pars ſpongia aqua calida imbuta fovenda, vel in vapore aquæ continenda, ut ſanguis per foramen apertum fluere poſſit, per 2. vel 3. horas, pro viribus ægroti, collocando v. g. patientem ſupra ſolium ferventis aquæ, cui vaſculum innatet ſanguinem deſtillantem recipiens.

VII.

EVacuandus ſanguis ad unc. iv. v. ſi mediocriter agendum: ad unc. x. ſi ad ſummum. Si foramen caſu ante tempus coaleſcat, fluxus promovendus, vel per alias ſubſtitutas Hirudines, vel Cucurbitulam ano affixam, cujus ope ſanguis in debita copia excerni poſſit, ſi nimium fluat, ſiſtitur *linteo combuſto* parti benè abſterſæ applicato, vel *gallis uſt.* aut *goſſyp. combuſt.* Vulnuſculum quandoque conſolidatu difficile, *theriac. vino commiſta* crebrius detergendum; Hirudo, ſi fortè caſualiter anum irrepſerit, digito ſtatim eruenda, vel aqua ſalſa calida, clyſteris modo aliquoties injecta, eluenda & elicienda.

ARTICULUS III.

De Officio Medici, in præcipienda adminiſtratione Fonticulorum.

I.

C*Auteria*, *Fonticuli* ſeu *Fontanellæ*; licèt per ſe tantùm pus plorent, ex ſanguine & nutrimento rorido loci fonticulo exulcerati in pus mutato, nihilominus tamen præter hoc etiam varia ſalia ſanies ac ſordes, vitio vel læſæ in ſanguine fermentationis, vel depravatæ cujuſdam partis nutritionis emergentes ſimul evacuant, & revellunt, idque non rarò cum ſenſibili, in morbis Chronicis præſertim ex colluvie ſeroſa, ac lymphæ vitiis natis, ægrorum levamine, materia ichoroſa & ſeroſa acri ſale imbuta, ſenſim educta.

II.

COnveniunt igitur Fonticuli, in cephalæa, epilepſia, præſervatione ab apoplexia, & affectibus ſoporoſis, vertigine, paralyſi, læſione viſus, auditus, defluxionibus catarrhalibus ad oculos, nares, palatum, dentes, fauces, pulmones, unde etiam in thoracis affectibus, ut raucedine, aſthmate, tuſſi, perniciem minitantibus commodè excitantur, uti etiam in phthiſi incipiente, prophylacticè pro humorum ſalſorum, & acrium affluxu capite divertendo. Prætereà in morbis lieni vulgo adſcriptis, teſte experientia, ut mania, melancholia, palpitatione cordis, affectione hypochondriaca, ſcorbutica, affectibus hæmorrhoidum, ſummum afferunt levamen, ut ſi hujus tetri humoris motûm è cerebro ad inferiores partes ignobiles re-

vel-

vellere volueris, Fontanella in levo crure aperienda ſit.

III.

LIcet Cauteria maximè proſint, ubi ſerum ſeu latex plùs nimiùm abundat, cum archæus à reſtagnante latice oppreſſus, ab evacuatione per cauteria melius vivificatus, vires inſperato reaſſumat, ſicque etiam in hydrope videantur eſſe proficua, nihilominus cautè his utendum. Nam ex *Hippoc. 6. aph. 8. aqua inter cutem laborantibus, exorta in corpore ulcera, non facilè ſanantur*; hinc iis utendum, ubi crura nondum ſunt tumida. Præterea conveniunt in affectu Iſchiadico, in affectibus uterinis vitio menſium exortis, fluore albo, paſſione hyſterica, pedibus ulceroſis, pro affluxu intercipiendo, ac uno verbo omnibus aliis affectibus, in quibus vel totalem cruoris maſſam vel laticem minuere, aut revellere, vel derivare decretum eſt.

IV.

IN horum adminiſtratione, obſervet Medicus, 1. Fonticulos ſenſim, & ſenſim operari, ſicque magis tantum convenire in morbis Chronicis. 2. Cum uſtio ſit inter remedia extrema, non deveniendum eſſe ad Fonticulos, niſi ubi præſidia mitiora nihil profeciſſe videmus, aut non profutura exiſtimamus. 3. Corpus prius per purgationem, & V.S. ſi opus, diſponendum, & præparandum eſſe. 4. Ratione anni temporum, ſi morbus inducias ferat, vernum eſſe omnium maximè aptum, & quidem declinante luna. 5. Ratione ætatis pueros tenellos, & ſenes decrepitos non facilè tolerare fonticulos, niſi urgeat morbus valdè gravis, ut Epilepſia, Apoplexia, Catarrhus ſuffocativus. 6. Eoſdem minus convenire emaciatis, & morbo depreſſis, magis verò obeſis, edacibus &c.

V. Quoad

V.

QUoad loca Fonticulorum, demonſtrantur hæc à ſcopo, vel evacuationis, vel revulſionis, vel derivationis; obſervata tamen ubique rectitudine vaſorum, partis affectæ cum loco fonticuli. Sic v. g. in nucha inter 2. & 3. vertebram, loco moleſtiſſimi veterum ſetacei poni ſolet, pro capite & oculis. In brachio, & quidem in Interſtitio inter muſculum deltoidem, & bicipitem. 5. Digitis, à flexura pro affectibus capitis, vertigine, apoplexia, affectibus oculorum, aurium, faucium & laryngis &c. In Cruribus vel ſupra vel infra genu in parte interna, ubi faſciæ crurales ligantur, in affectibus uteri, menſium, lienis, hæmorrhoidum malo Iſchiadico, aliarumque partium medii & infirmi ventris R. R. etiam in bregmate, ſeu ſincipite aliquem ponunt, pro humoribus à cerebro ad exteriora evocandis, item intra ſcapulas. Item intra ſeptimam thoracis vertebram, intra coſtas, pro vomica pulmonum; ſed hi minus uſitati.

V I.

EXcitatur Fonticulos vel *ferro*, dum ſimpliciter cutis elevata ſcalpello inciditur, foramen debitæ magnitudinis faciendo, quod ad ſuppurationem deductum, fonticulum ſuggerit, vel *igne actuali*, per ferramentum ignitum ad debitam profunditatem intruſum, vel *igne potentiali*, ſeu medicamento *corroſivo*, vel *alcalino* ex cineribus, quod tamen non ita commodum, quia facilè liqueſcendo, locum exulcerationis mutat, vel *acido*, v. g. per *cryſtallos lunares*, quantitate piſi, vel *butyr. antimon.* ad gut. v. vel vj. pennæ anſerinæ loco, ubi excitandus eſt Fonticulus impoſitæ, vel *globulo ligneo*, hora una ante fonticuli parationem *aqua forti* impregnato.

VII. Ex-

VII.

EXcitato Fonticulo, eſchara & caro mortificata, butyro vel unguento digeſtivo ſeparanda, & ſi exciderit, ac ulcus ſatis dilatatum fuerit, globulus ex ligno hederæ, vel cera, vel radice Ireos, vel piſum majus, aut galerus argenteus aut inauratus imponendus, ſuperimpoſito Empl. diapalm. vel ſparadrapo: hinc locus deinceps lamina, ſubdito minuto pulvinari arctius conſtringitur, quo profundior fiat Fonticulus. Si non ſufficienter ploret, globulus indi poteſt ex *rad. gentian.* vel fortior ex *rad. elleb. nig.* vel ex *hedera* inuncta *Balſ. ſulph.* vel ex *cera* & pauco *Mercur. præcipit.* quo etiam nihil melius ſordidos, & putridos Fonticulos mundificat; vel ex *cera & cantharid.* caro in Fonticulis luxurians, optimè abſumitur, inſperſo *alumine uſto*.

VIII.

FOnticulos nunc excitatur unus tantum; nunc ſimul duo, in affectibus præſertim contumacibus, uti Practicorum aliqui aſſerunt: quo in caſu communiter obſervant, ut vel decuſſatim applicentur, id eſt, v. g. unus in brachio dextro: alter in crure ſiniſtro, vel viciſſim. Præſtant ſubinde etiam duo in quovis latere, ne unum magis exinde debilitatum, totum humorum impetum eo trahat, ac hemiplexia quandoque excitetur. Ad cauterii diu jam geſtati clauſuram, non facilè Medicus conſentiat, niſi vel æger ætatis magnum habeat adminiculum, vel membrum fonticulum getens gracileſcat, vel fluxione copioſiori tentetur, ac ulcus evadat ſordidum, aut malignum, vel ſi ſupra articulum deſcendat, vel ſponte exſiccetur. Tum vicariæ ſingulis menſibus ſubrogandæ evacuationes, ſeu per purgationem, ſeu per ſudorem, ſeu per alia loca.

A R-

ARTICULUS IV.

De Officio Medici, in præſcribendis Remediis, pro uſu, & adminiſtratione Fonticulorum, uſitatis.

I.

LApis ſepticus ruptorius. ℞. *Ciner. clavellat. calc. viv. ciner. fag. vit. an. p. æq. F. lixiv. fort. & inſpiſs. ad formam lapid.*

Lapis infernalis, ſeu Cryſtall. lunar. ℞. *Limat. argent. unc. ij. aq. fort. duplum vel triplum, ſolve, ſolutio abſtrahatur in cucurbita, caput mortuum, quod formam ſalis repræſentat, calcinetur in crucibulo amplo, donec materia non ampliùs ebulliat, hinc igni parum augeatur, ac materia effundatur in vas calidum. Refrigerata quaſi lapidem repræſentat, ſed friabilem, aſſervandum in loco calido & ſicco. S. ut ſupra.*

Lapis cauſticus *Heurnii*, ſeſqui horæ ſpatio cutem perforans. ℞. *Vitriol. uſt. un. ij. ſal. armon. unc.* 1. *calc. viv. ciner. é fæce vin. an. unc. iij. tritis atque permixtis affunde lixivium ficulneum, vel tithymalinum, quod ſubinde colatur, dum iſtorum materia feré diſſoluta ſit. Lixivium dein in olla nova aperta coquitur, ac ferveſcit, dum craſſeſcat ac lapideſcat. Recondatur in loco ſicco, in ampulla vitrea & obturata.*

Unguent. digeſtivum. ℞. *Tereb. Venet. unc.* ss. *vitellior. dr. ii. croc. orient. ſcr.* ss. M. S. Unguentum digeſtivum, quo à principio fonticuli utendum uſque putredo excidat.

Sparadrapum. ℞. *Cer. flav. unc. ii. ol. oliv. unc.* 1. ss. *tereb. unc.* 1. *fluent in tigillo, inſpergendo ceruſſ. dr.* ss *obſervando, ne materia nimis ferveat.*

Aliud

Aliud. ℞. *Ol. roſ. unc. ij.* ss. *cer. alb. vel citrin. unc. ĳ. ſev. cerv. dr. x. M. F. Sparadrap.*

Aliud ℞. *Ol. oliv. lib.* 1. *min. lib.* ss. *coq. ſuper lento igne ſemper agitando donec incipiat fuſco colore tingi: hoc facto in alio cacabo liquefiat cer. citrin. lib.* ss. *M. cum priori materia, & coq. omnia ad juſtam conſiſtentiam, amotis ab igne, add. camph. raſæ unc.* ss. *tege, donec camphora liquefiat, nec odor evaneſcat. Ultimo ſcindatur ex charta papyracea longa 3. tranſverſorum digitorum lata, ducantur per dictum cerat. liquid. & f. cum forfice Emplaſt. debitæ magnitudinis.*

Aliud viride. ℞. *Seu. birc. cer. cit. an. unc.* 1. ss. *ol. roſ. dr. vj. coloph. unc.* ss. *virid. ær. ſcrup.* 1. *M. intingatur tela quartarium ulnæ lata & 6. longa.* Quidam loco Sparadrapi utuntur *Empl. Noribergenſi*, alii ſola *cera alba* & ſi fonticuli ſordes & putredinem contrahant, *addita cera viridi.*

Globuli cauſtici Fonticulos apertos ſervantes, eorumque fluxum promoventes. ℞. *Virid. ær. gr. xxij. rad. gent. canthar. pulv. an. gr. xvj. cum cer. alb. dr.* 1. ss. *f. Globuli ut Piſa majora.*

Cerat. *Sculteti*, Fonticulos ab omni ſymptomatum injuria vendicans. ℞. *Cerat. de ceruſſ.* ſeu *alb. coct. unc. xij. pulv. ceruſſ. unc. iv. thur. tragac. an. dr. vj. Ir. flor. benz. an. dr. v. ſtyrac. liq. ol. ſpic. odorat. an. dr. ij. ſapon. Ven. unc. ij. cer. unc.* M. S.

Aliud Magni Ducis Hetruriæ. ℞. *Succ. heder. lib.* 1. *nicotian. unc. iv. tereb. reſin. pin. ung. roſ. Meſ. cer. cit. unc. un. iv. pulv. cyper. odorat. drach. ij.* ss. *ceruſs. ol. unc. iv. M. f. Cerat. S. ut ſupra.*

ARTICULUS V.

De Officio Medici, in præcipienda applicatione Veſicatoriorum.

I.

QUòd fonticuli, pedetentim, hoc Veſicatoria faciunt confertim, adeoque ferè urgentiori in malo, & ubi præſentaneum magis indicante auxilium, hæc ipſa in uſu vocantur. Exſerunt vim ſuam tum revellendo, tum evacuando, & quidem tum excitando dolorem, quatenus acribus ſuis particulis, fibras irritant, unde ex fibrarum concitatione tremulatione & fibratione, provocatur eò, ac citius fertur ſpirituum impetus, unde in loco prius male habente, per ſpirituum a dolore veſicante alio avocatorum motum, fit alteratio, & ſucceſſiva correctio cauſæ morbificæ, atque ita per accidens prioris ſymptomatis curatio; tum evacuando, quatenus ſalinæ Cantharidum particulæ hinc inde pungunt, vellicant, & rorem partis nutritium, aut etiam M. S. penetrant, attenuant & colliquefaciunt, ſicque etiam particulas heterogeneas & excrementitias, eidem non ritè permiſcibiles, ibidem ex arctatis poris & conſtrictis meatibus hærentes, evacuant.

II.

QUam maximè igitur conveniunt Veſicatoria in diatheſi ſanguinis craſſa, viſcida, & ad coagulationes & ſtagnationes diſpoſita, ac affectibus inde oriundis, veluti in cephalalgia, apoplexia, & affectibus ſoporoſis, paralyſi, epilepſia, in morbis convulſivis, & affectibus nervoſis ſine febre, ad ardentem in-

inclinante, oculorum pathematibus, ut ſuffuſione, gutta ſerena, ophthalmia &c. In dolore dentium, in catarrhis ac defluxionibus, irruptionem comminantibus in pulmones, vel aliam nobiliorem partem; vel in nares, oculos, fauces, pectus &c. in doloribus fixis, chronicis, & acriter partem aliquam divellentibus, ut v. g. dolore iſchiadico. Item in petechiis, vel variolis retrocedentibus.

III.

IN Febribus continuis & malignis non promiſcuè ſtatim applicanda, ſed obſervandus ſtatus ſanguinis. Sicuti enim in diatheſi ejus craſſa, viſcida & ad coagulationes, ſtagnationeſque diſpoſita, quæ exiliſſimo pulſu, extremitatibus frigidis, anxietate, ad morbos ſoporoſos propenſione, aliiſque coagulationis indiciis ſtipata eſt, maximè proficuos afferunt effectus, & quidem multò magis, ſi tempus hyemale, temperies ægri ad humidum inclinans, habitus pinguis &c. Ita econtra in conſtitutione ſanguinis acri, & colliquativa, ubi febris plus minus ardens; ac magna adeſt ſanguinis agitatio, & impetus, quam maximè nocent: dum accedunt convulſiones, deliria majora, febris maximum incrementum, ac tandem mors, eoque magis, ſi habitus ægri gracilis, ac tempus adſit æſtivum; hinc delirantes cum febre acuta, & lingua arida, ex uſu Veſicatoriorum plerique moriuntur, & quidem convulſi.

IV.

EX obſervatione *Georg. Bagliv. de uſu & abuſu veſicant. c. 3.* in Pleuritide, ubi circa quintum vel ſeptimum, vel aliis intermediis diebus apparet magna ſpirandi, & expectorandi ſputi difficultas, patientem in ſummum vitæ diſcrimen conjiciens, irritis

aliis, duò Veſicantia tibiis, vel cruribus admota; non ſolum expectorationem (quæ primaria criſis morborum pectoris) promovent ad ſtuporem ferè, ſed etiam ſpirandi difficultatem leniunt, cum morbi mutatione in melius, acri cantharidum ſale incipientes coagulationes ſolvente, ac humores priſtinæ circulationi reſtituente. Idem ſentire videtur *Hippoc. l. 2. progn.* 67. dicens: *in Pulimoniis, quicunque tumores fiunt in crura boni, nec poteſt aliud quidquam melius accidere, præſertim ſi mutato ſputo ſi appareant*. Fatetur prædictus author, ex centenis ejuſmodi ægrotantibus vix pauciſſimos obiſſe, præfata methodo tractatos, ac inſuper obſervaſſe, poſt adhibita in pleuritide veſicantia, diarrhœam ſi aliqualis aderat, imminutam, vel prorſus ſuppreſſam eſſe, atque ſubinde copioſiorem ſucceſſiſſe urinam.

V.

LOcus applicationis Veſicatoriorum eſt vel univerſum caput, juxta *Vvilliſium*, quod tamen rarò uſu venit, niſi in apoplecticis, vel ponè aures in cephalalgia, dolore oculorum, dentium, aurium, vel ad nucham ſeu intra ſcapulas in iiſdem affectibus, & ſoporoſis minoribus, aut ſupra carpum, in parte muſculoſa brachii, & in cruribus ſeu prope inguina, ſeu quod frequentius, 4. digitis ſupra malleolum interiorem in febribus malignis, affectibus ſoporoſis majoribus &c. Prout animus vel revellendi, vel derivandi, vel evacuandi. Parantur vel ex *Emplaſt. veſicator.* vel ubi fortius agendum, in ſubjectis præcipuè durioribus, ex *ferment. vet. aceto forti* & *pulv. cantharid.*

VI.

APplicata Veſicatoria, parte prius aceto calido fricata & rubificata, (plus minus prout levius vel fortius agendum, cum acidum figat ſal vol. cantharidum) 7. 8. vel ordinariè 12. horis relinquenda, hinc removenda, veſicas forſice inſcindendas, locumque leniendum *folio braſicæ* per aquam bullientem prius tracto, vel in eam intincto, & *butyro non ſalito* incruſtato, vel *diachylo ſimplici*, ſingulis 8. horis illud renovando. Si animus, diutius veſicatoria in fluore conſervandi, cum alias vix ultra 4. vel 6. dies ita humida obſerventur, utile eſt *Empl. de ſperm. ran.* vel *alb. coct.* 3. partes & unam *Emplaſt. veſicator.* exactè miſtas applicare, vel *Empl. diachyl.* cum *pingued. lepor.* vel addere parum *pulv. cantharid.* Si verò locus exulceratus nimis doleat, aut inflammationis metus adſit, aut animus conſolidandi, optimum uſum præſtat *Emplaſt. de ſperm. ran.*

VII.

VEſicatoriis applicatis, ſitis, & linguæ ariditas ſupervenit: ſubinde etiam obſervantur motus tendinum veluti ſubſultorii, & convulſivi, quandoque ſudores plus minus copioſi, pulſus etiam veluti obſcuratur, quæ tamen omnia, ſi res benè ſuccedat, per triduum circiter durant, uſque dum acres cantharidum ſales ſanguini inhærentes, eliminati: ſubinde mictum ſanguineum, veſicæ inflammationem, urinæ ardorem, aliaque gravia excitant ſymptomata præſertim dorſo applicata, vel in gracili habitu, æſtivo tempore, ſub ardore caniculæ, non niſi multis *emulſionibus ex ſeminibus frigidis majoribus*, cum aliqua *ſem. fœnic.* cantharidum alexipharmaci, quantitate curabilia. Subinde ulcera a veſicatoriis excitata deſinunt in gangræ-

 nam,

nam, vel in difficillimam eorum cicatrizationem; præſertim ſi maligna aeris accedat conſtitutio, vel in ſubjectis cachecticis, atro-melancholicis, valetudinariis, & lue gallica detentis; quo in caſu pro mundificatione commendatur *mel roſ.* ſi bis vel ter de die eodem obliniantur, & pro cicatrizatione inſperſus *pulvis tutiæ*, in ſubtiliſſimum alcohol redact. vel *fila carpta* in *decoct. alum. crud.* ebullita, exſiccata, atque hinc applicata.

VIII.

VEſicatoria non conveniunt, ſed contraindicantur a ſumma virium reſolutione, in gravidis, inſtante fluxu menſtruo; in urinæ ardore, incontinentia, mictu ſanguinis, ulcere ſphincteris veſicæ, item iis, qui lue venerea ſemel laborarunt, cum ab adhibitis veſicantibus ſummopere lædantur, in quocunque tandem morbo adhibeantur, hinc nonniſi, in maximis coagulationibus & morbis ſoporoſis præſcribenda. Item non conveniunt, ubi acrior & colliquativa ſanguinis conſtitutio, præſertim in habitu corporis gracili. In febribus acutis nonnulli aliqua ſigna coctionis exſpectant, antequam applicentur: in chronicis verò morbis nervoſi generis phaſes lunæ, ut die uno vel altero ante novi vel plenilunium applicentur. Lethale ſignum eſt, ſi in gravioribus morbis nullam faciant operationem veſicationis, cùm etiam in cadavere nihil operentur.

ARTICULUS VI.

De Officio Medici, in præſcribendis Veſicatoriis.

EMplaſt. Veſicator. ℞. *Emplaſt. Veſicat. Auguſt. an. dr.* 1. ss. *ij. iij. unc.* ss. *detur ad chart.* S. Emplaſtrum veſicatorium illinatur pelli in magnitudine Scudi, vel palmæ manus. & impoſitum cuſtodiatur emplaſtris affixoriis.

Aliud pro 4. Veſicator. ℞. *Emplaſt. veſicat. Auguſt.* unc. 1. *vel.* ℞. *Empl. de melil. de mucilag. an. unc.* ss. *cathar. pulv. dr. ij. M. S.* Emplaſtrum Veſicatorium, manibus & pedibus imponendum, uti dictum.

Aliud in Dolore dentium valde proficuum, ℞. *Cantharid. præp. pulv. dr. ij. terebinth. dr. j. myrrh. maſt. camph. an. gr. xv. ol. roſ. dr. ij. cer. dr. iij. M. f.* Emplaſtrum Veſicatorium in dolore dentium quod q. ſ. poſt aures, vel cervici imponendum.

Cataplaſma pro 2. Veſicat. ℞. *Canth. præp. ſcrup. iv. euphorb. ſcr. j. ferment. acerrimi unc.* 1. *acet. ſquill. q. ſ. M. f. paſta pro* 2. *veſicat. S.* 2. Veſicator.

Aliud. ℞. *Canth. præp. ſcr. iv. ſinap. pyreth. an. ſcr. j. ferment. dr. v. acet. ſquill. q. ſ. M. f. Maſs. inducenda corio pro* 2. *veſicat.*

Aliud pro uno. ℞. *Ferment. parum, caricam ping. N.* 1. *canth. præp. gr. vj. cum acet. ſquillit. ſ. q. M. f. Maſſa.*

CAPUT IV.

De Officio Medici, in Affectibus indicantibus Balnea & Acidulas.

ARTICULUS I.

De Officio Medici, in conſiderandis differentiis Balneorum, tam in genere quam in ſpecie.

I.

B*Alneum*. 1. aliud eſt *aereum*, quod *laconicum* vocant: aliud *aqueum*, de quo in præſenti. Aqueum 2. aliud eſt *naturale* & ſimplex: aliud *artificiale*, quod arte ex incoctis pluribus ingredientibus ad diverſos fines ordinatur. 3. Naturale, vel eſt *Balneum aquæ dulcis*, vel ſolius, vel additi ſubinde ſimul butyri, olei, lactis &c. ad majorem humectationem, qui liquores ſubinde etiam ſeorſim apud ditiores balneum conſtituunt, in doloribus partium nervoſarum, dolore iliaco, nephritico, convulſione a ſiccitate, urinæ ſuppreſſione &c. vel *Balneum aquæ mineralis* virtute mineralium imprægnatæ. 4. Balneum minerale: vel eſt *actu frigidum* vel *calidum* è ſua ſcaturigine profluens, ut ſtatim ſine alio ignis adminiculo uſurpari poſſit, propriè *thermale* dictum, quale v. g. Fabarienſe, ſeu Piperinum, Caſtaneenſe, Badenſe. Utrumque pro varietate ingredientium mineralium, quorum vires & naturam æmulantur, aureum, argenteum, ferratum, plumbeum, ſalſum, nitroſum, alu-

aluminoſum, ſulphureum, bituminoſum, vel ex variis hiſce mixtum.

II.

PRobatur Aquæ minerales, eas probè conſiderando, vel quatenus manent integræ, contemplando ſaporem, odorem, colorem, qualitatem tactilem, contenta, vires atque effectus, perpendendo quoque ſimul extra aquam loci naturam, oſtium ſcaturiginis, canales, ahenum; vel quatenus conſumuntur, ſeu per inſolationem, ſeu per evaporationem in loco calido, ſeu deſtillationem, ſeu decoctionem; vel examinantur per præcipitationem, ponderando ac trutinando poſtmodum reſiduum: præcipuè guſtu & olfactu. Ut autem Aquæ mineralis probatio ritè inſtituatur, eadem haurienda recens ac pura ex ſcaturigine, & quidem m. vel v.

Aquæ ſulphureæ v. g. tam calidæ quam frigidæ, dignoſcuntur 1. Ex odore ſulphureo notabiliter nares feriente. 2. Ex pinguedine quadam in ſuperficie innatante. 3. Quod in defluxu talium Aquarum, dum aeris injuriæ ſubjiciuntur, cernatur corpus aliquod viſcoſum, album & læve, inter ſe cohærens ſimile lacti ſulphuris. 4. Quod omnes tales Aquæ argentum in iis ſuſpenſum inſtar communis ſulphuris, jam citius, jam tardiùs denigrent. 5. Quod æſtuantes præbeant flores ſulph. inflammabiles, in cryptis reperibiles.

III.

BAlneum *aquæ dulcis*. 1. Mundificat, & ſordes ſtrigoſas è ſudore, pulvere & excrementis maſſæ ſanguineæ ad peripheriam latis, abſtergit atque eluit, hinc in ſcabie præſertim ſicca, fœtore alarum, inguinum & pedum, aliiſque impuritatibus corrigendis,

dis, atque abigendis utile. 2. Poros aperit, per eos ſeſe inſinuat, tranſpirationem promovet, & excrementa in ambitu corporis hærentia diſcutit. 3. Totum corpus refrigerat, ac viſcerum, & epatis præſertim fervorem, atque intemperiem calidam corrigit: humectat quoque ac ſerum reſtituit, hinc aridis, ſqualidis, ſtrigoſis ac tabidis maximè convenit, & præſertim Melancholicis à totius corporis habitu talibus. 4. Fibras tenſas laxat, emollit, ac paregoricum eſt: hinc quoque utile in doloribus colicis, nephriticis, facilitando partu, ultimo præſertim menſe geſtationis uſurpatum.

IV.

BAlnea *mineralia*, & præſertim *Thermæ* agunt in noſtrum corpus calefaciendo, humores pituitoſus, congelatos quaſi, aut minimum gelatinoſos, & ſegnes calore ſuo colliquando, floxiles, & ad motum quemcunque non ſolum circularem, ſed & fermentativum, dum activas eorum particulas caliditate ſua excitant, inutiles diſſipant: ſingulariter verò ſpiritus vitales ſerenant, ac a particulis excrementitiis expurgant, aptos reddendo, ſuperfluas quoque ſeroſitates extirpando, ut natura poſtmodum ſic adjuta, mediante circulatorio ſanguinis motu, & ſedes movere, & urinam pellere, ac ſudores elicere valeat. Partium etiam laxitatem, remiſſumque fibrarum tonum contrahendo, firmando ac roborando, ut adeo pateat, Aquas thermales potiſſimum convenire cacochymiæ pituitoſæ ac ſeroſæ, affectibusque frigidis pituitoſis & ſeroſis, ſine omni intemperie calida; hinc etiam in univerſum mulieribus magis quam viris ſalutares exiſtunt, utpote frigidioribus, & magis pituitoſis.

V.

A Generalibus ad ſpecialia deveniendò, conveniunt *Thermæ* in Paralyſi, modo affectus non ſit nimis radicatus in cerebro, peſſimè diſpoſito, ac ſpiritus animales adhuc ſint activi, nec omnino ſuperabundanti humiditate abſorpti, aut nimia viſciditate irretiti, item quam maximè in Paræſi, quæ etiam balneatione acidularum tollitur. In Chiragra, Podagra &c. non conveniunt, & quidem nec in paroxyſmo, in quo motus veluti criticus, neque extra eum, cùm cauſam ac radicem ejus in ſtomacho ac liquore gaſtrico hærentem, non tollant; hinc teſte *Timæo*, *Thonero*, pluribusque aliis, vix ullus horum uſu ab Inſultibus podagricis liberatus: plures tamen in vitæ periculum, vel graviora incommoda præcipitati fuerunt, humoribus vel magis attenuatis, fluxibus-que redditis, vel iis ad partes nobiles ex robore articulis conciliato refluentibus, vel articulis magis exinde laxatis, emullitis, & ad receptionem magis diſpoſitis.

VI.

PRoſunt ulterius *Thermæ* quam maximè in mulierum ſterilitate, orta ex intemperie frigida, & humida, in chloroſi, in menſium ſuppreſſione, vaſis uteri obſtructa mucilagine pituitoſa, vel dependente a cruditate M. S. In nimio etiam eorum fluxu, ſi oriatur a ſanguinis fluxibilitate ſeroſa, aut etiam nimia ejus aquoſitate: non verò ſi a ſanguine bilioſiori, & acriori, item in fluore albo, nephritide, iſchuria, laxando, emolliendo ſpaſmos, ac contracturas ureterum ſiſtendo, ſicque vias, & meatus patentiores reddendo, ut calculi, atque alia poſtmodum excerni valeant. Item in urinæ incontinentia, ubi unicum & ſummum ſunt remedium. Quoad affectus externos, conveniunt Ther-

Thermæ in corpulentia nimia tum potatæ, tum pro Balneo adhibitæ, in ſcabie quacunque, & omnibus affectibus cutaneis, omni tandem cutis immunditiæ, inveteratis atque exedentibus ulceribus, fiſtulis, vulneribus & læſionibus minus ritè curatis, lepra incipiente Arabum, tumoribus pedum œdematoſis &c.

VII.

SIcuti autem in paulo antememoratis affectibus apprimè conveniunt: ita nocent econtra Phthiſicis, Empyicis, Vomica, aut alio abſceſſu interno laborantibus, corporibus etiam nimium repletis ſanguine, vel cacochymia ob humorum colliquationem, ac fuſionem varios excitantem morbos; catarrhoſis etiam, ac varias fluxiones patientibus, ictericis quoque, dydropicis, viſcerum ſcirrho, vel ulcere detentis, obnoxiis quoque ſuffuſioni, eryſipelati, ac abundantibus humoribus acribus, bilioſis, ſcorbuticis &c. Prægnantes etiam a quam plurimis excluduntur, quia ex uſu Thermarum ſæpiùs moventur catamenia, vel ſupervenit purgatio aut alvi fluxus fœtui nocivus, unde difficulter Thermarum fontes adeunt, quin aliqua moleſtia creentur; quæ tamen etiam omnia intelligenda de gravidis jam longo tempore, nempe 7. vel 8. menſium, vel gracilibus, macris, vel jam ante abortui obnoxiis, cum experientia contrarium teſtetur, gravidas primis ſaltem menſibus, Thermas ſine ullo damno uſurpaſſe, licet cautela hic opus, & mulieres tales conſtitutionis pituitoſæ, aut ſeroſæ ſint, neceſſe ſit. Metuitur quidem nimia prolis accretio, vel ejuſdem ſuffocatio, cum tamen contrarium exempla probent, & abſque hoc aquæ innatet fœtus.

VIII.

DEveniendo tandem ad *Aquas minerales*, in ſpecie hic loci circa tractum Oenipontanum reperibiles, caremus quidem Thermis proprie ſic dictis, & per ſe calidis, & æſtuantibus, ut ignis adminiculo non indigeant; ſulphureas tamen frigidas, & limpidas habemus, & primo quidem extra civitatem Hallenſem *Balneum ad S. Crucem*, quod æſtate præſertim haud exiguum ſulphuris odorem ſpirat; fortius eſt, *Minſterenſe* infra Schvvazium. His efficacius, & ad Thermas proximè accedens, utpote tepidum, & nonnihil fumoſum, quod in monte *Brenner* inviſitur, in affectibus præcipuè externis ulceroſis, nempe fiſtuloſis maximè præcellens. His Balneis ſulphureis omnes prædicti effectus plus minus conveniunt, in ſubjectis tamen magis pituitoſis & ſeroſis, quam calidis, ſiccis & bilioſis. Minus etiam commode hæ aquæ potantur, viſcera interna nimis calefacientes, ſiccantes, & ſitim Tantaleam excitantes. Balneum etiam minerale habemus in *Seelrain* ad fontem rubrum, copioſo croco martis imprægnatum. Hoc mulieribus eorumque affectibus præcipuè dicatum, utiliſſimum in ſuppreſſione menſium, nimio eorum fluxu, obſtructionibus viſcerum, & uteri paſſione hyſterica, abortus præcautione, debilitate & laxitate uteri, fluore albo &c. Interim minus convenit, admodum calidis, gracilibus, ſiccis & bilioſis. Aliud Balneum frequentatur in *Valle Volders*, nitro, alumine, vaporibus martialibus, & pauciſſimo ſulphure imprægnatum; hinc calefacit, ſiccat, roborat, effectuſque jam ante in genere propoſitos edit. Temperatiora, mitiora ſubjectis debilioribus, ac calidioribus magis apta Balnea ſunt, illud quod eſt in Egerbacci & illud Pam*k*irchi infra Halam, nephriticis, & hypochondriacis multum proficua. Reliqua Balnea, in monte Veneris in Foramine fer-

fornacis in valle Ceraſorum minus de mineralibus participant, ſicque magis ad dulcia accedunt.

ARTICULUS II.

De Officio Medici, in, ante, & poſt Balneorum uſum.

I.

UT Balnea utiliter inſtituantur, quædam ante, quædam in, & poſt illius uſum obſervanda ſunt Medico. 1. Igitur pro exigente neceſſitate corpus purgandum, & quidem magis per epicraſin lenioribus, ut v. g. nodulo laxativo, quam fortioribus & draſticis, ac vena, ſi opus fuerit: ſecanda. 2. Quoad tempus anni, commodiſſimum præbent menſes non eſt Rati; quia & dies magis protracti, tempus hilarius, ac homo ipſe ad omnes curas magis diſpoſitus, hiſque temporibus nocentiſſima illa antiperiſtiaſis, ne ex balneo calido exeuntes, lædantur frigido immediato, præcavetur. 3. Luna decreſcente, ſi fieri poſſit, illud inchoandum.

II.

RAtione temporis diei, optimum eſt tempus matutinum: non excluſis tamen horis pomeridianis, Ante prandium jejunè ſi fieri poſſit balneandum: ſecus juſculum, ex decocto carnis vel gallinæ in aqua thermali concedendum. Poſt prandium aquis non inſidendum, niſi 3. vel 4. horis a prandio, ne lædatur digeſtio; & variæ cruditates generentur. Conſultum eſt, manè hora quarta vel quinta ſurgere, balneum

neum frequentare hora quarta vel quinta, ac poſt prandium hora tertia. In principio nec calidè; nec profundè inſidendum, ita tamen, ut calor ſucceſſivè aliqualiter intendi poſſit, cavendo ſemper ne quid nimis. Ex intenſiori enim calore balnei ſuccedunt vigiliæ, ſitis, dolor capitis, defluxiones, appetitus proſtratus, aſthma &c. Dignoſcitur autem calor intenſior, ſi corpus ad introitum quaſi aduratur, ſi facies more galli Indici excandeſcentis rubeat, aut corpus ipſum quaſi ſudore diffluat, intendatur ſitis &c.

III.

INſeſſus non ſit nimis profundus, ac pluribus ad umbilicum tantum uſque ſuadetur, in quo tam certa haud poteſt dari regula. Profundius enim inſidere poſſunt ſeniores, melancholici, phlegmatici, ventriculum frigidiorem habentes, qui etiam majorem calorem ferunt; vel affectionibus colli, ſcapularum vel brachiorum detenti: minus Juvenes cholerici, æſtuantem habentes ventriculum. Labrum ſemper ſit mundum, tegendum media parte verſus collum aſſercalis ligneis: ex altera vero parte tapete, vel aliis integumentis; caput etiam lienteis mundis circumligandum, & a calidis balnei aſcendentibus vaporibus defendendum. Si Aqua mineralis non per ſe ſit calida: per trihorium prius ſpumoſa ebullitione coquatur, & ſingulis inſeſſionibus renovetur.

IV. Lo-

IV.

LOngitudinem & horas Balneandi quod attinet, communiter balneum primo die per horum; altero per duas vel unam & dimidiam, & ſic ſingulis diebus per horam, vel dimidiam creſcendo pergitur, uſque ad horas 5. 6. 7. tum per 12. 15. vel etiam 20. dies in eodem conſiſtendum, vel euſque, donec quis ſe alleviatum ſenſerit, & balneum quaſi nauſeaverit, quod ſignum perfectæ curæ, atque hinc denuo eo, quo aſcenſum eſt modo & tempore, deſcendendum. Ante prandium ſemper plus temporis inſumendum, adeo, ut ſi de die per 5. horas balneetur, balneum manè per 3. cum dimidia: veſperi per 2. & dimidiam partem horæ balneandum ſit. Alii ſequentem obſervant Tabellam.

INSTRUCTIO FUNDAMENTALIS,

Qua ratione Horæ inſeſſus Balnei ſint obſervandæ.

Modus aſcendendi, & deſcendendi,

Die.	Horis antemeridianis.	Horis pomeridianis.
1	1	$\frac{1}{2}$
2	1 $\frac{1}{2}$	1
3	2	1 $\frac{1}{2}$
4	3	2
5	3	2
6	3	2
7	4	2
8	4	3
9	4	3
10	4	3
11	4	3
12	4	3
13	4	3
14	4	3
15	3	2
16	3	2
17	3	2
18	2 $\frac{1}{2}$	2
19	1 $\frac{1}{2}$	1
20	1	$\frac{1}{2}$
21	1	$\frac{1}{2}$

Inte-

Interim tamen hæc Tabula non eſt univerſalis; ſed habenda eſt ratio naturarum, ſexus, ætatis, temperamenti &c. multi enim de die ultra 4. vel 5. horas non tolerant, præſertim bilioſi, ſicci, melancholici; alii plures, ut robuſtiores, & durioris texturæ homines, ut etiam ad 4. 5. vel 6. ſeptimanas Balneum continuare poſſint. Quilibet pro regula habeat vires, earumque conſervationem, ac balnei tolerantiam; qui enim læditur balneo, ac cui appetitus dejicitur, abdomen inflatur, ac alia perverſa accidentia, quæ ordinario a balneo non procedunt, patitur, ſatius eſt, ut vel abſtineat, vel cautè balneo utatur. Interim nephriticæ, colico dolore laborantes, hyſtericæ, in principio Balnei alterationem ſentientes, non ſtatim deſiſtere debent, ſed cum certiori ſpe valetudinis pergere, juxta vulgare illud. Quod balneum affert, balneum atrum aufert.

V.

Finita lotione corpus detergendum, lecto per dimidiam ſaltem horam committendum, ac ſudor forte ſuperveniens non impediendus. Si durante balneatione ſuperveniat excoriatio, pruritus, maculæ, ſcabies &c. quod tamen non eſt neceſſarium, balneum tam diu continuandum, donec cutis lævigata priorem formam receperit; ſi autem aqua tepidior, neque diutius eidem immoretur, ſed ſæpius de die inde exeat, oportet. Conſultum etiam eſt, ſi nimis diu hoc malum protrahatur, induſia quædam in aqua thermali ſæpiùs intincta, & per ſe exſiccata, peracta balneatione perpetuo geſtare, ac m. [illegible] s excoriatas vino calido lavare.

VI. Aer

VI.

AEr vitetur frigidus, & ſi talis ſit, hypocauſtum moderatè calefaciendum, vel corpus ſufficientibus veſtimentis etiam pelliceis tegendum, neque tamen etiam radiis ſolaribus exponendum; prandium & cœna ſemper æqualibus inſtituantur horis, ac quo parcius comeditur. & bibitur thermarum tempore, eo melius eſt. Extra paſtus vini uſus vitandus. Urgente ſiti, vel alias etiam circa medium balneandi tempus, potus aquarum thermalium frigidarum poſt prandium, vel calidarum ante prandium, cum incoctione *ſem. fœnic. coriand.* vel *cinam.* concedendus eſt. Longa menſa in prandio nocet: minus in cœna. Caveatur a varietate ciborum, a ſatietate, ab acetariis, infumatis, fructibus horariis, lacticiniis, frixis, ex paſta coctis; nimium aromatixatis, ſaccharatis, ſalitis, flatulentis; cibi ſint boni ſucci, ac laudabilis concoctionis, & paucorum excrementorum, ut carnes vitulinæ, hædinæ, capreol. leporin. juniores, capon. pull. gallinac. gallin. gallinindic. avicul. mont. ex piſcibus trut. thymal. gobii, fundul. lucii minores, hordeacea; ova ſorbilia &c. Pro potu utendum vino albo diluto, pro cujusque natura, & conſuetudine. Alvus ſervetur laxa. Vitandi vehementiores corporis & animi motus.

VII.

TAndem etiam accidentium morboſorum, uſui Thermarum ſubinde ſupervenientium habenda ratio, & 1. *cephalalgiæ*, par clyſter. lotiones pedum, laxantia, frontalia, & unguenta. *Vigiliarum*, per hordeata, emulſiones, pediluvia, frontalia. *Somnolentiæ*, per clyſteres acriores, frictiones, caput purgantia, vel ceſſationem a balneo, ſi natabilis ſit.

Defluxionum, per diætam exquiſitam, & aeris corre-ctionem, vel ceſſationem a balneo, ſi gravis, done[c] remittat. *Febris*, per ceſſationem a balneo, & abſti-nentiam vini. *Sitis*, per julepos acidulos, emulſione[s] &c. *Inappetentiæ*, per evacuationem, appetitum exc[i]tantia. *Alvi conſtipationis*, per ſpinachium, prun[a] dulcia, poma cocta, ove ſorbilia, pilulas Francofurt[.] vel Emanuel. clyſt. vel ſuppoſitor. *Exulcerationis* ſe[u] *efflorefcentiæ cutis*, per continuationem balnei bla[n]dioris & tepidioris, vel ſi etiam major, per V. S[.] purgationem, ſudorifera &c. *Menſium*, per ceſſati[o]nem, ſi vehementius fluxus inſtaret; ſecus non.

ARTICULUS III.

De Officio Medici in præſcribendis non-nullis Balneis artificialibus.

BAlneum Thermale expertiſſimum, Paul. de So[r]bait. ℞. *Sulph. viv. apyr. calc. viv. an. lib.* 1. M[.] *f. Pulv. qui aliquot ebullitionibus coq. cum aq. fo[nt.] menſ. viij. hinc ab igne removeatur, ut ſubſideat & refrigeſcat per noctem, altero die fiat Balneum p[le]num ex aqua font. calida, ad cujus refrigerium deca[n]tetur lixivium pridiè ex ſpeciebus extractum, remane[n]te in fundo ollæ pulvere. Poſt uſum Balnei ex ej[uſ]dem aqua tantundem reaffundatur ad ollam, in q[ua] pulvis ille ſubſedit, ſerveturque reliqua Balnei aq[ua] in cupa bene tecta. Altero die eadem aqua calefiat, & altera in olla exiſtens iterum ad refrigerium reaffun[]datur per decantationem, remanente ſemper in fun[do] pulvere. Taliter, quater procedi poteſt, hinc no[væ] ſpecies recipiendæ.* Balneum hoc euporiſton Therm[is] vix cedit, omnibus nervorum, & articulorum dolo-ribus, matricis affectibus, paralyſi, calculo &c. ac-commodatiſſimum. Ab experientia arthriticis eximi[e]

exco

excoriationes creat, quibus copioſus evacuatur ichor cum levamine.

Balneum in Nephritide. ℞. *Herb. veron. pariet. mercurial. malv. cum tot. ſaxifrag. ononid. an. m. ij. fl. cham. m. iij. ſambuc. m. ij. rad. alt. petroſel. fœnic. an. unc. j. ss. ſem. lin. unc. iij. fænugræc. unc. j. bacc. Junip. unc. iij. M. inciſ. dentur S. Species* pro balneo.

Aliud ℞. *Stramin. aven. flor. calend. an. q. ſ. Miſce.*

Balneum in Scabie. ℞. *Rad. oxylap. unc. ij. enul. camp. malv. an. unc. j. herb. ſaponar. nepeth. fumar. agrim. veron. an. m. ij. fl. chamom. m. ij. herb. 5. emoll. an. m. j. bacc. laur. unc. ij. ſulph. viv. nit. alum. an. unc. ii. M.*

Aliud. ℞. *Rad. bryon. unc. i. oxylap. irid. flor. an. unc. i. enul. camp. unc. ii. herb. fumar. ſcabioſ. mercurial. an. m. i. alum. dr. vi. ſulph. dr. x. tart. unc. i. ss. M. S.* Herbæ & ſpecies pro balneo.

Balneum in Fluore albo. ℞. *Herb. arthemiſ. calam. puleg. meliſs. ment. ſatur. hyſſop. ſerpill. thym. arig. abſinth. roſ. rub. cham. melil. an. m. i. rad. cyper. long. calam. aromat. an. unc. ss. Irid. flor. unc. i. ss. Gumm. ladan. unc. i. ſacculo incluſ. coq. in ſ. q. aq. pro Baln.* Herbæ ſingulis tribus diebus renoventur, ut ſinum muliebrem intimiùs penetret, per ſyringam, annexa veſica ſuilla aqua intropellatur, vel lana, eadem aqua bene madida, in uteri collum intrudatur.

Balneum in ſuppreſſione Menſium. ℞. *Rad. ariſtol. lil. alb. arthemiſ. alth. rub. tinct. an. unc. iii. ſem. lin. unc. vi. fœnic. unc. i. carv. cumin. petroſel. an. unc. i. ss. bacc. laur. unc. iii. Juniper. unc. vi. herb. malv. melilot. puleg. meliſſ. mercurial. an. m. ii. fol. ſabin. m. iv. fl. cham. m. iii. cent. mint. m. ii. inciſ. & conquaſſ. includ. ſaccul. qui ex aq. ſ. q. pro inſeſſu & fotu muliebrium.* Prodeſt etiam hoc Balneum in partu difficili, fœtu mortuo, retentis ſecundinis &c.

Aliud efficaciſſimum, teſte Riverio. ℞. *Rad. alth. lil.*

lil. alb. enul. camp. bryon. cucum. agreſt. an lib. ij. fol. malv. violar. mercurial. puleg. matricar. meliſſ. an. m. iv. ſem. lin. fenugræc. leviter contuſ. an. unc. ii. coq. in aq. ſ. q. pro Baln. Uſu hujus Balnei, aliquando in tertio vel quarto balneo profluxerunt menſes, per longum tempus retenti.

Balneum adſtringens, in procidentia Uteri. ℞. *Fol. beton. agrim. Salv. laur. roriſ. myrt. puleg. orig. fl. ſtech. arab. baluſt. an. m. i. rad. conſolid. mai. unc. iii. biſtort. torment. ariſtol. long. an. unc.* ss. *alum. roch. unc. ii. M. inciſ. dentur ad chart. coq. in aq. fabr. pro Balneo.*

Aliud. ℞. *Herb. ment. puleg. orig. hyſſop. rut. meliſſ. ſerpill. ſalv. maior. lavend. an. m. i. nuc. cupreſſ. roſ. rub. ſpic. nard. cort. grand. capul. gland. an. unc. i. meſpil. immat. acac. an. m. i. ſcob. lig. Juniper. guaiac. an. unc. iv. ſal. nit. ſal. commun. an. lib.* ss. *alum. lib. i. M.*

Balneum contra Atrophiam Hecticam. ℞. *Amigd. cum cortic. groſſ. mod. contuſ. lib. ii. farin. hord. lib. vi. indantur ſacco ampliori, & coq. in aben. cum aq. pluv. ſ. q.* tertio die renovetur.

Baln. Hordeaceum. ℞. *Hord. crud.* ſi ſimul abſtergendum, vel *excorticat.* ſi magis refrigerandum, & humectandum 2. vel 3. menſuræ *ſaccul. indit. coq. in ſ. q. aq. pro Baln.* Tertio vel quarto Balneo renovetur *hordeum.*

Balneum articulos, nervos & ligamenta roborans. ℞. *Herb. abſinth. arthemiſ. orig. hyper. ſerp. ill. lavend. an. m. ii. roriſm. maior. an. m. i. rad. alth. aſar. lil. alb. an. unc.* ss. *fl. cham. ſumit. aneth. an. m. ii. turion. abiet. conor. ſeu ſtrophil. eiuſdem an. m. iiii. ſem. lin. fænug. an. unc.* ss. *M. inciſ. & contuſ. pro Balneo.*

Aliud in hunc finem parari ſolet, ex folis *ſummitatibus, & baccis Juniper.*

Balneum formicarum. ℞. *Formicarum integrum cubi-*

cubile, quod ſacculo incluſ. coq. in ſ. q. aq. pro Baln. addendo ſubinde alias herbas vel etiam Mineralia. Prodeſt in Paralyſi, dolore Iſchiadico &c.

Balneum antiparalyticum. ℞. *Alum. ſulph. bacc. laur. an. lib. j. bacc. & ſummit. Juniper. an. m. j. vel iij. ſalv. nob. m. j. M.*

Aliud. ℞. *Herb. major. chamæd. chamæpyth. fol. primul. ver. an. m. iij. roriſm. ſalv. an. m. ij. fl. lavend. primul. ver. an. m. j. bacc. Juniper. m. ij. ſulph. lib. iii. nit. lib. i.* M. pro Balneo.

Balneum expertum in Sterilitate. ℞. *Rad. bryon. imperat. valerian. Ireos, enul. camp. an. unc. iii. fol. major. arthemiſ. nept. pulg. mercurial. ſalv. laur. an. m. iv. bacc. laur. Juniper. an. unc. i. coq. in ſ. q. aq. pro ſemicup.* Alii etiam addunt *acervum formicarum.* Sedeat in hoc Balneo, noctu cubitum itura per 1. horam: hinc egreſſa, & abſterſa calidis pannis in ſellam perforatam ſedeat, ac fumum excipiat *ex thur. maſt. ſuccin. benz. gumm. tacamaab. gumm. anim. troch. alipt. moſch. &c.*

Balneum carminativum, & anodynum, in Colica. ℞. *Herb. orig. calam. rut. an. m. ij. fl. chamom. m. iii. malv. cum tot. m. i.* ss. *melil. m. i. ſumit. aneth. m. ii. ſem. ling. unc. ii. fœnug. unc. i. aneth. unc. i.* ss. *bacc. Juniper. unc. iii. inciſ. & conquaſs. coq. in ſ. q. aq. pro Balneo.*

ARTICULUS IV.

De Officio Medici, in conſideranda vi & effectu Acidularum, tam in genere, quàm in ſpecie.

I.

ACidulæ (quæ nihil aliud ſunt, quàm vitriolum martis diſſolutum: fit autem vitriolum martis, quando minera martis diſſolvitur, à ſpirit. ſulph. acido) variis etiam modis probari ſolent, ut ſupra dictum de Thermis. Optimus eſt per præcipitationem: fallax econtra, qui fit per deſtillationem & evaporationem, tum quia multum de volatili ſubſtantia evaneſcit, tum quia remanens mediante igne alteratur, ac aliam acquirit texturam. Decoct. gallar. infuſum, acidulas nigrore tingit, ſi *de marte* participent. Infuſa aqua ſalſa turbantur, & quaſi lacteſcunt, ſi *de nitro* quid participent. Si quid *de alumine*, optimè evaporatione dignoſci poteſt. Nobis hic Oeniponti in uſu practico ſunt *Bruſenſes*, & *Egrenæ ſeu Egrenſes*. Illæ martiales, vitriolicæ, ſulphureæ & aluminoſæ: hæ, prioribus magis efficaces, licet minùs gratæ, nitroſa ſalina ſulphurea aciditate præpollent.

II.

VIm ſuam in corpore exercent Acidulæ, ſuaviter calefaciendo humiditates ſuperfluas abſumendo, & exſiccando, ſalia ſylveſtria ſanguinis contemperando, hinc æſtum viſcerum corrigendo, ſcorias tartareas ex latice & tota maſſa ſanguinea avertendo & elutriando, tum per alvum, tum per urinam

nam & ſudores, viſcerum ac vaſorum infarctus detergendo, diſcraſiam viſcerum emendando, ac partibus tandem debitum tonum reſtituendo; præterea ſalia acida vitioſa in corpore abſorbendo, & per inferiora eliminando. Dum enim potatur aqua acidula, fermentum ſtomachi acuit atque exaltat, unde ſingularis fames: hinc ventriculum a quiſquiliis elutriat, tonum fibrarum reſtaurat, & dum ad inteſtinum duodenum defertur, vi bilis alcalina pars metallica martis præcipitatur, quæ poſtmodum iterum apta eſt, ab omni acidi præternaturalem alterationem ſuſcipere, acidum in tertium quaſi ſalſum immutare, illud deſtruere, abſorbere; & hinc excrementa nigro colore plerumque tinguntur, ut illud poſtmodum per alvum, ſæpè etiam per urinam & ſudorem eliminetur.

III.

Ex dictis patet, quod ſicuti Thermæ magis proſunt in cacochymia pituitoſa & ſeroſa, ita Acidulæ magis in cacochimia bilioſa, & melancholica. Ut autem ad ſpecialia deveniamus, ſciat Medicus, Acidulas prodeſſe, 1. In affectibus capitis, non quidem eſſentialibus, ſed per ſympathiam partium inferiorum excitatis, a corruptis & vitioſis humoribus idem ſtabulantibus, ut v. g. in catarrhis calidis, acribus, ſalſis, vigiliis, vertigine, tremoribus, convulſionibus; ac epilepſiis, ſi fomes morbi ſit meſenterium, lien, uterus, ventriculus, vel cauſæ ſint lumbrici. Item in cephalalgiis & hemicraniis, ex vitio ſanguinis aut chylificationis oriundis. In metu apoplexiæ cautè iis utendum. Pareſes & contracturas, ſi non omninò inveteratæ fuerint, radicitus extirpant, tam potatæ quam balneo adhibitæ.

IV.

PRæterea quoque auferunt ruborem faciei oculorumque: ſingulariter verò fermentum ventriculi erigunt, unde appetitum procurant, digeſtionem promovent, rectus ejiciunt, cardialgias ſodas & vomitum maximè matutinum materiæ pituitoſæ & aqueæ, compeſcunt, inflationes ejus ſopiunt, & mineram flatuum evacuant. Præterea proſunt in Veterum antipraxia, vel R. R. chyloſi læſa, obſtructionibus viſcerum, icteritia, chloroſi, & ſpecialiter in colica convulſiva vomitibus infeſtante, ac malo hypochondriaco, cujus ſunt quaſi ſacra anchora, ac alter Rhizotomus.

V.

ITem maximè conducunt, in nephritide, gonorrhœa, arthritide, rheumatiſmo, ſcabie, fluore albo, ſuppreſſione menſium, eorum ſuperfluitate, vermibus quoque, quorum certiſſima ſunt antidotus; ſterilitatibus quoque multoties opitulantur, febres omnis generis intermittentes tollunt, non tam potæ, diluendo cruditatem nidoroſam, ac infringendo acidum volatile oleoſum atque corroſivum, verum etiam, ſi in iis balneetur, præſertim imminente rigore. Malignis quoque febribus proſunt diluendo, inflammatos ſpiritus potenter ligando ac pacando, eoſque ſua vitriolacea, ac quadantentus anodyna vi ſopiendo, & cauſam occaſionalem irritantem emendando.

VI.

QUoad affectus externos, juvant Acidulæ præſertim omnis generis arthriticos, iſchiadicos, podagricos, ophthalmicos, & ſingulariter paralyticos ex colica, per modum Balnei adhibitæ. Tollunt calidè gargarizatæ, ſcorbutum oris. Virtus quoque illis adſcribitur medendi ozænæ, vermiculis aurium &c. Balneo uſurpatæ, conducunt etiam in pruritu, ſcabie, ſerpigine, ulceribus ſordidis; corroſivis, rheumaticis, phagadænis, & diſepuloticis, fluore albo, ſterilitate, ſuppreſſione menſium &c.

VII.

SIcuti autem Acidulæ in modo dictis affectibus proſunt, ita neceſſe eſt, bibentes præditos eſſe ſtomacho robuſto, pulmonibuſ-que validis, cum omnibus ad phthiſim pulmonalem inclinantibus Acidulæ infenſiſſimus hoſtis ſint, hydropici quoque ex eorum uſu plerumque intereant; nocent etiam magis, quam proſunt, ubi viſcera haud integra, ac vel ſcirrho vel abſceſſu, aut tuberculis detenta. Omnia igitur prius benè examinanda, cauſæque morborum perpendendæ, antequam ægroto Acidularis cura præſcribatur.

ARTICULUS V.

De Officio Medici, in, ante, & poſt uſum Acidularum.

I.

ANte uſum Acidularum corpus evacuandum, non quidem fortioribus, M. S. exagitantibus & turbantibus, parteſque ſolidas lædentibus; ſed *potione* quadam *mannata*, vel *rhabarbarina*, vel *pilul. Emanuel.* aut *nodulo laxativo*, &c. ſi opus, licet ut plurimum neceſſe non ſit, vena ſecanda. Tempus optimum bibendi Acidulas, eſt *Majus*, *Junius*, *Auguſtus*, nam:

Menſibus in quibus R. *non debes bibere Vvaſſer*.

Licet urgente neceſſitate etiam hyeme concedi poſſint, dummodo vaſculum aquæ potabilis adhuc obturatum, lente ad fornacem calefiat, vel per noctem in hypocauſto calido ſteterit, vel aquæ calidæ immergitur, vel dum ſcyphus argenteus retinetur in aqua ferventi, & infunduntur unc. iij. vel iv. pro vice mox exhauriendæ.

I I.

IN loco ſcaturiginis bibens, manè hora 4. vel 5. ſurgere debet, excrementa per meatus convenientes excernere, ac una vel altera hora poſt ſolis exortum, fontem ſine violento motu frequentare, & quidem jejunus, niſi eſſet tenerioris conſtitutionis, ac humoribus præditus tenuibus, fibriſque ſatis raris & exilibus; quo in caſu vel juſculum carnis, aut ovum ſorbile, ſi confortantia ex officinis non videantur ſuffi-

ſufficere, concedi poteſt: immo in hoc paſſu, ne ventriculus ita debilis a frigore fontis lædatur, conducibilius eſt, calidiuſculè modo ſupra dicto, lympha potare.

III.

Bibiturus ac prædiſpoſitus, dum ipſum fontem adiit, vel eò vectus eſt, aquarum potum incipiat, inchoando a 2. 3. vel pluribus vitris ſucceſſivè ebibitis, prout appetitus exigit, ac natura non gravatur, hinc ſingulis diebus unum, 2. vel 3. vitra addendo, uſque dum deveniatur ad eam quantitatem, quam quis haurire poterit abſque ullo incommodo, ut v. g. gravitate, dolore, flatibus, vomitu &c. habita tamen ſemper ratione ætatis, ſexus, conſtitutionis fortis vel debilis, capacitatis ventriculi, ac conſuetudinis, maximè autem reſpiciendum ad tolerantiam. In Acidulis Bruzenſibus 4. 5. 6. 8. &c. menſuræ bibuntur. In Egranis quotidie ampulla terrea dimidia ciſta pro dimidia cura, vel 16. aut 18.. una ciſta integra pro una cura integra. Non autem una vice Acidulæ actu frigidæ affatim, & præcipitanter ingurgitandæ, ſed 2. vel 3. vitra pro una vice, interpoſitis dein diſcurſibus, levibus deambulationibus, aſſumptis ſtomachicis, ut *confect. ſem. aniſ. fœnic. condit. z. z. vel calam. arom. cort. cit. arant. morſell. &c.* ita tamen, ut tota menſura intra horam & dimidiam ebibatur.

IV.

POtus Acidularum continuandus per dies 10. 15. aut 20. immo per menſem, & ultra, pro morbi magnitudine & longitudine. In morbis contumacibus etiam anno ſequenti frequentandæ: ſecus in levioribus & prophylacticè tantum bibitis; ſicuti autem in ſumma doſi, quæ intra triduum haberi poteſt, per aliquot dies perſeverandum, & præſertim eouſque, donec quis ſe alleviatum (quod ſignum erit perfectæ curæ) ſentiat; ita rurſus gradatim denuo deſcendendum, niſi quis unam vel alteram tantum biberet menſuram, ubi deſcenſione opus non eſt; olim etiam veſperi Acidulæ methodicè bibebantur: hodie verò ad ſitim duntaxat, ſi fortè urgeat tollendam, unum vel alterum vitrellum potatur; vel in affectibus externis Acidulæ ante prandium potari, poſt prandium pro Balneo uſurpari ſolent.

V.

OPeratio Acidularum diverſa, & pro varia corporis complexione, ac humoribus in eo prædominantibus, hinc motus naturæ obſervandus, ac per convenientia loca adjuvandus. Optima eſt operatio, ſi primò per alvum, hinc per urinam, ac tandem per ſudorem operentur. Si per alvum, ut melius operentur, conſultum eſt, ut æger noctu, hora 1. ante cœnam ſumat, vel *pilul. aloëticas, FF.* vel *Emanuel.* vel in primo vitro Acidularum diſſolvat, *ſyr. roſ. ſol.* vel *fl. perſic.* vel ita ſimpliciter in majori quantitate, vel *pulv. ſyr.* aut *rad. gial.* acuatum vel *crem. tart.* vel ſumatur manè *morſul. purg. &c.*

VI.

HAuſtis Acidulis, neutiquam violentis exercitiis utendum, cum etiam in lecto ſubinde non ſine fructu ſumantur, ſed reliquum tempus ad prandium uſque, levibus deambulationibus, diſcurſibus, ludis &c. tranſigendum, ad aliqualem laſſitudinem, eruptionem ſudoris. Prandium non accedendum, niſi hora xj. vel ſaltem 4. horis ab aſſumpto potu, donec tota vel potiſſima ejus pars ſit excreta, ac urina prius alba, hinc nonnihil colorata fiat. Interim aquas initio potus, vel etiam in aſcenſu, ægrè reddens, non tamen ſtatim deſiſtere debet, ſi animosè perſeverare, & ſummitatem curæ exſpectare, modo etiam intra 2. horas tranſeant.

VII.

EFficaciores ſunt Acidulæ, ſudo ſerenoque, quam nubiloſo & pluvioſo cœlo, hinc etiam aliò tranſportandæ, hauriri debent tempore ſereno exiſtente, & quidem omni anni tempore. Bruzenſes noſtræ menſe Martio collectæ optimæ, antequam nix colliqueſcens intimiora terræ penetrando, fontem inquinet. Vitandus igitur in cura acidulari aer intemperatus, frigidus, pluvioſus, nebuloſus; hinc tali exiſtente: Acidulæ domi in hypocauſtis calidis bibendæ, aut lectus petendus. Interim etiam vitandi radii ſolares.

VIII.

IN Diæta vitanda ſatietas, multa ciborum varie-tas, edulia ſalſa; nimis aromatizata, craſſa, vi-ſcoſa, dura, lacticinia, legumina, acetaria, fructu horarij, caro ſuilla, infumata &c. econtra conven- bubula junior, caro vitulina, vervecina, leporin hædina, volucres montanæ, caro pull. gallinac. ca-pon. columb. piſces ſaxat. &c. Pro potu vinum al-merum, vel rubellum tenue, non tamen Acidulis d-lutum. Fugiantur ſomnus meridianus, exercitia vi-lenta, ludi intenſi; mœror, triſtitia, ira, venu alvus quotidie ſit aperta, ſecus vel *enemato* ſerò in-cto, vel *infuſione ſennæ* ante potum ſumpta, vel *crem.* *tart.* acuato, in primo cyatho ſumpto laxanda.

IX.

TEmpore curæ Acidularum, ſymptomatum eme-gentium quoque habenda ratio, ut v. g. *reten-tionis aquarum*, per laxantia, ut rhab. gial. crem. tart. acuat. ſyr. roſ. ſol. acuat. vel per ceſſationem cu-ræ. *Vomitus*, per clyſteres, roborantia interna & ex-terna, vel ceſſationem curæ. *Colicæ*, per clyſteres vel ceſſationem curæ. *Suppreſſionis alvi*, per paſſu-las, pruna, poma cocta, ſpinach. bet. pilul. Emanue. clyſt. crem. tart. acuat. *Diarrhææ* vires diminuentis per abſterſiva, tam per os aſſumpta, quàm clyſteres injecta, & roborantia. *Commotionis humorum*, exci-tantis quandoque dolores dentium, lumborum, poda-gram &c. per continuationem curæ, & abſtinentiam à vino. *Fluxus menſium*, per defenſionem genitalium à frigore, & potationem Acidularum calidarum.

X. Fl

X.

FInita Acidularum cura, mediantibus conviviis & poculis non valedicendum, iter domum verſus citra feſtinationem inſtituendum, diæta de inceps exactè ſervanda, aliquid Acidularum domi adhuc, ſi placet, bibendum, purgatio, ſi quis ex retentis aquarum reliquiis gravatum ſe ſentiret, inſtituenda: ſecus eadem abſtinendum. Sicuti autem Acidulæ efficaciores ſunt ad ſcaturiginem potæ, quam aliò delatæ: ita etiam Acidularis cura domi inſtituta, (quod nonnulli faciunt, vel ut ſumptibus parcant, vel quod iter exhorreſcant, vel ob occupationes urgentes domo abeſſe nequeant) rarò ſingulari cum fructu inſtituitur; præſertim in iis, qui mane Acidulas ad plures libras ingurgitant: poſtmodum ſeriis negotiis hinc inde irretiti, ſpiritibus aliò avocatis & diſſipatis, ventriculum debilitant, vel ante prandium lymphis, poſt prandium verò Baccho litant; unde his magis conſultum, ut ommiſſa ſolenni cura, manè lib. 1. vel 1. ss. bibant, leviter deſuper obambulando, & exactam diætam ſervando: poſt prandium etiam rurſus vitrum Acidularum hauriant, atque ſic curam ad 30. dies, & ultra continuent.

ARTICULUS VI.

De Officio Medici, in præſcribendis Remediis, pro debito uſu Acidularum.

I.

R. *Confect. ſem. aniſ.* vel *fœnic.* aut *coriand. præp. lib.* I. *detur ad ſcatul. S.* Confectio aniſ. vel fænic. aut coriand. tempore uſus acidularum ſumenda.

Morſell. ℞. *Spec. diarrhod. Abb. aromat. roſ. complet. an. dr. ii. cort. arant. condit. minutim inciſ. citr. an dr. iii. nuc. moſch. in ind. condit. dr. ii. confect. ſem. aniſ. fœnic. coriand. an. ſcr.* I. ss. *cardam. min. ſcrup. ii. ſacch. in aq. ceraſ. nig. & cinam. diſſol. q. ſ. M. f. Morſul.* S. Morſell. ſtomach. quorum Tempore uſus acidularum unus vel alter ſumatur.

Aliud. ℞. *Spec. pro morſul. Imperat. unc.* I. *condit. z. z. Chinenſ. cort. cit. nuc. ind. condit. an. unc. ss. cardam. dr. i. ss. cubeb. dr. ii. ol. deſt. cinam. gut. v. mac. gutt. vii. caryoph. gut. iv. cit. gut. iii. ſacch. albiſs. in aq. ſaſſaf. cum cinam. deſtill. ſolut. lib.* I. *M. f. Morſell. S. ut ſupra.*

Alii magis temperati pro hypochondriacis, ℞. *Cort. cit. recent. minutiſſimè quadratim inciſ. dr. iii. ſacch. albiſs. in aq. ſpirituoſ. cinam. diſſol. unc. iv. M. f. Morſul.*

Tragæa. ℞. *Spec. aromat. roſ. diaxyloal. diarrhod. Abb. an. ſcr. i. cinam. elect. dr. i. unc. moſch. dr. ss. mac. caryoph. an. ſcr.* ss. *ſacch. albiſs. unc. iii. M. f.* Tragæa ſtomach. quæ durante cura acidularum, cum pane & vino poſt prandium ſumenda.

Pilulæ laxativæ. ℞. *Maſſ. pilul. FF.* vel *Emmanuel. dr. ii. formentur. ex ſcr.* I. *N. vii. aſpergantur cinam.*

cinam. S. Pilulæ laxativæ vel Emanuel. Francofurtenſes, quarum 7. una hora ante cœnam ſumendæ.

Pulvis pro tranſitu Acidularum promovendo. ℞. *Crem. tart. dr.* ss. *rad. gial. ſcr. j. M. f. Pulv. dentur* 8. *doſ.* S. Pulvis laxativus, cujus una doſis in primo potu contrita ſumenda.

Alius. ℞. *Pulv. epat. rub. ſcrup. j. diagryd. roſat.* vel *ſulphurat. gr. viii.* (plùs minus) *M. dentur* 8. vel 10. *doſ.* vel ℞. *Crem. tart. dr. i. tart. vitriolat. ſal. abſinth. an. dr. ss. ocul. canc. præp. dr. j. ss. ſacch. albiſs. dr. ij. M. f. Pulv. ad ſcatul.* S. Crem. Tart. mixt. cujus dimidia drachma in primo potu ſumenda.

Syrupus pro eadem intentione. ℞. *Syr. roſ. ſol. aur.* vel *f. perſic. lib. ss. detur. ad fictil.* S. Syrupus Roſ. vel florum perſic. cujus tria cochlearia plena in primo potu acidularum ſumenda.

Alius. ℞. *Syr. roſ. ſol. unc. iv. crem. tart. ſcr. i. ss. pulv. ſyr. ſem. mel. ſubact. ſcr. i. M. ſ. a.* vel ℞. *Syr. de cich. cum rhab. diaſer. roſ. ſol. aur. an. unc. i. pulv. rad. gial. dr. ij. M. S.* Syrupus laxativus, cujus, antea bene conquaſſati, unum vel duo cochlearia plena, in primo potu acidularum ſumenda.

Morſelli, pro eadem intentione. ℞. *Mag. gial. gr. xiv. gum. gott. gr. viii. conſ. cit. borrag. cort. cit. condit. an. ſcr. j. ol. cinam. gutt. ij. ſacch. albiſs. in aq. borrag. & cinam. diſſol. q. ſ. M. f. Morſul. N.* 2. vel ℞. *Pulv. rad. gial. dr.* ij. *ſpec. pro morſul. Imperat. craſſiuſculè inciſ. flaved. cort. cit. rec. an. dr. j. ſacch. in aq. roſ. ſolut. unc. ij. f. Morſul. N. iij. æqual. magnitudinis*. S. Morſelli laxativi, quorum unus ante potum acidularum ſumendus.

Electuar. ad eundem finem. ℞. *Polp. tamarind. unc. j. caſs. extract. dr. vj. conſ. roſ. unc. j. rad. gial. dr. ij. magiſt. ſcammon. dr. ss. M.* S. Electuarium laxativum, quod in magnitudine parvæ nucis una cum acidulis ſumendum.

CAPUT V.

De Officio Medici, in Affectibus indicantibus Purgationem.

ARTICULUS I.

De Officio Medici, in Humorum evacuandorum Præparatione.

I.

CUm experentia teſtetur, ac Medicis in prax notum ſit, in quartana, ſcorbuto, affection hypochondriaca, cachexiis, aliiſque morbi chronicis & lentis, Purgationes fieri quandoque graves, cum torminibus, variis ſpaſmis, violenta humorum agitatioue, inteſtinorum exulceratione, deli quio, paſſione hyſterica &c. quæ omnia ſymptomata cum contingere ſoleant, vel ex acrimonia nimia, & corroſivitate humorum evacuandorum, vel quod iidem nimium craſſi, viſcidi, fixi, immorigeri & archæo reſiſtentes ſint, factis etiam viarum impedimentis, ac exinde natis obſtructionibus; indicant remedia Præparantia, quæ nempe alterando, vitioſas humorum qualitates apparant, & quaſi præparant ſubſecuturæ eductioni. Nam ex *Hippoc. 2. aph. 9. corpora ubi quiſpiam purgare vult, fluida faciat oportet*. Vocantur etiam *digeſtiva*, quaſi pepaſmum, & coctionem humoribus inducentia.

II. Præ-

II.

PRæparantia ſeu *digeſtiva*, alia dicuntur *univerſalia*, quæ generaliter motui humorum promovendo, conveniunt, quæ ſunt polychreſta, & maximè infimi ventris cruditatibus corrigendis debita, ut v. g. crem. tart. vitriolat. &c. Alia *particularia* ſeu *ſpecialia*, quæ diverſos humores peccantes reſpiciunt, & quadruplici cacochymiæ corrigendæ deſtinata ſunt. Sic *bilem* præparant, quæ ſal vol. urinoſum plus minus oleoſum temperant, amaritiem ejus ac acrimoniam infringunt, obtundunt, ſaliaque diluunt, qualia ſunt nitrata, aquea, acidula, & ſubamaricantia, *Melancholicam*, quæ acidum fixum abſorbent, in ſalſum mutant, obtundunt, diluuntque, qualia ſunt terrea, urinoſa, martialia, antiſcorbutica, aquea, humoreſque aduſtos diluentia. *Pituitam*, quæ ejus viſciditatem corrigunt incidendo, attenuando, eamque fluxilem reddendo, qualia ſunt aperientia, ſalſa, acida, amara, acria, aromatica. *Serum*, quæ ſalſum & acre ejus corrigunt, illique nimis tenue incraſſant, qualia ſunt glutinoſa, mucilaginoſa, oleoſa, dulcia, terra, & papaveracea.

III.

PRo legitima *præparantium* adminiſtratione, Medici officium erit, obſervare 1. Ea potius convenire in morbis chronicis quam acutis 2. Ex præpaficatibus ſeligenda, vel ſaltem admiſcenda eſſe ſpeciran & appropriata, quæ vel huic aut illi viſceri ſpecifica, ut v. g. in ſuppreſſionem menſium hyſterica, in inappetentia, ſtomachica, in affectibus capitis cephalica &c. 3. Vel texturam fomitis morbifici ſpecificam, contraria ſpecifica textura deſtruunt, ejusque ſapo-

tem p. n. emendant, ut v. g. ſi acidam non in genere, ſed auſterum, acerbum &c. corrigatur 4. Senſim ac ſenſim a debilioribus ad fortiora progrediendum eſſe.

IV.

PRæterea, 5. Notabit Medicus, *præparantia* non nimis diu continuanda eſſe, & ſubinde interpolanda *purgantia*, ut, quod ſeparatum ac digeſtum, capitis mortui inſtar abſtergatur & evacuetur, unde in Germania, ubi longiores curæ haud tolerantur, præparantia & purgantia ſimul miſcentur, ut contingit in nodulis laxativis, ut una fidelia duo dealbentur parietes. 6. Dulcia, ut ſyrupos, qui in italia præſertim præparantium vices obeunt, in brodio carnis vel aquis deſtillatis diſſolutos plus nocere quam prodeſſe, cum ſaccharata ſint fermentativa, erodentia ſtomacho hoſtilia, ac quoſvis etiam ſuccos corporis viſcidiores, & minus activos reddant, hinc utiliora ſunt digeſtiva in forma pulv. decoct. ſucc. eſſent &c. 7. In ægris calidioribus, ſiccioribus vel atrophia laborantibus, temperatoria, humidiora & liquidiora eligenda, ut brodia alterantia, ſerum lact. decocta &c.

ARTICULUS II.

De Officio Medici, in præſcribendis Præparantibus, ſeu Digeſtivis.

I.

PUlvis digeſtivus in affectu Hypochondriaco. ℞. *Crem. tart. dr. j. cryſt. tart. dr. ss. ſal. abſinth. ſcolopend. frax. an. ſcr. 1. ol. mac. ſcr. ss. M. ſ. Pulv.* S. Pulvis digeſtivus, cujus magna cuſpis cultra plena una hora ante prandium, & cœnam in juſculo petroſel. ſumenda.

Alius ℞. *Cryſt. tart.* vel *pulv. epat. rub. ſcr. jv. ſal. abſinth. cich. an. ſcr. j. pulv. mac. ſcr. ss. M. f. Pulv. divid. in 4. p. æq.* S. Pulvis digeſtivus pro quatuor vicibus.

Alius in Febribus intermittentibus. ℞. *Crem. tart. dr. j. ss. ſal. abſinth. cent. min. tamariſc. an. ſcr. 1. ss. frax. ſcr. ij. flor. armon. cum marte ſublimat. ſcr. 1. M. f. Pulv. divid. in ix. p. æq.* S. Pulvis digeſtivus in febribus. Detur unus ex brodio decoct. rad. petroſel. cichor. fœnic. &c.

Alius in Cachexia. ℞. *Crem. tart. dr. j. tart. vitriolat. ſal. abſinth. an. dr. ss. ocul. canc. præp. ſcr. j. M. f. Pulv. divid. in 4. p. æp.*

Alius in Scorbuto. ℞. *Tart. vitriolat. ſal. geniſt. abſinth. an. ſcr. j. ss. ocul. canc. fæculari. an. ſcr. j. elæoſacch. cit. aniſ. an. gutt. ij. cinam. gut. j. M. f. Pulv. divid. in 4. p. æq.* detur una doſ. ex ſeq. Brodio. ℞. Herb. rec. cochlear naſturt. aquat. acetoſ. Hiſpan. an. p. j. contuſis affund. Brod. carn. non ſalit. & ferv. unc. iv. Coletur.

Pulvis abſorbens Wedelii. ℞. *Vitriol. mart. gr. vj. conch. præp. ocul. cant. corall. rub. præp. antim. diaph.*

cinnab. antim. an. ſcr. ss. laud. op. gr. j. ol. deſt. caryoph. gut. j. M. f. Pulv. divid. in 6. p. æq. S. Pulvis abſorbens, pro 6. vicibus. Utiles ſunt in cardialgia, affectu hyſterico, hypochondriaco &c.

Julepus digeſtivus in affectibus Capitis frigidis. ℞. *Aq. fœnic. hyſſop. an. unc. iv. beton. ſalv. an. unc. ii. ſyr. de hyſſop. unc. ii. de ſtæchad. de beton. an. unc. i. oxymel. ſquillit. unc. i. ss. eſſent. roriſm. dr. ii. M.* S. Julepus digeſtivus de quo mane & veſperi dimidium octavæ partis ſumatur.

Alius in affectibus Mulierum frigidis. ℞. *Aq. hyſſop. fœnic. arthemiſ. meliſs. puleg. an. unc. iv. cinam. unc. ij. ſyr. aperit. Minderer. unc. iij. de arthemiſ. compoſ. unc. ij. ſpirit. ſal. gut. xxx. M.* S. Julepus digeſtivus pro 6. aut 7. vicibus ſumendus.

unc. i. crem. tart. dr. ii. ss. cinam. ſcr. ii. z. z. zed
ſem. aniſ. fœnic. coriand. præp. an. ſcr. i. M. *ad Sa*
cul. pro lib. iii. vini.

Nodulus ante Ictericus. ℞. *Rad. cich. aſparag. a*
dr. ii. chelidon. mai. polypod. querc. an. dr. i. ss. fol.
ſenn. ſ. unc. ii. rhab. ſel. dr. vi. fibr. elleb. nig. tur
alb. gummoſ. an. dr. iii. herb. cuſcut. chamæd. nob. ch
mæpyth. cent. min. marrub. an. pii. ss. curcum. dr.
ſem. cit. ſcr. ii. coriand. præp. aniſ. an. ſcr. i. galan
min. cinam. el. an. ſcr. i. ss. croc. ſcr. i. tart. crud. dr
iii. M. inciſ. & contuſ. ad Nodul. pro menſ. i. ss. vin
alb. & menſ. ss. aq. font.

Nodulus ex ſolo Rhabarbaro. ℞. *Rhab. el. unc.*
vel *dr. iii. cort. flav. arant. dr. ss. contuſa groſſo mo*
ac Nodulo ligata inf. in aq. deſtill. cichor. & vin. al
an. lib. ss. vel lib. i. vin. alb. Doſ. *unc. iv.* vel *v.*

Boccherum Rhabarbarinum. ℞. *Aq. font. menſ.*
ebull. per med. quadrant. horæ infund. rhab. el. dr.
ſant. cit. dr. ss. cinam. & ſacch. parum. Col. pro po

ord

ordinario. Utile hoc præſertim Infantibus in cachexia, contumacibus obſtructionibus viſcerum, morbiſque chronicis exinde oriundis.

Nodulus pro Infantibus. ℞. *Rad. gram. fol. ſenn. ſ. an. dr. j. tamarind. unc. ss. in petia ligatis ſuperaffund. aq. calend. lib. iv. detur pro potu ordinario* infantibus 4. 5. vel 6. annorum, quo plurimos cachecticos, & hydropicos reſtituit Sorbair.

Formulæ

Clyſterum & Suppoſitoriorum.

CUm purgantia per os aſſumpta ſæpè contraindicentur, eorum loco Clyſteres evacuantes præſcribi ſolent nunc lenitivi, nunc mediocriter, nunc fortiter purgantes & revellentes, quorum aliquæ ſelectæ hic proponuntur formulæ, ad imitationem.

Clyſter lenitivus. ℞. *Decoct. emoll. lib.* I. vel *emoll. & carmin. an. lib. ss. ſacch. rub. unc. ij. elect. diacathol.* vel *caſs. pro clyſt. dr. vj. ol. viol. chamom. an. unc. i. cum ſale & vitell. ov. M. f. Clyſt.*

Alius in Febribus uſualis. ℞. *Herb. malv. alth. mercur. violar. acetoſ. an. mi. hord. m. ss. fl. viol. chamom. an. pii. ſem. aniſ. dr. ii. coq. in ſ. q. aq. ad* 3. *in Col. unc. x. diſſolv. elect lenit. unc. i. caſs. pro clyſt. unc. ss. ol. viol. chamom. an. unc. i. ss. vitell. ov.* No. *i. cum pauco ſale M. f. Clyſt.*

Alius. ℞. *Rad. alth. dr. iii. herb. malv. violar. pariet. an. mi. ſem. lin. fœnug. an. dr. ii. fœnic. dr. i. ss. hord. excort. m. i. inciſ. & contuſ. coq. ad conſumpt. 3. p. in col. lib.* I. *diſſolv. ſacch. rub. unc.* I. *ss. elect. lenit.* vel *diacathol. dr. vi. ol. viol. amygd. d. an. unc. i. cum ſal. & vitell. ovi M. f. Clyſt.*

Clyſter paulo fortior. ℞. *Fol. rut. branc. urſ. mercurial. parietar. malv. cum tot. an. m. ss. fl. cham. mi.* ſum-

ſummit. aneth. fl. melil. an. m. ss. Rad. alth. unc. ss. ſem. aneth carv. an. dr. ii. coq. ex aq. ſ. q. in Col. unc. x. diſſolv. elect. lenit. dr. vi. bened. laxat. unc. ss. hier. ſ. vel *elect. de ſucc. roſ. dr. ii. ol. aneth. rut. an. unc. ss. ſalis gemm. dr. i. M.*

Clyſter mediocriter à capite revellens. ℞. *Rad. alth. dr. vi. lil. alb. dr. iii. herb. meliſs. beton. rut. hyſſop. ſalv. roriſm. an. m ss. fl. cham. malv. cum tot an. min. cent. min. pi. ſem. carv. fœnic. an. dr. ii. coq. in ſ. q. aq. ſ. in Col. unc. x. diſſolv. elect. diaphœn. hier. ſ. an. unc. ss. mell. anthoſ. dr. vi. ol. rut. chamom. an. unc. i. ſal. gemm. dr. i. M. f. Clyſt.*

Alius fortior. ℞. *Herb. mercurial. orig. cent. min. puleg. calaminth. bethon. an. ss. ſem. cartham. in pet. lig. dr. vj. agar. in pet. lig. dr. ij. fl. ſtæch. Arab. dr. ii. inciſ. coq. in ſ. q. aq. font. in col. unc. x. diſſolv. elect. hier. ſ. logad.* vel *hier. cum agar. bened. laxat. an. dr. iij. ol. rut. unc. i. cham. aneth. an. unc. ss. ſal. gemm. dr. i. M.*

Alius clyſter acris, utilis in affect. Soporoſis. ℞. *Herb. abſinth. cent. min. rut. an. mi rad. pyreth. dr. vi. pulp. colocynth. in pet. lig. dr. ij. inciſ. & conquaſs. coq. ex ſ. q. aq. in col. unc. x. diſſolv. elect. hier. ſ. logad. bened. lax. an. dr. iii. ol. rut. unc. i. cham. aneth. an. unc. ss. ſal. gemm. dr. i. M.*

Clyſter ſimpliciſſimus fortiter revellens, ac utiliſſimus in affectibus Soporoſis, Aſthmate, Colica contumaci &c ℞. *Pulp. colocynth. in pet. lig. à dr. i. ad dr. iii. coq. in ſ. q. brod. carn. in col. lib. i. diſſolv. ſacch. rub. unc. ii. vitell. ov.* No. 2. ſi mitiùs agendum, add. *ol. viol.* vel *chamom. unc. i. ss. M.*

Clyſter in Gravida. ℞. *Brod. gallin.* vel *carn. alterat. malv. pariet. unc. viii. vel x. ol. amygd. d. cham. an dr. vj.* vel *unc. i. mell. anthoſ. unc. i. ss. ſacch. rub. dr. vi. vitell. ov.* No. 1. *M.*

Clyſter laxativus anti-Colicus. ℞. *Herb. 5. emoll. an. m. ss. fl. chamom. ſummit. aneth. an. m. ss. rad. alth.*

alth. lil. alb. an. dr. ii. ſem. lin. fœnug. an. dr. iii. f. decoct. in ſ. q. brod. carn. in Col. unc. x. diſſolv. elect. lenit. diacathol. an. dr. vi. mell. roſ. ſol. unc. i. vitell. ov. N. 1. ſalis parum M.

Suppoſitorium acre in affectibus Soporoſis. ℞. *Pulv. euphorb. ſcr. ss. colocynth. gr. iv. elleb. gr. ii. ſal. dr. ss. mell. coct. unc. ss. M. f. Suppoſit. S.*

Aliud. ℞. *Spec. hier. pic. Gal. ſcr. i. troch. alband. ſcr. ii. ſal. gemm. ſcr. ss. mell. coct. q. ſ.* M. *pro Suppoſit.*

Aliud mitius. ℞. *Spec. hier. pic. dr. i. ſal. comm. ſcr. i. mell. coct. q. ſ. pro Suppoſit.*

ARTICULUS VII.

De Officio Medici, in evacuandis humoribus per Vomitum.

I.

CUm humores pravi, vitioſi & cacochymici non tantum per alvum, ſed etiam per vomitum evacuari ſoleant, obſervet Medicus, *Vomitum* non tantùm indicari a materia vitioſa in primis viis, ventriculo nempe, duodeno, meſenterio, pancreate, liene, cava epatis parte exiſtente, verum etiam & quidem potiſſimum ab ejus tenuitate, proclivitate ac mobilitate ſurſum verſus. Nam teſte Coo. 1. aph. 21. *quo natura vergit, eò ducenda eſt*; non autem ſolum humores tenues, bilioſi, ſpumeſcentes, aquei, volatiles ac facilè mobiles evacuantur, ſed phlegma quoque viſcoſum, & tunicis ventriculi firmiter impactum excutitur, unde *Emeticorum* ope, contumaces morbi ad miraculum ſæpius eradicantur, & cum impetu frequentius evellitur, quod communia purgantia non attingunt. Hinc teſte *Galen. Vomitus omnium purgantium ſaluberrimus*,

rimus, modo facilè fiat, & moderatè. Licet autem principaliter primam: tamen mediatè, & conſecutive etiam ſecundam & tertiam regionem expurgat.

II.

CONveniunt igitur *Vomitoria*, 1. In continuatum & malignarum Febrium principio, vel etiam augmento, ſi vires nondum attritæ fuerint; præſertim ſi adſit nauſea, vel inanis vomendi conatus, ſapor & ructus amari, cardialgia, præcordiorum anxietates, vel hauſtum contagium, prodens ſe nauſea & anxietatibus, cum per hæc non tantum æger præmuniatur à diarrhœa, anxietatibus, deliriis, aliiſque graviſſimis ſymptomatibus, ſed etiam ſæpius morbus in ipſis incunabulis ſuffocetur, & una quaſi falce demetatur. 2. In Febribus intermittentibus, & præcipuè quartana, duabus vel tribus horis ante paroxyſmum exhibita. 3. In Inappetentia, cardialgia, affectu Hypochondriaco, & morbis chronicis ex acido primarum viarum exortis, præſertlm ſi bilis acido jungatur, aut acidum tertius ac mobilius ſit, & quidem non tam præſervativè, quam etiam curative.

III.

PRæterea. 4. Proſunt in capitis dolore ſympathico, vertigine bilioſa, ſi primi ejus natales in ventriculo, & partibus vicinis deliteſcant. In Apoplexia *poſitiva*, aut ex ingluvie orta; dum nervorum oſcula validè concutiunt, ac impedimenta ſpirituum, & cauſam morbiſica tollunt. 5. In Mania, Melancholia, Aſthmate humoroſo, & præcipuè ſtomachali, cum per ea magna pituitæ copia rejiciatur tum ex ſtomacho, tum ex pulmonibus per conſtrictionem pectoris ſimul concurrentem, vel ſaltem concuſſione illa humor iſte tenax è tubulis pulmonum, & aliis partibus abraditur, ejici-

ejicitur, fluxilis redditur, ut denuò cum ſanguine circulari, corrigi, vel ad ignobilem partem deponi poſſit. 6. Tandem conveniunt in præcautione Arthritidis, Podagræ, Nephritidis, ac irritis etiam aliis, in Partu difficili &c.

IV.

COindicatur *Vomitus*. 1. Ab habitu corporis, unde *Hippocrates* 4. *aph.* 6. ait: *Graciles*, (intellige natura tales, ob humores magis mobiles, vias patulas, ac fibras magis fluxiles,) *& ad movendum faciles, per ſuperiora purgare convenit, niſi hyems adſit*. 2. A tempore anni; hinc præſervativè vernum magis & æſtivum eligendum; unde etiam prædictus Senex 4. *aph.* 4. ait: *Æſtate quidem ſuperiorem magis ventrem, hyeme inferiorem purgare convenit*. 3. A conſuetudine, a natura ad vomitum prona ac facili. 4. A ventriculi & viſcerum robore, ac præcipuè a viribus, cum in hoc viſcera valide concutiantur; ipſæque fibræ non raro inſigniter convellantur, ut ſpiritus animales in impetus inordinatos adacti, graviſſima ſæpè inducant ſymptomata. 5. Ab ætate, juvenili nempe & virili; ac ultimo tandem, a ſymptomatibus quibuſdam & accidentibus, de quibus *Hippoc.* 4. *aph.* 17. ait: *non febricanti, cibi faſtidium, cordis dolor, vertigo tenebricoſa, & oris amaritudo, per ſuperiora purgandum opus eſſe ſignificat*.

V.

COntraindicatur *Vomitus*. 1. A conſtitutione corporis inepta, ut v. g. gibboſa, ſcrophuloſa, aut quibus pectus anguſtum, vel depreſſum, vel qui obeſi, aut alias ad vomitum difficiles; unde *Hippoc.* 4. *aph.* 7. ait: *ægrè vomentes, & modicè carnoſos, quos Græci euſarcos appellant, per inferna purgato &c.* 2. A pro-

procidentia quadam corporis in abdomine, ut Inteſtinorum, uteri &c. 3. A graviditate. 4. A capitis affectione per eſſentiam, ſyſtemate præſertim nervoſo debili exiſtente. 5. Ab oculorum affectu, & præſertim inflammatione. 6. In pulmonum læſione eſſentiali, ac præſertim hæmoptyſi, nam ex *Hippoc.* 4. *aph.* 8. *Tabi obnoxios, ſupra ne purgato*. 7. Ab affectibus abdominis convulſivis ac dolorificis, tumoribus abdominis inveteratis, abſceſſibus internis, menſium defectu ex vitio uteri, atrophia, virium languore, ægris præſertim lypothymiæ obnoxiis exiſtentibus.

V I.

MEdicamenta *Emetica* alia ſunt *primaria*, & propriè talia, quæ vim exſerunt irritando, dum nempe acrimonia ſua ſalino-ſulphurea, & quidem volatiliori, quam habent purgantia per inferiora, particuliſque ſuis aculeatis, profundius ſeſe inſinuant, ac fibrillas nervorum per ventriculum copioſè diſſeminatorum, tracto etiam in conſenſum inteſtino duodeno, cum ductu choledocho & pancreatico, inordinatè movent ac vellicant, ut ſpiritus animales copioſius in fibras irruant, motum periſtalticum invertant, & veluti motu convulſivo contenta in ventriculo ſurſum expellant. Alia *ſecundaria*, impropriè vomitoria dicta, quæ laxando, lubricando, & ventriculum gravando, & reſupinando vomitum cient, ut v. g. *ol. commun.* vel *amygd.* cum *ſperm. cet.* & *butyr.* liquefact. cum *cerevifia Juſculo pingui &c.* ac locum tantum habent in excernendis per vomitum venenis corroſivis, vel ubi vomitus vomitu curatur, ut v. g. in Cholera.

VII. Quo-

VII.

QUoad regimen & uſum *Emeticorum*, obſervet Medicus, 1. Ea exigente neceſſitate quovis anni tempore exhiberi poſſe, præſervationis tamen gratia maxime vernali. 2. Melius etiam ſuam operatione exercere, aſſumpta in forma liquida. 3. Antimonia & Mercurialia tutius in infuſo, colando ea per chartam emporeticam, quam in ſubſtantia exhiberi; cum ſecus ventriculi tunicis ac plicis adhæreſcentia, ſubinde cieant lethales hypercatharſes, vel enormes vomitus, qui tonum ventriculi deſtruunt, ac viſcera impenſè debilitant. Hinc licet talia exempla, & formulæ apud *Rolſink.* & *Willis.* proſtent, non tamen facilè & tutò imitandæ. 4. In horum infuſione non tantum conſiderandum eſſe, quantum ſumatur de vomitorio, quam quantum accipi debeat, de menſtruo nempe ab unc. ss. ad unc. 1. vel 1. ss. ad ſummum. 5. Eadem etiam tutius præſcribi, in doſi refracta, præſertim in febribus malignis, in quibus alias fluidiora ſunt contenta. 6. Vomitoria liquida tepidè ſumenda eſſe, cum ſic facilius nauſeam concitent, & expultricem ad expulſionem moleſtent. 7. Si forma Boli exhibeantur, poſt dimidiam vel integram horam elapſam, liquorem aliquem tepidam deſuper bibendum eſſe. 8. Horam eo bibendi vomitivi in morbis chronicis eſſe matutinam, jejuno ventriculo; in febribus intermittentibus ſubinde exhiberi una hora ante paroxyſmum; in noxia quavis re aſſumpta, vel exhibito veneno, quamvis horam idoneam eſſe. Si humores ſint craſſi, viſcidi, lenti, poſt cibum expeditius & minori cum labore evomuntur.

VIII. Sub-

VIII.

SUbinde Vomitus ab aſſumpto emetico nullus vel parcus nimis excitatur, quod contingere poteſt, vel ob mucum viſcidiorem parietes ventriculi incruſtantem, ac ſic eum, quaſi ſenſus expertem reddentem, vel ob vomitorium acidis nimis fixum redditum: hinc quartanarii ac melancholici difficulter vomunt; vel ob robur ventriculi omnia deorſum potius promoventis, vel ex ſenſus defectu in morbis lethalibus. Si igitur ſubinde non operentur, vel non ſatis, formidandum non eſt, cum ſubinde utiles ſequantur ſalivationes, vel purgationes per alvum; interim promoveri poteſt, ſi conſultum videatur, aſſumpto Juſculo calido bene ſalito, vel intruſione digiti in fauces, vel extremitatis plumoſæ calami ſcriptorii oleo imbutæ; ſicuti econtra, ſi nimius fiat, ſiſtendus vino generoſo tepide propinato, & ſi prima vice rejiciatur, reiterato cum buccella panis, opiatis aromaticis ſociatis, & ſpeciatim theriac. cum laud. op. in vino aſſumpto, uti etiam exterius cum ſpirit. vin. crocato applicata.

ARTICULUS VIII.

De Officio Medici, in præſcribendis Emeticorum formulis.

POtio Emetica ex vitriol. mediocriter ſine multa moleſtia vomitum ciens, & ex ſolo ventriculo evacuans. Nam Vitriolum, ob mitem agendi operationem, Manna vomitoriorum à nonnullis intitulatur. ℞. *Vitriol. alb. præp. dr. ss.* vel *ſcr. ii. oxymel. ſ. dr. iii. aq. deſt. cich.* vel *ment. unc.* 1. M. *S.* Potio emetica pro una vice.

Pulvis Emeticus maximè uſualis. ℞. *Crem. tart.* vel *ſal. armon. gr. xv. ſal. abſinth. gr. v. tart. emet. Minſ. gr. i. ii. iii. M. ſ. Pulv.* Si ſimul per inferiora purgandi animus, add. *ſcamm. ſulph. gr. viii. x. ol. deſt. mac. gut. ii. M.* Notandum eſt, hodiè apud ſelectiores Practicos, optimum & uſitatiſſimum vomitorium conſtituere, *tart. emet.* qui rarò fallit, adeò ut etiam infantibus, quarta vel ſexta pars grani à nonnullis exhibeatur.

Potio Emetica, ex infuſo Croc. Metall. valida ſed tuta ſatis. ℞. *Croc. metall. rite præp. a gr. vi. ad viii. xii. ebull. parumper in ſ. q. vin. alb. Col. per Chart. emporet.*

Alia ex Vitro Antimon. vel Mercur. vit. ℞. *Mercur. vit.* vel *vitr. antim.* vel *croc. metall. gr. v. infund. in vin. Rhen. q. ſ. ſtent in loco tepido per noct. mané* ℞. *de filtratura per chart. emporet. facta unc. ss.* i. vel 1. ss. Eodem modo procedi poteſt cum nummis, annulis, globulis, & ſcyphis ex *regulo antimonio* paratis.

Potio ex Syrup. Emet. ℞. *Syr. emet. Angel. Sal. dr. ii. iii. unc. ss. Julep. roſ. unc. ss. aq. cinam. dr. ii.* vel

℞. *Aq.*

℞. *Aq. card. b. ſyr. emet. Ang. Sal. ritè præp. an. dr. iii. aq. cinam. dr. ii. M.*

Bolus Emeticus. ℞. *Conſ. fl. tunic. à ſcr. i. ad dr. ſs. tart. emet. Mins. gr. ii. iii. crem. tart. gr. v. M. f. Bol. S.*

Pilulæ Emeticæ, ℞. *Extr. aſar.* vel *panchym. gr. vi. tart. emet. gr. ii. ol. deſtill. zedoar. gut.* I. M. f. *Pilul. N. vii.* S. Pilulæ emeticæ pro una vice.

CAPUT VI.

De Officio Medici, in Affectibus indicantibus ſudorifera, diuretica, ſalivantia, errhina, ſternutatoria, apophlegmatizantia, & expectorantia.

ARTICULUS I.

De Officio Medici, in præſcribenda evacuatione per Sudorem.

I.

CUm *Sudor* in corpore humano ſoleat contingere, dum occaſione vel cauſæ externæ, ut v. g. exercitii, caloris ambientis &c. vel medicamenti interni, attenuatur ſanguis, magis fluxilis redditur, pluſque minùs liqueſcit & reſolvitur, hincque velocius circulatur, intenſius fermentatur, & incaleſcit, cum ſanguine etiam ſerum, à calore attenuatum, imbibit copioſè particulas minus reliquis cohærentes, ſeu permiſtas, & in ſpecie ſalinas, ac cum illis varias ſordes, & fermenta, quæ ſimul abſterguntur; hinc ſucceſſivè circa corporis habitum ſubin-

ſubintrat copioſiſſimè glandulas intercutaneas, ex quibus per vaſa excretoria, corporis poros conſtituentia, emanat. Cùm igitur Sudor tali modo contingat, Medicus exinde colliget, 1. In Sudore ſanguinem, & omnes humores attenuari, in motu ſuo debito ac circulatione optimè conſervari, ſtagnationes tolli, ac partes heterogeneas, & fermenta peregrina optimè ſic eliminari, atque adeò Sudorem eſſe univerſale ſanguinis, & partium ſolidarum purificativum, abſterſivum, uti etiam particulare peripheriæ ipſius corporis, morborum nempe cutaneorum. Colliget 2. Sudorem ſæpè maximè neceſſarium eſſe, quod eluceſcit, tum ex ipſa cutis, quæ tot millibus ſpiraculorum abundat ſtructura, ad ſudores eliciendos aptiſſima, tum ex plurimis morbis, qui ſudoribus criticè ſolvuntur, tum ex ſenſibili tranſpiratione, quæ aliis evacuationibus, teſte *Sanctor. in ſua ſtatica* copioſior eſt; unde ex hac impedita, tot morborum oriuntur genera, quæ omnia tolluntur Sudore, ut adeò nonnulli cenſeant, tertiam morborum partem curari ſudoriferis, quæ etiam purgantibus magis tutiora.

II.

Ex præſuppoſitis patet, *Sudorem* convenire, 1. In omnibus febribus, excepta hectica, & quidem tam intermittentibus, quàm continuis, ac præcipuè malignis, quarum nulla ferè ſine ſudore perfectè curata dicitur. 2. In inflammationibus, doloribus, tumoribus, tanquam effectibus circulationis impeditæ. 3. In cruoris extravaſione, vel revera tali, in vulneribus, contuſionibus, vel quaſi tali, ut in pleuritide, eryſipelate, arthritide, affectu iſchiadico &c. 4. In morbis omnibus ex humoris ſeroſi colluvie oriundis, ac in ſpecie defluxionibus catarrhalibus. In grumeſcentia & coagulatione ſanguinis, ut in palpitatione cordis, ſcabie, ſcorbuto &c. 6. Tandem non tam

M eva-

evacuationis, quàm alterationis gratia, ut nempe viſcida attenuent, aut humores coagulati, & ſtagnantes reſolvantur in morbis chronicis, & contumacibus, quorum cauſæ altiores ægerunt radices, ut v. g. epilepſia, paralyſi, arthritide, malo Iſchiadico, lue venerea, doloribus ac fluxionibus capitis inveteratis, catarrhis, cachexia &c. qui purgantibus atque aliis alterantibus curari haud potuerunt.

III.

SIcuti autem coindicantur Sudorifera à viribus conſtantibus, ætate habili, & loco calido: ita contraindicantur ab aere & loco frigidiori, ac viribus præcipuè exſolutis; cùm per ſudores præcipuè largiores ſpiritus exhauriuntur, corpus emacietur, colliquetur, roſque nutritivus nimis reſolvatur. Item ſubjecta calida & bilioſa, minus, & non diu ferunt ſudores, præſertim à ſudoriferis calidioribus excitatos: item contraindicantur, ubi vel ſerum deficit, in maniacis, cholericis, gracilioribus, ſenibus, ſqualidis, ad maraſmum & phthiſin inclinantibus, vel ubi ſerum nimis abundat, ut in hydropicis, ubi ſimul eſt extravaſatum.

IV.

MEdicamenta *ſudorifera*, nonnullis etiam dicuntur *diaphoretica* & *hydrotica*, licèt ab invicem diſtinguantur; Illa enim ſenſibilem magis humidam & rivuloſam ſeri evacuationem perficiunt: hæc udorem vel madorem potius cient, evacuando magis inſenſibilem materiam vaporoſam, & halituoſam. Vim autem ſuam exſerunt Medicamenta ſudorifera & diaphoretica, vel *poſitivè*, calore, & tenuibus ſuis particulis humores M. S. attenuando, incidendo, colliquefaciendo, ac ad cutis glandulas cum aliis obvi-

propellendo, in guttas ibidem condenſando, vel inſenſibiliter evaporando; vel *privativè*, acidum coagulativum abſorbendo, imbibendo, & quod ſerum ligat, ac fixius reddit reſolvendo: & ſic per accidens ſanguinem attenuando. Hæc locum magis habent, ubi reſolutio virium timetur, & fræno potius eget ſanguis & ſerum, quàm ſtimulo: illa ubi ſanguis ad motum & fermentationem magis ciendus. Motus igitur naturæ obſervandus, quæ, ſi ipſa officio ſatisfaciat, & in ſudores promptè ſolvatur, modicè juvanda eſt, non pellanda: ſi deficiat, ſtimulanda; ſi excedat, refrænanda.

V.

PRo debito uſu *ſudoriferorum*, ſequentes Medicus obſervabit cautelas: 1. Primas vias debere eſſe emundatas, & à vitioſorum humorum illuvie liberatas. Nam in materia nimis copioſa, minus tuta ſunt ſudorifera, cum metus ſit, ne vel cutis ſpiracula occludantur, vel commoti ad partes principes ruant humores. 2. Exhibenda eſſe ventriculo jejuno exiſtente, ſeu propinentur in forma liquida, quæ citiùs, ſeu ſolida; quæ tardius operantur. 3. Sumptis ſudoriferis corpus plus ſolito eſſe tegendum; ut pori magis pateant, humoreſque magis fundantur, ac tegumenta circumcirca potius, quam ſupra ponenda, cùm pori cutis, ab onere ſtragulorum & tegumentorum nimis preſſi, ſudores difficillimè tranſmittant. Nonnulli, ut ægri in lecto melius ſudent, ſudorem lagenis aqua calida plenis, vel lateribus calidis linteo involutis, ſub axillas ad latera ægri poſitis, promovent. In Diæta ſudorifera, ſic dicta per ſynecdochen, quod in ejus uſu exacta & accurata vivendi ratio ſit obſervanda, Decoctum lignorum exhiberi ſolet in robuſtioribus, corpore in ſtupha ſeu laconico exiſtente, ac excitato vaporoſo calore per affuſionem alicujus decoct. vel

 ſpirit.

ſpirit. vin ſuper lateres vel ſilices ignitos, ut ſudor magis proliciatur. 4. Melius eſſe, ſi ægri non violenter cogantur ad ſudorem, præſertim ſi corporis textura, & ſanguinis diſpoſitio non reſpondeant. Minus enim ſudant, quibus ſanguinis ſtatus magis condenſatus, ac fibræ, pori & meatus cutanæi adſtricti, & contracti; hinc præſtat ſæpè, præſertim etiam in febribus malignis & expellendis variolis, diaphoreſin continuare, & naturæ tempus concedere, quàm eandem cogendo peſſumdare, cùm ſic ſeri proportio nimis abſumatur, ſanguis ipſe ad fermentationem magis cieatur & naturæ benè agentis conatus interrumpatur. Præſtat igitur naturam ſequi, & ducere, quàm pellere, cùm præſtet ſæpè tenuis udor, quod non præſtat ſudor.

VI.

PRæterea. 5. Obſervabit Medicus, ſudorem ad horam unam vel dimidiam, raroque ultra duas horas continuandum eſſe, præſertim ſi ſatis rivuloſe fluat, cùm ad vires maximè reſpiciendum ſit. In cura lignorum ſudorifera, una vice de die frequentius, & quidem mane ad unc. vi. calidè ebibito decocto, ſudor prolicitur, licèt ſubinde in robuſtis, valdè pituitoſis & copioſis excrementis refertis, etiam circa veſperam idem uſus decocti repeti poſſit. In febribus continuis, malignis, variolis, bis vel etiam ter de die, ſi magna adſit malignitas, ſudorifera exhiberi poſſunt. 6. Cavendum eſſe, ne fluente adhuc vel etiam abſterſo ſudore, aer frigidus per poros adhuc patulos admittatur; hinc poſt ſudorem linteamina & induſia (calidè prius corpore abſterſo) mutari, & alia tepida indui poſſunt. 7. Durante ſudore, ſi æger ſitiat, potum largiorem concedi poſſe, cùm ſudorem coadjuvet, præſertim ſi calidus ſit, frigidus autem magis eum impediat, maximè confertim hauſtus, licet magis

gis recreet. Poſt ſudorem, moderate acidula conveniunt, ut ſanguis attenuatus & reſolutus, blande iterum coeat.

VII.

ITem advertet Medicus. 8. In diæta ſudorifera, pro majori vel minori morbi vehementia & contumacia, per dies 15. 20. 30. & ultra perſiſtendum, (niſi vires deficiant) ac talem victus rationem obſervandam eſſe, ut æger utatur aſſis potius quam elixis, aviculis nempe montanis, pullis columbinis, gallinaceis &c. pane bis cocto, paſſul. amygd. toſt. &c. pro potu Boccheto, id eſt, Decocto lignorum ſecundario, ut alvus, ſi fuerit obſtructa, clyſtere emolliatur, & quod optimum, ſingulis 6. vel 8. diebus purgatio inſtituatur, omiſſa illa die potione ſudorifera, ut etiam craſſior materia, quæ aſſumptis partibus tenuioribus reſtagnare ſolet, per alvum deturbetur. 9. Decoctum hoc ſudoriferum etiam uſurpari citra ſudorem, pro ſolo ſcopo alterativo, in affectibus chronicis, & præſertim exulcerationibus internis, additis vulnerariis, ut quotidie bis vel ter hauſtus de eo ſumatur. 10. Tandem quoad tempus in febribus notandum, quod, niſi febres nimis ſint malignæ, aut eryſipelati, vel pleuritidi junctæ, melius ſit coctionis ſigna exſpectare, ut materia excrementitia non cruda ſit, ac vitioſè in ſanguine ebulliat, ſed præcipitata & ſeparata, alias enim vel nullus ſequitur ſudor, vel nudus latex aquoſus; cum ſpirituoſis halitibus tantum exhalat, ſine euphoria ægri, & cum inſigni potius ejuſdem damno, nam nihil ſeparari poteſt ex liquore, cujus porulis intimè unitum eſt. Hinc ad imitationem naturæ: vel in declinatione univerſali morborum, vel particulari paroxyſmorum tantum ſudores movet, ac eadem variolas & petechias, non niſi poſt aliquot dierum febrim, ſalubriter & ſufficienter expellere ſolet; ut adeò aphoriſ-

mus *Hippoc.* decoctis evacuandis, non tantum de purgantibus ſed etiam ſudoriferis & diureticis intelligendus ſit.

ARTICULUS II.

De Officio Medici in præſcribendis formulis Remediorum Sudoriferorum.

DEcoctum Sudoriferum famoſum in lue venerea, multis pro arcano habitum ℞. *Rad. chin. ſel. lib. ss. add. ſarſapar. non carioſ. lib ss. ſaſſafr. unc. ii. antim. crud. pulv. & aq. font. priùs lot. ad ſeparationem pulveris nigricantis, unc. i aq. font. lib. iv. Coq. ad conſumpt. medietat. poſt refrig. col* S. Decoctum ſudoriferum, de quo mane octava pars jejune calide bibenda, & poſtea ſudandum.

Aliud Zvvolfferi. ℞. *Ling. guaiac. torno deraſ. unc. vi. ſaſſafr. rec. unc. iii. rad. chin. ſarſapar. an. unc. ss. liq. raſ. unc. i. paſſul min. unc. iv. mercur. vivi antim. crud. contuſ. in pet. ligatorum an. unc. iii. aq. font. lib. xxiv. inciſ. infund. per 14 horas, poſt coq. ſ. a. ad remanent. lib. xvi. Colat. detur ad vas vitreum* vel *terreum, nullo modo autem metallicum. Dentur quotidie unc. v.* vel *vi.* vel *mane hora ſexta & veſperi hora quarta, unc. iv. calide.*

Pro Potu. ℞. *Chin. opt. ſarſapar. an. unc. ii. lign. ſaſſafr. rec. unc. i. ss. rad. liq. raſ. unc. i. paſſul. min. unc. iii. aq. font. lib. xxiv. inciſ. ſtent per hor. 24. binc coq. ſ. a. reman. lib. xviii. Col. S.* poſtpotus ad bibendum in diæta ſudorifera.

Aliud in Gonorrhœa virulenta. ℞. *Raſur. lign. guaiac. ſarſapar. an. unc. iv. cort. lig. ſanct. dr. vi. infund. in aq. puriſſ. lib. vi. ſtent in loco calido per 24. horas, coq. in diplom. ad cunſumpt. 3. p. add. in medio coct.*

coct. rad. liq. enul. an. unc. ss. cinam. ac ut. dr. iii. ſem. aniſ. fœnic. an. dr. ij. Col. Doſ. unc. vj. provocatis in laconico ſudoribus.

Aliud. ℞. *Lign. ſanct. unc. x. cort. ejuſdem unc. j. ſarſapar. unc. iii. inf. in aq. lib. xij. decoq. ad mediet. col. reſident. affund. lib. xij. coq. ad coſumpt. 3. part. add. paſſul. unc. ij. liq. dr. ij. M.*

Diæta ſudorifera in Paralyſi vera. ℞. *Ling. guajac. ver. unc. iv. cort. ejuſdem dr. ij. lig. ſaſſaf. dr. vj. rad. peon. enul. Ir. an. unc. ss. inciſ. ſtent. in infuſ. in loco calido per 24. horas. Coq. ad remanet. lib. iv. ss. add. in fine fl. ſalv. primul. ver. anth. lavend. ſtœch. Arab. an. dr. ii. cinam. acut. unc. ss. ebull. ſemel atque iterum col. ſudetur in laconio, ſuſcitato vapore ex decocto herbarum cephalicarum, ſcoriis vel lapidibus ignitis affuſo.*

Alia in Suffuſione. ℞. *Rad. ſarſapar. unc. ij. lign. ſanct, unc. j. ſant. rub. unc.* ss. *rad. liq. dr. vi. aſperge ſp. ſulp. ſcr. i. inf. per hora. 24. in aq. lib. vi. add. paſſul. min. unc. iii. cibeb. unc. i. ss. herb. euphraſ. cum fl. mi. fl. cyan. beton. an. m. ss. ſem. coriand. fœnic. an. dr. i. ss. coq. ſ. a. ad reman. lib. iv. Col.* Doſ. *unc. iv.* vel *v.*

Decoctum ſudoriferum temperatum, in Catarrhis & affectibus Capitis. ℞. *Rad. chin. ſel. inciſ. unc. i. ſcarſaparill. vino purgat. a pulvere & contuſ. unc. i. ss. ſaſſafr. limat. dr. i. ss. inf. in lib. xii. aq. font. ſtent per horas 24. coq. ad conſumpt. medietat. col. addi etiam poſſet aliquid de viſco querc.*

Decoctum ſudoriferum in Podagra. ℞. *Scob. lig. guaiac. rad. ſarſapar. an. unc. ii. lig. ſaſſafr. craſſé limat. dr. i. ss. affund. aq. font. lib. vi. coq. in B. M. per hor. 6. col.* Subinde Decoctum fieri poteſt, ex ſolo ligno ſaſſafr.

Decoctum ſudoriferum in Scabie. ℞. *Scob. lig. ſaſſafr. guaiac. an. unc. vi. rad. chin. ſarſapar. an. unc. ss. cinam. acut. dr. i. fic. liq. an. unc. ss. paſsul. min. unc.*

 iii. ſem.

iij. ſem. aniſ. fænic. an. dr. ss. coq. in aq. font. lib. xv. ad tertias Col.

Decoctum alterans, putredinem inhibens, exſiccans & conſolidans, in Ulceribus & Abſceſſibus internis uſuale, ſine ſudoris provocatione. ℞. *Raſur. lign. ſanct. unc. iii. rad. ſarſapar. unc. ii. ſcorz. unc. i. ss. fragar. conſolid. mai. min. glycyr. an. dr. vi. herb. veron. m. ii. coriand. præp. dr. ii. paſſul. min. unc. iv. Coq. in aq. lib. xv. ad med. col. S.* Decoctum alterans, de quo mane veſperi, & nocte, 4. aut 5. unciæ ſumendæ.

Aliud magis temperatum. ℞. *Rad. chib. ponderoſ. unc. iii. ſarſapar. unc. i. ſcorz. unc. ii. caryophyllat. unc. i. macerata per noct. bull. m. in ſ. q. aq. font. add. herb. ſcabioſ. alchimill. heder. terreſt. an. m. i. fl. roſ. rub. m. i. violar. m. ss. ſem. fænic. dr. i paſſul. unc. ii. decoct. traiic. per manic. Hippoc. Col. S.* ut ſupra.

Brodium columbinum, exſiccans & ſudoriferum, in Catarrhis, & incipiente Phthiſi utile, vulg. ℞. *Rad. chin. ſel. in taleol. ſciſs. dr. ii. lig. lentiſ. dr. ii. mac. ſcr. ss. M. ad chart. S.* Species pro brodio columbino in quibus una dimidia columba in vaſe aperto ebullienda, uſque dum caro ab oſſibus ſeparetur. Et ſic pro ceteris doſibus, per 14. vel plures dies.

Aliud Brodium Catarrhale, ſuave & proficuum in Catarrhis diuturnis, viſcera corroborans, & materiam ſeroſam abſumens. ℞. *Chin. ſel. unc. i. lign. lentiſc. dr. vi. rad. Rhod. dr. ii. incid. & infund. aliquamdiu, hinc coq. cum gallin. iuvene in lib. v. vi. aq. font. ad debitam cocturam, cap. m. unc. vi.* vel *viii. aromatiz. cum pauco mac.* Singulis tribus diebus paretur recens.

Potio ſudorifera in Febribus continuis & malignis. ℞. *Elect. diaſcord. Fracaſt. ſcr. iv. pulv. rub. pannon.* vel *ſpec. de hyac.* aut *liberant. ſcr. i. lap. bez. orient.* vel *ſal. vol. C. C. gr. vi. ſyr. acetoſ. cit. unc. ss. aq. card. b.* vel *ſcorz. unc. ii. ss. acetoſ.* vel *tot. cit.* aut

cor-

cordial. frig. unc. ss. M. S. Potio ſudorifera imalignitatem purgans pro una vice ſumenda.

Alia. ℞. *Aq. ſcabioſ. card. b. ſcord. an. unc. i. acet. bezoart. dr. iii. diaſcord. Fracaſt. dr. i.* vel *mithrid. confect. alk. an. ſcr. i. C. C. philos. præp. antim. diaph. terr. ſig.* vel *unicorn. foſſil. an. ſcr. i. nit. perlat. gr. vi. ſyr. de ſcord.* vel *rub. idæ. dr. vi.* vel *unc. i. M.*

Alia. ℞. *Mixt. ſ. ſcr. ii. antim. diaph. C. C. phil. præp. an. ſcr. i. aq. fumar. card. b. an. unc. i. ss. ſyr. acetoſ. cit. unc. ss. M.*

Emulſio ſudorifera in Variolis & Febribus malignis. ℞. *Semin. aquileg. nap. cit. an. dr. ii. pœon. dr. i. aq. fumar. card. b. galeg. ſcorz. an. unc. i. cordial. frig. dr. vi. M. f. Emulſ. add. C. C. phil. præp. ſcr. i. antim. diaph. ſcr. ss. ſacch. perlat. parum. S.* Emulſio ſudorifera pro una vice ſumenda.

Alia. ℞. *Sem. mel. dr. ii. card. b. aquileg. an. ſcr. ii. aq. acetoſ. fl. calend. fumar. an. unc. i.* vel *decoct. C. C. raſp. unc. iii.* add. *C. C. phil. præp. ſcr. i.* vel *dr. ss. Jul. roſ. unc. ss. M. S.* ut ſuprà.

Bolus ſudoriferus, in Eryſipelate, Scabie &c. ℞. *Rob. ſambuc. unc. ii. C. C. phil. præp. ſcr. i. bezoart. mineral.* vel *antim. diaph. gr. xv.* vel *pulv. rub. pannon. C. C. phil. præp. an. ſcr. i. lap. bez. gr. v. M.* S. Electuarium ſudoriferum pro una vice ſumendum, poſtea bibantur 1. aut 2. cochlearia aquæ Florum. Sambuci.

Alius. ℞. *Theriac.* vel *mithrid. opt. ſcr. i. ss. confect. alk. ſcr. i. C. C. phil. præp. ſcr. i. antim. diaph. ſcr. ss. ſyr. de card. b. parum M.*

Bolus ſudoriferus in Febribus malignis. ℞. *Diaſcord. Fracaſt. ſcr. ii. confect. hyacinth. ſcr. i. C. C. phil. præp. ſcr. ss. lap. bez. orient. gr. vi. M. S.* Electuarium ſudoriferum pro una vice.

Electuarium ſudoriferum pro pluribus doſibus. ℞. *Rob. Juniper. diaſcord. Fracaſt. an. unc. i. ss. ther.*

An-

Androm. mithrid. an. dr. ij. terr. ſigill. ſileſ. dr. i. ſyr. acetoſ. cit. q. ſ. M. f. Elect. S. Electuarium ſudoriferum in magnitudine nucis pro una vice ſumendum.

Pulvis ſudoriferus & expulſivus, in Variolis & Febribus malignis. ℞. *Pulv. rub. pannon. dr. ſs. ſpec. de hyac. ſcr. j. lap. bez. occident. gr. xv.* vel *orient. gr. vj.* vel *loco bez. ſal. vol. C. C. gr. xv. M. f. Pulv. divid. in 3. p. æq. S.* Pulv. ſudoriferus & expulſivus pro tribus vicibus ſumendus.

Alius. ℞. *Spec. liberant. de hyac. unicorn. foſſ. an. ſcr. ſs. ſal vol. C. C.* vel *lap. bez. orient. gr. vi. M. f. Pulv.* ſubinde unum vel alterum *gr. camphoræ* addi poteſt.

Alius. ℞. *Unicorn. veri, antim. diaph. cinnab. antim. ſal. vol. viper.* vel *C. C. an. gr. viij. M. f. Pulv.* detur ex aquis *é typh. cerv. card. b. ſcorz. fumar. &c.*

Pulvis alexipharmacus & ſudoriferus Mindereri. ℞. *Sacch. cand. dr. ij. camph. dr. j. M. f. Pulv.* cujus Doſ. *dr. j.*

A R-

ARTICULUS III.

De Officio Medici, in inſtituenda evacuatione per Urinam.

I.

CUm cacochymiæ curatio, non tantum purgantibus & ſudoriferis, ſed etiam quandoque perficiatur evacuatione per Urinam, quod clarè patet ex perfectis criſibus, quas natura ſubinde in pleuriticis, empyicis, aliiſque morbis detentis inſtituit per urinam, ea hic etiam inter evacuationes univerſales conſideranda; dum remediorum diureticorum ope, ſalia maſſæ ſanguineæ, aut ſuperflua, aut vitioſa, tartarea & peregrina, ſub lixivii urinoſi forma, per renum tubulos in eorum pelvim præcipitant, ac per vias urinarias eliminant, quæ evacuatio eò jucundior & tutior, quod nec vires proſternat, nec ſanguinem aut corpus conturbet, ſed cum ephoria humores, ex ſecunda aut etiam tertia regione evacuet.

II.

CUm igitur hæc ſanguinis depuratio per Urinam locum ſibi vendicet, ubi vel tartareæ, ſalinæque particulæ in corpore abundant, ac maſſam ſanguineam, & ſpeciatim ſerum inquinant, vel colluvies ſeroſa hinc inde in viſceribus, ſeu etiam in inſigni alia corporis cavitate deliteſcit, in uſum trahenda erunt *diuretica*. 1. In vitiis urinæ, ut ejus defectu, Iſchuria, dyſuria &c. 2. In ſero peccante, in quantitate vel motu, ut in cachexia, hydrope, & præſertim aſcite, anaſarca &c. 3. In ſero in qualitate peccante, ut Ictero, ſcorbuto, affectione hypochondriaca, & qui-

& quibuſcunque aliis lienis affectibus, vel revertalibus, vel ipſi ſaltem attributis, in quibus urina quandoque atramento ſimiles, vel cum copioſis arenulis, vel potius ſalibus concretis & præcipitatis, cum inſigni levamine rejiciuntur, 4. In gonorrhœa, fluore albo, arthritide, nimia obeſitate, calculo, declinationes, febrium, aliiſque pluribus affectibus.

III.

OPerationem ſuam exercent *diuretica*, vel abſtergendo, qualia ſunt tum aquea & liquida, ſerum ſubſtantialiter augentia, ac uberem aquoſamque materiam ſuppeditantia, ut Acidulæ, Serum lactis, Thermæ &c. tum aquoſa mucilaginoſa, acrimoniam ſeri temperantia, ut glycyrr. althæa, ſem. 4. frigid. m. &c. quæ diuretica frigida & impropriè talia, vel potius uretica dicuntur, vel ſanguinem attenuando, reſolvendo, & ſpeciatim laticem ſeroſum in eo fundendo, ac ita lotii copiam è toto corpore proliciendo qualia ſunt ſale volatili prædita, ac omnia ſalſa, tartarea & nitroſa; hinc ſal primum eſſe diureticum, rectè ſcribunt chymici. Proinde etiam acida & terrea alcalina, in alium ſaporem plus minus ſalſum convertuntur, ut fiant diuretica, vel ſerum acrius, indeque abſterſivum, & viſcidorum plus minus attenuativum, ac nonnihil colliquefactivum, & hinc renum ſtimulativum reddendo, qualia ſunt herbæ diureticæ; alcalinæ, ocul. canc. &c. vel acrimonia volatili renes irritando, & ad frequentiorem excretionem ſtimulando, qualia ſunt cantharid. & raphanacea. Vel tonum renum conſervando, & vim tranſcolatoriam non abſque aliquali ſtimulo promovendo, qualia ſunt juniperina, terebinthinata; vel tandem præcipitando, & ſic ſeparationem partium ſeroſarum, à ſanguineis facilitando.

IV.

IN uſu remediorum *diureticorum* Medicus obſervabit, 1. Ante eorum uſum præmittenda eſſe univerſalia, tum quia in principio plerumque materia craſſior & copioſior eſt, ut fruſtra per urinam duci poſſit, tum quia metus eſt, ne copia ſua, dum ad anguſtas vias ruit, eas obſtruat, ac ſibi & aliis viam intercludat. 2. Diuretica magis convenire in morbis chronicis quam acutis & calidis, ut v. g. in febribus ardentibus, hectica, phthiſi &c. niſi aquea ſint & temperantia. 3. Eadem in genere magis convenire in ſubjectis euſarchis, & ſucculentioribus, phlegmaticis nempe & ſanguineis, quam acrioribus, cholericis & melancholicis, cum in talibus continuo uſu ad atrophiam & tabem diſponant. 4. Eadem magis locum habere in ſtatu & declinatione, quam in principio & incremento.

V.

PRæterea. 5. obſervabit, eadem jejuno ventriculo longè ante paſtum exhibenda, nec cibis tam facilè permiſcenda eſſe, cum citius quam par eſt, chylum in vaſa præcipitent. 6. Ipſis vaſis & viſceribus urinæ excretioni velificantibus, affectis ac detentis, v. g. inflammatione, ulcere &c. cautus danda eſſe diuretica, vel non niſi terrea, alcalina, vel temperantia & ſimul traumatica uſurpanda eſſe. 7. Eadem in calculo renum, præſertim etiam in paroxyſmo Nephritico minus tuta eſſe, niſi præmiſſis emollientibus, lubricantibus, ac oleoſis, cum vel impuritates corporis deducant ad partem affectam, vel iiſdem calculus præcipitetur ac, deturbetur in vaſa, cum lethali ſæpè Iſchuria.

ARTICULUS IV.

De Officio Medici, in præſcribendis formulis Diureticorum.

I.

DEcoctum Diureticum, experientia probatiſſimum. ℞. *Sem. malv. alth. an. dr. iii. cic. rub. unc. iii. 4 fr. m. an. dr. ii hord. mund. m. i. caric. ping. N viii. ſebeſt. N. vii. rad. liq. raſ. dr. vi. inciſa indantur Nodul. ex ſerico alb. & coq. in aq. font. lib. iii ss. ad tertias. Col. S.* Decoctum diureticum, de quo bibatur octava pars mane, veſperi, & ante cubitum.

Subinde uno hauſtui indi poſſunt: *ſpirit. ſal gutt. vi.* vel *vii.* Foreſtus huic decoct. addit. *rad. ononid. fœnic. petroſel. ad unc. ss.*

Julepus Diureticus. ℞. *Decoct. Foreſt. lib. ss.* vel *aq. ononid. fragor. petroſel. an. unc. ii. ſyr. de alth. Fern. unc. i. ss. ſp. ſal. q. ſ. M.* poſſet etiam addi *ocul. canc. dr. ss. S.* Julepus diureticus qui cochleatim ſumendus.

Terebinthina liquida. ℞. *Tereb. cyp. cum. vitell. ov. diſſolut. dr. v. brod. cum carn.* vel *vin. Rhen. opt. unc. iii. M. ſuper lente carbonum igne.* Alii etiam addunt *ſucc. lim. dr. vi.* vel *unc. i.*

Alia. ℞. *Reſin. terebinth. cyp. unc. ss. diſſolv. cum vitell. ov. ſ. q. addendo paulatim ſyr de alth. Fern. unc. ii. vin. malv. unc. vi. M.* Doſ. *unc. i. ss.*

Potio diuretica ſuavis & efficax. ℞. *Succ. limon. ſucc. expreſſ. ex corticibus raph. acut. vin. malv. aq. frag. an. unc. ii. ſacch. q. ſ pro dulcorat.* ℞. *Vin. alb. unc. iii. ſucc. lim. unc. i. ſpirit. tereb. ſcr. ii. M.*

Mixtura Diuretica. ℞. *Aq. anonid. petroſel. ſaxi-*

frag.

frag. an. unc i. ſpirit. juniper. dr. ij. ocul. canc. præp. ſcr. i. Balſ. ſulph. tereb. ſcr. j. ſyr. de alth. Fernel. unc. ss. M. detur cochleatim cum gutt. xv. ſequentis Balſami Diuretici. ℞. *Spirit. ſal. tart. Balſ. ſulph. terebinth. an. ſcrup. ii. ſal. vol. ſuccin. gran. vi. M.*

Lixivium Diureticum, Hydropicis perquam proficuum. ℞. *Ciner. geniſt. vel ſummit. Juniper. lib. i. vin. Rhen. lib. iv. infunde frigide addendo ſal. abſinth. vulg. p. i.* vel *p. ii. de colatura mane & ſero unc. iv. potentur, uſque dum tumor diminutus ſit, vel* ℞. *de colat. unc. iv. ſucc. cit. dr. vi. ſyr. de alth. Fernel. unc. i. M.*

Vinum Diureticum. ℞. *Gr. alkek. unc. i. rad. eryng. ononid. an. unc. ss. bacc. juniper. matur. unc. ss. inciſ. & in ſindone ligat. affunde vin. alb. lib. iii.* Doſ. *unc. v. præmiſſo Juſculo decoct. petroſel. cic. rub. cum butyr. & modico ſale.*

Brodium Diureticum. ℞. *Cic. rub. cochl. i. rad. petroſel. alth. an. dr. ii. halicacab. gr. x. coq. cum quarta parte Gallin.* vel *media pulli columbin. Col. ſubinde additur ſucc. lim.* vel *cum eo ſumantur gut. viii.* vel *x. ſpirit. terebinth.*

Emulſio Diuretica. ℞. *Sem. violar. unc. ss. lithoſperm. contuſ. dr. ii. aq. fragor. q. ſ. M. f. Emulſ. dulcor. ſacch. S.* Emulſio diuretica pro una vice ſumenda.

Alia. ℞. *Sem. melon. dr. vi. papav. alb. dr. i. violar. dr. i. ss. nucl. perſic. unc. ss. aq. petroſel. alkek. frag. an. unc. iij. M. f. Emulſ.* add. *ocul. canc. præp. dr. i. ſacch. cand. q. ſ. pro edulcorat.*

Boli ex Terebinthina. ℞. *Terebinth. cyp. aq. malv. ſæpiùs lot. unc. ss. troch. de alkek. ſ. op. ſcr. i. pulv. ſubtiliſs. glycyrr. gr. xv. cum ſacch. ſ. q. M. f. Boli 3. minores, m. v. & nocte ſumendi.*

Pilulæ Diuretricæ. ℞. *Ocul. canc. præp. dr. ss. ſal. ononid. ſcr. i. vol. ſuccin. ſcr. ss. tereb. aq. malv. lot. & coct.*

& coct. dr. iii. M. f. Pilul. piſi magnitudine, dentur ad ſcatul cum pulv. glycyrr. S. Pilulæ diureticæ & expulſivæ, quorum 10. aut 12. pro una vice ſumendæ.

Pulvis Diureticus. ℞. *Cryſt. tart. dr. iii. magiſt. ocul. canc. ſal. ononid. an ſcr. iv. M. f. Pulv.* S. Cremor tartari diureticæ mixtæ cujus tres cuſpides cultri plenæ pro una vice ſumendæ.

Alius. ℞. *Ocul. canc. præp. dr. i. ſem. mil. ſol. ſcr. i. ss. tart. vitriolat. gr. xv. M. f. Pulv divid. ad 3. p. æq. ſummendas ex brodio cic. rub.* vel *aq. ononid. petroſel. malv. cum ſpirit. ſal.*

Alius fortior. ℞. *Milleped. præp. ſcr. i. ocul. canc. gr. xv. ſal. vol. ſuccin. gr. v.* vel *vi.* M. *ſ. Pulv.*

Clyſter Diureticus terebinthinatus. ℞. *Herb. malv. parietar., mercurial. beton. an. mi. fl. chamom. melilot. ſummit. aneth. an. m. ss. ſem. aniſ. fœnic. carv. an. dr. ii. lin. dr. iii. coq. in aq. ſ. q. ad 3. in col. unc. x. diſſolv. elect. lenit.* vel *caſs. pro clyſt. dr. vi. hier. ſ. bened. lax. an. dr. ii. ol. ſcorp. chamom. an. unc. i. tereb. vitell. ov. diſſol. unc. ss. mell. anthoſ. dr. vi. ſal. parum M. f Clyſter.*

Unguent. ad renes & veſicam. ℞. *Ung. de alth. roſac. infrigid. Gal. an. unc. ss. ol. ſcorp. unc. i. ſucc. limon. dr. vi. M. S.*

Aliud. ℞. *Ung. de alth. dr. vi. ol. amygd. ſcorp. an. dr. ii. pingued. cunic. dr. ii. petrol. dr. i. ol. deſtill. ſpic. Juniper. an. dr. ss. M.*

Cataplaſma Foreſti, expertum in Iſchuria veſicali. ℞. *Pariet. mii. chærefol. mi. ss. inciſ. coq. in ſ. q. aq.* vel *lact. ad mollit.* Alii etiam addunt *cep. ſub cineribus coct.* add. *butyr. rec. unc. ii. ol. ſcorp. unc. i. ss. M. applicetur calidé.*

Aliud fortius. ℞. *Cep. alb. crud. N. vi. capit. allii N. ii. contuſ. in mortar.* add. *pingued. anſer. & ol. ſcorp. q. ſ. cum guttis paucis ol. deſtill. Juniper.* M. pro Catapl. applicando renibus & veſicæ.

A R-

ARTICULUS V.

De Officio Medici, in evacuatione ſalivali, ac ordinandis Remediis Salivantibus.

I.

INter hactenus dictas, univerſales corporis evacuationes, poſtrema eſt *ſalivatio*, ſeu univerſalis *ptyaliſmus*, quo mediante per copioſiorem ſalivæ effluxum, veluti per univerſalem apophlegmatiſmum, univerſa maſſa ſanguinea ſero ſuo, unà cum vitioſis fermentis in eo contentis liberatur. Indicatur hæc evacuatio principaliter à lue venerea, & ea præſertim quæ ſudoriferis non cedit, oſſa tamen nondum exeſit; ſed ubi ulcera, ſerpigines, tubercula faciei, aut penis & corporis totius ſicca, membrorum lancinationes; Secundario verò etiam ab aliis morbis rebellibus & contumacibus, ex vitio graviori ſeri oriundis, ut v. g. lepra ſeu elephantiaſi Græcorum, epilepſia, arthritide contumaci, ſcabie maligna, ulceribus crurum cacoethicis, affectibus cutaneis gravioribus, aſthmate humoroſo, cancro, ſcorbuto frigido, idque magis, quando in his malis aliquid venerei intercurrit.

I I.

MAteria remediii ſalivatorii eſt potiſſimum *Mercurius*, qui ob partes ſuas volatiles, elaſticas ac ſummè evaporabiles, & ſulphur peregrinum arſenicale, ſuccum alimentoſum, ſeu maſſam ſanguineam lymphaticam colliquefaciendo, ac coagulata fluxilia, ſerumque turgeſcens reddendo, ut torulis ſuis

conſiſtere haud valens exitum affectet, in cauſa eſt ut illud cum abſorptis vitioſis fermentis venereis aliiſque ad os & fauces continuò confluens & affluens ſub forma ſalivæ evacuetur. Modum hunc *ptyaliſmu* excitandi duplex eſt, unus, qui per interna peragi tur, dum in uſum trahitur *mercur. dulc.* vel *turbit. mineral. Croll.* vel *arcanum corallinum*: alter, qui per externa, ut *unguenta ſuffitus*, qui tamen periculoſi, *emplaſtra*, quæ tamen, ſicuti gummata, dolores ac tumores venereos potenter reſolvunt, ita ad ſalivationem excitandam ſegniora ſunt, licet eam promovendi gratia, ſubinde in uſum trahi queant. Idem fermè dicendum, de *cingulo ſapientiæ*, qui nihil aliud eſt, quàm *pannus laneus mercur. vivo* cum *pingued. porc.* ſubacto imprægnatus, qui dein lumbis per modum cinguli applicatur, cùm in levioribus tantum malis, ſcabie nempe & phthiriaſi, ubi ſalivatione opus non eſt, adhibetur, ut interdum eam concitet. Supradictis igitur Mercurialibus in uſum tractis, fluxus ſalivæ ſuccedit primò tenuis, hinc mucilaginoſæ, tertio denique viſcidioris, & fœtidæ, quæ finis eſt perfectæ ſalivationis.

III.

SIcuti autem coindicant evacuationem ſalivalem vires conſtantes, ætas Juvenilis & Virilis, tempus vernum & æſtivum, regio magis calida, quàm frigida; ita contraindicant corpus debile, emaciatum, vires exhauſtæ, malum nimis radicatum, ætas puerilis & ſenſilis; ulcera ac inflammationes viſcerum, phthiſes, nervorum nativa debilitas, ſcorbutus biliosus, hæmoptyſis, nimiæ hæmorrhagiæ, tempus autumnale; tum ob frigus, tum ob humores tunc temporis magis lentos, & minus fluxiles, hyemale, præſens quoque vomitus, diarrhœa, ſudor vehemens: illi tandem ſubjecta, quæ ante morbum gallicum ulceri-

bus oris, vel angina, tremore, paralyſi, convulſione, macie &c. fuerunt detenta.

IV.

PRo debita hujus curæ adminiſtratione, Medici officium erit obſervare, 1. Cautum debere eſſe ejus uſum, cùm *mercurialia* plerumque poſt ſe relinquant characterem indebilem, adeoque non adminiſtranda, niſi urgente neceſſitate, morbo nempe ita pertinaci exiſtente, ut decocto lignorum non cedat, vel illud ob alias circumſtantias exhiberi non potuerit. Hinc etiam utile erit, ut Medicus ante hujuſmodi curam, præmuniat ſe prognoſtico, prædicendo quæ fieri ſolent ſeu bona ſeu mala; ſubinde enim efficaciſſima hæc cura deprehenſa, ut mox exſiccentur ulcera, cruſtæ evaneſcant, tubercula, calli deſtruantur, ac omne ſeminium morboſum perfectè eximatur, ſine metu recidivæ, & quidem tutò, ſi cum debitis cautelis inſtituatur. 2. Nonnullos corpus prius ad hanc curam per V. S. & purgationem diſponendum eſſe jubere: immò balneum aquæ dulcis, cui æger ante curam quotidie ſemel vel bis inſideat, adhibere, ut humores attenuentur, & pori magis patuli, faciliorem penetranti Mercurio aditum concedant: nonnullos econtra omittere has præparationes, ut ægri nullis evacuationibus debilitati, ſalivationis impetum multo melius ſuſtinere valeant. 3. Ægrum nudatum collocari debet ad fornacem calidam, inungendo propriis manibus unguento Mercuriali plantas pedum, talos, genua, carpos, & in malo urgentiori etiam cubitum: immò etiam in pertinaciori affectu, ſed rariſſimè, ſpinam: ac continuando aliquandiu hanc inunctionem, donec labia intumeſcant, parotides doleant, lingua infletur, ac ſalivatio prodire incipiat. 4. Inſtituendam manè jejuno ſtomacho, vel nocte, nam rarò bis eodem die ſit inunctio in loco conclu-

ſo. 5. Peracta inunctione (cui ſimul inter inungandum concinna frictio jungatur) ægrum lecto calido committendum eſſe, ut ſic tranſpirabili ſervato corpore, magis actuetur vis mercurialis.

V.

PRæterea 6. notabit Medicus, inunctionem, ſi citius labore defungi velimus, vel æger robuſtus ſit, altero die ſtatim repeti poſſe: aliàs interpolationem unius diei faciendam, ac tertio demum die reaſſumendam eſſe. Non enim præſcribi poteſt certus inunctionum numerus, cum ſubinde primo vel altero ſtatim die incipiat ſalivatio: ordinariè verò circa quartum vel quintum ſuperveniat, ac utplurimum per ſe intra dies 15. finiatur. Interim ubi malum valdè contumax, tardius, & 14. demum die ſubinde ſupervenit. 7. Deſiſtendum eſſe ab hac cura, ſi non ſequatur ſalivatio, ſed hujus loco ſuperveniant ventris tormina, dyſenteriæ, dolores ventriculi, ſudores frigidi &c. 8. Unicè in hac cura procurandum eſſe, ut ſalivationis actus moderetur ad euphoriam naturæ, id eſt, ne vel nimium evehatur cum ægri vitæ periculo, neque plus æquo deprimatur, ut elangueſcat, antequam ſymptomata penitus diſparuerunt. Prius ſit per mutationem linteorum & induſiorum, poſt quartum diem à ſtatu ſalivationis, uti etiam per alvum ducentia, quæ eam ad oculum diminuunt; hinc ſi eadem conſervanda, non niſi quarto die levis clyſter injiciendus; præstereà eam cohibent opiata, & theriacalia, poſterius ſit, tenendo in ore globulum ex *Mercur. dulc. cum tragac.* parat. vel juncturis & volis manuum ac plantis pedum applicando *Emplaſt. Vigon. cum Mercur.* vel intus etiam ſumendo *Mercur. dulc.*

VI.

INſuper 9. ſub ipſa ſalivatione, quàm maximè debitum diætæ regimen obſervandum eſſe, jubebit Medicus, præſcribendo diætam tenuem, pro potu *decoct. lignorum*, non tamen nimis forte, ne ſequatur ſudor ſalivationem impediens, cavendo quàm maximè aerem, vel potum etiam frigidum, ne materia cumulatim ad fauces ruens, repercutiatu cum metu ſuffocationis, vitando inſuper vinum, utpote noxium, ac graviores animi affectus, proſpiciendo etiam ſymptomatibus, quæ cientur à ſalivatione, qualia ordinariè ſunt febris longa, uliginoſus & faſtidioſus fœtor, dentium vacillatio, nigredo &c. Sic dum ſalivantes tribus vel quatuor primis diebus acerbos ſufferunt dolores, ob gingivarum & colli inflammationem, lacte tepido gargarizato adjuvandi, & dentes hoc tempore unctuoſis non illinendi, ne à mercurio denigrentur, difficulter vel rurſus nunqnam dealbandi; prætcrea etiam ſi tempore ſalivationis magna ſuccedat gingivarum hæmorrhagia, ea non ſtatim ſiſtenda, niſi limites excedat.

VII.

TAndem 10. notandum, ſalivationem, quæ convaleſcente ægro in dies minuitur, leniter adhuc promovendam eſſe *Mercurio dulci*, ſemel adhuc in ſeptimana exhibito, immò etiam poſtquam convaluit æger, & ſub dio rurſus verſatur. Ceſſante autem omnino fluxu, ægrum denuo purgandum, ac *decoct. lign. ſudoriferum* propinandum eſſe nonnulli ſuadent, ad eliminandas ſordes, hinc inde forſan reſtitantes, uti & penitus extirpandum è corpore Mercurium. Alii econtra id præſtant, per *flores ſulph.* cum foliis auri aſſumptos, vel auri frequenter in ore geſtationem, rurſus, ſi albeſcit, per ignem depurandi, frictiones, Balnea

N 3 ſul-

ſulphurea &c. 11. Sciendum, curationem hujus luis per *ſuffumigia* magis periculoſam eſſe, quàm per inunctionem, ſicque non adhibendam, niſi omnibus reliquis fruſtra tentatis. Sunt autem duplicia, & quidem vel *univerſalia*, toto corpore excepta, dum æger per dies 4. 5. vel 6. ſub labro ſtragulis cooperto, ut caput ſupereminеat, vel etiam eodem incluſo, ſi puſtulæ & ulcera ſint in eodem, uti etiam in fronte, temporibus & collo, ita tamen, ut per fiſtulam foris prominentem aerem hauriat, ignitabulo vivis cathonibus inſtructo, & infra ſellam patientis poſito, pulvereque ſuffitus inſperſo, fumum excipit per quadrantem, aut dimidiam horam, hincque in lectum ſe confert, exſpectando operationem Mercurii; vel *particularia*, quæ magis in uſu, certiſque partibus, ut cruribus, vel brachiis, tophis aut ulceribus malignis divexatis, adhibentur.

Formulæ

Salivantium internorum.

R *Mercur. dulc. ritè præp. gr. x. dentur cum vitell. ov. aſcendendo quotidie cum uno grano, uſque dum deveniatur ad gr. xxv. & ultra.* Vel

℞. *Mercur. dulc. dr. ſs.* vel *ſcr. ii. extract. ſcorz. ſcr. i. M. f. Pilul. N. xxx. dentur pro* Doſ. *vi.* vel *x. aſcend. cum grano quotidie.*

℞. *Turb. mineral. Croll. cum ſpirit. ſulph. parat.* vel *Mercur. præcipit. ſpeciatim cum ſpirit. nitr. alias Arcanum corallinum dictum gr. iij.* vel *iv. ſequenti die v. hinc vi. &c. donec omnes doſes ſimul* 15. *vel* 20. *grana compleverint, cùm raro plus requiratur.*

For-

Formulæ

Salivantium externorum.

UNguentum ſupliciſſimum. ℞. *Mercur. crud. unc. i. axung. porc. unc. ii. M. in mortar. S.* Unguentum Mercurii ſimpliciſſimum: quod, uti notum, applicetur.

Aliud. ℞. *Mercur. viv. cum ſ. q. tereb. extinct. & inviſcat. ab unc. i. ad ii. ung. pomat. ab unc. iii. ad iv. ol. laur. unc. ss. ol. deſtill. lig. Rhod. ſcr. ss. M.* S. ut ſuprà.

Aliud magis compoſitum. ℞. *Axung. porc. lib. ss. ung. Agripp. martiat. ol. laur. tereb. an. unc. i. ss. Mercur. viv. extinct. unc. iii. ſublim. dr. i. ss. thur. myrrh. an. dr. i. lythar g. dr. vi. M. f. Ung.*

Suffitus. ℞. *Cinnab. unc. iii. antim. unc. i. ss. thur. benz. ſtorac. an. dr. iii. ſuccin. mirr. an. dr. ii. M.*

Alius. ℞. *Mercur. cinnab. antim. oliban. ſulph. an. unc. ss. M.*

Cingulum ſapientiæ magis compoſitum. ℞. *Argent. viv. unc. ii. ol. vitriol. unc. ss. caryoph. dr. i. pic. ſulphur. an. dr. ii. album. ov.* N. *xii. ſal. gemm. cor. an. q. ſ. M. f. Ma.*

ARTICULUS IV.

De Officio Medici, in evacuatione particulari, per Errbina, Sternutatoria, Apophlegmatixantia, & Expectorantia.

I.

INter particulares evacuationes, & præſertim capitis, principalem locum habet illa, quæ fit per *errbina*, *& ſternutatoria*; quorum illa lympham ſeu pituitam per nares proliciunt ſine ſternutatione, hæc autem, quæ etiam *ptarmica* dicuntur, id præſtant cum ſternutatione; hinc majori vel minori tantum acrimonia, & gradibus inter ſe differunt, ſitque operatio *errhinorum*, dum ſerum liquant, & fundunt, è papillis glandoſis narium, illudque ſalinis ſuis ſpiculis irritant, & titillant glanduloſam ſeu ſpongioſam carnem, qua nares intus veſtiuntur, & hinc ſucceſſivè lympham ſeu pituitam per eam excerni ſolitam, verſus illam proliciunt, ejuſque excretionem facilitant, tenuioribus etiam earum partibus, uti juxta veteres haud improbabile eſt, cerebrum per os cribroſum, & nervos olfactorius penetrantibus, in eoque humores attenuantibus & ſerum ad nares deducentibus, vi particularum acriorum ſalinarum nitroſarum, aquearum, & detergentium. *Sternutatio* verò fit, dum interior membrana narium, majori particularum ſuarum acrimonia & acutie, irritatur & vellicatur, hinc ſpiritibus vehementius commotis, ac meningibus in conſenſum tractis, cerebrum cum membranis ſe per vices contrahit, & exploſis una ſpiritibus in nervos paris vagi, vel juxta alios per conſenſum irritatis intercoſtalibus, cum mem-

membrana narium, mediantibus nervis conſentientibus diaphragma quoque, & muſculi thoracis exſpirationi inſervientes, veluti ſpaſmo convulſivo contracti, ſubitaneo impetu aerem elidunt, quouſque res irritans excutiatur.

II.

Conveniunt igitur, 1. Motum ſeri promovendo, illudque evacuando, tum mediatè ex cerebro, tum immediatè ex naribus; hinc etiam vulgò caputpurgia appellantur, ac proſunt in affectibus catarrhalibus, ac morbis capitis diuturnis, in excretione muci per nares abolita vel imminuta, ut in coryza, amiſſo odoratu, obſtructione narium &c. 2. Non tam proſunt humores liquando, liquatoſque deplendo, vel materiam morbificam diſplodendo, quam vel maximè ſopitum archæum, aut ſpiritus excitando, ut in apoplexia, affectibus ſoporoſis, hyſtericis, ſecundina retenta, & partu difficili, muſculis abdominis quoque verſus fortiora compreſſis. Sic *Hipp.* 5. *aph.* 35. *ait*: *Mulieri hyſtericæ, aut difficulter parienti, ſternutatio ſuperveniens, bona eſt*. Singultu etiam, teſte eodem *Hipp.* 6. *aph.* 13. *Singultu fatigante, ſternutatio ſuperveniens liberat*. 3. Caput quoque ſimul virtute ſua cephalica, ſubtili, volatili, aromatica, roborando, ut in memoria debili, corpore ac defectu ſpirituum animalium, capite & cerebro debili, vertigine &c. 4. Proſunt abſtergendo atque exſiccando, ut in ozæna, polypo &c. Huc quoque ſpectant Medicamenta Iſchæmatica, ſeu ſanguinem ſiſtentia, in narium hæmorrhagia naribus intruſa.

III.

SIcuti igitur errhina vel ſternutatoria in prædictis affectibus indicantur: ita contraindicantur præſertim *ſternutatoria*, 1. Organis ſenſuum affectis, ac in primis debilitatis, ut in ophthalmia, auditus difficultate, tinnitu, aurium dolore &c. 2. In infantibus, ſenibus, mulieribus gravidis. 3. Partibus, quæ ad ſternutationem neceſſario concurrunt, malè habentibus, ut in doloribus capitis, fracturis vel luxationibus coſtarum, phthiſi, hæmopthyſi, ſtillicidio ſanguinis, procidentia ani, uteri, inteſtinorum &c. 4. In nimium ſiccis, bilioſis, melancholicis; cum magis conveniant pituitoſis, quibus ſerum eſt copioſius, ac cujus coagulationem plurimum prohibent.

IV.

PRo legitima harum adminiſtratione Medicus obſervabit, 1. Ea ordinariè non convenire, niſi præmiſſis univerſalibus. 2. Minus ea adminiſtranda eſſe, ubi ſerum peccat in nimio motu expulſivo. 3. Ptarmica nec nimis frequenter, nec acriora convenire, cùm commotio cerebri majoris ſæpè mali cauſam præſtare ſoleat, ex conatu ad expellendum fortiori facto. 4. Moderatè uſurpata, præſertim ſi ſimul ſint confortantia & cephalica, vegetam reddere naturam, excitare ſenſus, roborare cerebrum, ſerumque abundans evacuare; immoderatè econtra partes à tono dejicere, ſerumque nimis evacuare, idque non tantum ſuperfluum, ſed etiam utile, ptarmica enim purgantium more, humores aliàs etiam laudabiles corrumpunt, & quaſi tales priùs corrupti fuiſſent, evacuant; hinc facilè patet, quid de uſu vel abuſu tabaci per nares attrahendi ſentiendum, ac qualis diſtinctio adhibenda ſit, habita etiam conſideratione ſubjecti ſiccioris vel humi-

midioris. 5. Nimiam ſternutationem ſiſti, lactè vel amygd. attracto; ſic etiam ex obſervat. *Frid. ffmanni*, oculi angulo compreſſo ſternutationem imiri. 6. Errhina vel præſcribi in forma liquida, & his ægrum tepidè, manè duabus horis ante pranm, vel etiam ante cænam, ex vola manus aliquid nares attrahere, ore aqua pleno, idque ter vel ater, vel forma linimenti, quod digito vel penna ribus, vel ad radicem naſi ad oculi angulum maem illinitur, vel forma pulveris, de quo vel vapor tum, aut parum aliquid attrahendo inſpiratur, mediante calamo unum vel alterum granum in res inſufflatur.

V.

TAndem particularis capitis evacuatio fit per palatum, mediante ſalivatione particulari, dum liva moderatè è glandulis oris, locisque vicinis evaatur, indeque conſequenter caput, lympha præteraturali onuſtum liberatur; unde etiam medicamenta æc præſtantia dicuntur *apophlegmatizantia*, à phlegate ſcil. eliciendo, uti & ſalivantia, eò quòd ſerum ive coagulatum, quod phlegma dicitur, ſive fluim, quod ſalivæ nomine comprehenditur, illuc tranıt. Dicuntur & *maſticatoria* ab effectu, quod maicata, affluxum ad fauces promoveant, & reſtintem ibidem lympham, vel ſerum eliminent. Sic g. maſtix maſticata, intra paucas horas ad uncias iquot ſputum elicit. Vim ſuam exſerunt hæc medimenta, cùm glandulas miliares faucium in motum endo, ac earum poros, & motu & calore aperieno, ſicque dilatando, tùm particulis ſuis ſalinis, acuatis, inciſoriis & fundentibus, humores ſeroſos proimius circa faucium iſthmos reſtitantes fundendo, liando & incidendo.

VI. Con-

VI.

CONveniunt prædicta remedia, atque indicantur, 1. Tam præſervatorie quàm curatoriè, in catarrhalibus capitis, & vicinorum locorum affectibus, ut dentium, maxillarum, gingivarum &c. In vertigine, memoriæ debilitate, affectibus ſoporoſis, ſuffuſione, ſurditate, auditu difficili, tinnitu, oris fœtore, & aphonia. 3. Prophylactice, pro evitando maligno, & contagioſo miaſmate, quod plerumque ſalivæ ſe aſſociat; hinc maſticata myrrha, zedoaria, vel rad. angelic. cort. cit. &c. optime malignorum morborum ſunt præſervativa. Contraindicantur econtra a ſero fluxili, tenuiori & ſalſo; hinc apophlegmatiſmi in phthiſi, tuſſi, pulmonumque affectibus, cane pejus & angue fugiendi: item ab ipſis oris affectibus, ut uligine gingivarum ſcorbutica, cum laxitate & putredine, ac uvulæ lapſu, niſi adſtringentibus maritata, nunquam enim per locum affectum evacuandum. Preſcribuntur apophlegmatiſmi, vel in forma ſicca, dum aut ſimplicia, vel pulvis horum cum maſtiche panno lineo raro, ſed forti per modum noduli exceptus maſticatur, aut exinde fiunt trochiſci lupinares, quorum unus maſticatur, & ſæpius in ore volutatur manè jejuno ſtomacho, vel etiam duabus horis ante cænam per ſemihoram, ac capite prono ſæpiùs exſpuitur, quod diſſolvitur, abluendo poſtmodum os vino vel aqua tepida, vel in forma liquida, per modum gargariſmi.

VII.

TAndem ultima evacuatio particularis fit ex pulmonibus, per *anacatharſin* ſeu *expectorantia*, quæ è pectore mediante tuſſi ſuperfluos humores ejiciunt. Circa hæc obſervabit Medicus, 1. Ea pro humoris expectorandi qualitate eſſe duplicia, & accuratam inter ea eſſe

eſſe faciendam diſtinctionem; alia enim humores craſſos, viſcidos & lentos incidunt, attenuant, detergunt, atque membranam interiorem, fibraſque pneumonicas ad contractionem, & excretionem irritant, maximè utilia, in tuſſi humida, aſthmate, phthiſi, pleuritide, catarrho ſuffocativo; unde etiam audiunt *bechica, arteriaca, & pneumonica*. Alia, quæ agunt humores tenues, acres, ſalſos, titillantes & rodentes incraſſando, pepaſmum inducendo, orgaſmum tollendo, & acrimoniam fluxilem retundendo, moderando ac figendo; unde etiam audiunt *intercipientia*, quod in via ituros ad pulmones humores quaſi remorentur, utilia quam maximè in tuſſi ferina, hæmoptyſi, catarrhis ſalſis; ubi materiam acrem tenuem, quæ aerem circumfluendo ab illo ſurſum ferri nequit, temperant & incraſſant. 2. Ea præſcribi ut plurimum, vel forma ſyrupi & linctus, qui pitiſſando, ſeu ſenſim ac ſenſim blande lambendo, ſeu lingendo aſſumitur, ut in ore diſſolutus paulatim defluat; in quem finem ſæpius etiam præſcribitur *baculus Glycyrrhizæ*, id eſt, particula radicis hujus, ut altero extremo leniter contuſo intingi, & in ore ſugi poſſit; vel forma rotularum, quæ ſubinde aliis expectorantibus præferuntur, tum quia gratiores, tum quia ſenſim liqueſcentes, magis ingredi cenſentur laryngem, ac pulmones; vel forma aq. deſtillat. ſacch. cand. edulcoratæ.

VIII.

PRæterea circa hæc notabit. 3. Expectorantia longius a paſtu, vel ante eundem m. & v. ſumenda, neutiquam vero cum cibo, vel mox ab illo: cum ſic adhibita coctionem turbent, lacteas obſtruant, & chylum viſcoſiorem reddant: immo nec potum deſuper ſtatim capiendum, ac roſcidum illud parietibus bronchiorum allidens, abluatur. 4. Eadem præſertim dulcia, minus prodeſſe in ſubjectis, quæ iiſdem abhorrent, ut

ſæ-

ſæminis hyſtericis, hypochondriacis &c. 5. In co nuatione horum medicamentorum, aureum illud nitum *Cratonis* obſervandum eſſe: ne nimis ſæpe diu utamur dulcibus expectorantibus, cùm non illabantur pectori, quam ventriculum & epar læda dulcia enim, præſertim continuato uſu, parietes v triculi laxant, calorem obtundunt, fermenta d ciunt, coctionem & appetitum diminuunt, epar ſtant, ac obſtructiones generant.

ARTICULUS VII.

De Officio Medici, in præſcribendis Remediis Errhinis, Sternutatoriis, Apophlegmatizantibus & Expectorantibus.

Formulæ

Errhinorum & Sternutatoriorum.

I.

ERrhinum liquidum. ℞. *Fol. ſalv. major. bet. an mi. contuſ. affund. aq. deſtill. majoran.* vel *vin. alb q. ſ. exprim. per linteum.* Errhinum liquidum, de quo mane 2. aut 3. cochleariæ plena jejunantibus immittenda.

Aliud. ℞. *Aq. majoran. unc. i. mann. calab. dr.* vel *vitriol. alb. gr. v. M.* vel *ſimul. adde ſem. nigel ſcr. i. fol. beton. ſcr. ss. amb. gr. iii. M.* S. ut ſuprà

Aliud fortius in affectibus Soporoſis. ℞. *Sal. vitri alb. dr. ii. aq. major. unc. i. ſpirit. lil. convall. dr. M. S.* Errhinum liquidum, per ſiringam naribus inj ciendum. Hoc injectum per ſyringam in nares, in gne

gnem quantitatem muci per os, nares, oculos & palatum extrahit.

Balſamus pro Naribus obſtructis. ℞. *Pingued. anſ. cum aq. majoran. ter. lot. unc. ss. ol. deſt. maior. gut. v. ſalv. beton. an. gut. iii. M. S.* Balſamus pro naribus obſtructis, de quo quantitas piſi naribus immittenda.

Aliud Linimentum. ℞. *Ung. roſ. pomat. de alth. an. ſc. ss. ol. maior. gut. vi. lavend. gut. i. M. S.* ut ſuprà.

Aliud fortius. ℞. *Rad. elleb. alb. elater. an. dr. ss. ſucc. bet. dr. ii. ol. maior. & cer. an. q. ſ. M. f. Linim. cujus portiuncula inſtar ciceris naribus admoveatur.*

Pulvis Sternutatorius *Timæi*, expertus in affectibus ſoporoſis. ℞. *Elleb. alb. piper. alb. caſtor. an. ſcr. i. ol. deſtill. rut. majoran. ſalv. an. gut. ii.* M. *f. Pulvis ſubtiliſs. S.* Pulvis ſternutatorius fortius de quo unum, vel alterum granum calamo naribus inſufflandum.

Alius *Hartmanni*, in Apoplexia uſualis. ℞. *Fol. maior. dr. ii. ſem. nigell. dr. i. rad. elleb. nig. ſcr. ii. moſch. opt. ſcr. ss. amb. gr. v.* M. *f. Pulv. de quo magnitudo piſi calamo fortiter inſuffletur in utramque narem.*

Alius tam curativè, quam præſervativè proficuus. ℞. *Herb. maior. fl. anth. an. dr. ii. ſem. nigell. dr. i. rad. elleb. alb. ſcr. ss. moſch. gr. v. amb. gr. iii. ol. lign. Rhod. gut. v. maior. cinam. an. gut. iii. caryoph. gut. ii. Balſ. apoplect. ſcr. ss. M.*

Alius in Catarrhis. ℞. *Fol. lil. convall. p. iii. herb. maior. baſilic. an. p. ii. tabac. dr. i. M. f. Pulv. tenuiſs. cui add. amb. moſch. an. gr. ii. ol. aniſ. maior. an. gut. iii.* M.

Alius in Coryza, ℞. *Pulv. lil. convall. maior. tabac. braſſil. an. gr. xv. ol. an. gr. xv. ol. aniſ. gut. i. Balſ. apoplect. gr. iv. ambr. gr. iii.* M. *f. Pulv. S.* Pulvis ſternutatorius.

Alius.

Alius. ℞. *Tabac. ind. unc. ſs. major. lil. convall. an. dr. ii. ol. deſtill. anth. gut. vi. caryoph. gut. iii. amb. gr. iii. moſch. gr. ii. M.*

Tabacus præſtans, Cerebrum ſimul corroborans. ℞. *Herb. major. lavend. roriſm. an. dr. ii. rad. Ir. flor. dr. ix. herb. baſilic. dr. i. Pulv. tabac. opt. dr. ii. cinam. mac. caryoph. an. ſcr. i. lig. Rhod. ſantal. cit. an. ſcr. iv. ol. lig. Rhod. gut. xxx. moſch. opt. gr. xv. amb. gryſ. gr. iii. zibeth. gr. ii.* M. *f. Pulv. S.*

Alius Catarrhalis & ſimul corroborans, colore albus. ℞. *Sacch. albiſs. unc. vi rad. Ir. flor. dr. x. elleb. alb. dr. vi. Balſ. apoplect. ſcr. ſs. Peruvian. gr. vii. moſch. gr. v. amb. gr. iii. ol. lig. Rhod. gut. v. cinam. caryoph. an. gut. ii. M.*

Pulvis Sternutatorius Helmont. ℞. *Rad. elleb. nig. Pulv. ſacch. an. p. æq. f. Pulvis.*

Alius Papalis dictus. ℞. *Rad. Ir. fl. part. 2. major. part. i. M.*

Pulv. ſternutatorius Mulleri, ℞. *Flor. beton. paralyſ. ſalv. lavend. an ſcr. i. lil. convall. dr. ſs. ſpec. diamoſch. d. dianth. an. ſcr. ſs. diair. ſcr. ii. ſacch. cand. ad pondus omnium, add. ol. mac. ſuccin. aniſ. an. gut. iii. M.*

Plures formulas addere ſuperſedeo, cùm ex his variè mixtis, infinitæ concinnari poſſint.

Formulæ

Remediorum Apophlegmatizantium.

MAſticatorium in Catarrhis. ℞. *Nuc. moſch. dr. i. maſtich. gumm. Arab. an. dr. ſs. redig. in Pulv. & cum ſ. q. aq. roſ. M. f. Troch. S.* Maſticatoria, quorum unum vel alterum in ore maſticandum.

Aliud v. g. in difficultate Auditus. ℞. *Rad. pyreth. dr. i. Ir. dr. ſs. agar. troch. ſcr. ii. cubeb. nuc. moſch. an. dr.*

an. dr. ss. cardam. dr. i. ex ſubtiliſs. pulveriſat. cum ſ. q. maſtich. in mortar. calid. diſſol. f. Paſtilli, quorum quilibet pendeat ſcr. i.

Aliud in metu Paralyſis vel Apoplexia. ℞. Maſt. dr. ii. ss. rad. pyreth. nuc. moſch. cubeb. mac. ſem. aniſ. an. dr. ii. maioran. ſcr. ss. alipt. moſch. gr. iv. cum cer. & mell. inſpiſs. ſ. q. M. f. Troch. maſticator. pondere gr. xxv. teneat unum vel alterum in ore, maſticetur, & collecta pituita exſpuatur.

Aliud in dolore Dentium. ℞. Mac. nuc. moſch. an. ſcr. i. cubeb. gr. xxv. rad. Ir. flor. pyreth. ſem. ſinap. an. gr. viii. piper. z. z. an. gr. v. pulveriſat. ſubtiliſs. excipiantur pauxilla cera & f. Troch. lupinar.

Apophlegmatiſmus liquidus. ℞. Rad. Ir. Hor. unc. ii. fol. orig. ſalv. ſtœch. roriſm. an. m. ss. cubeb. dr. iii. liq. dr. i. ss. coq. in æq. partibus aq. & vin. alb. ſub finem additi ad lib. i. in Col. diſſolv. oxymell. ſquillit. unc. ii. M.

Alius. ℞. Scob. lign. guaiac. unc. ss. rad. pyreth. dr. iii. herb. ſalv. nob. pi. alum. ſal. nit. an. dr. i. ſem. urtic. ſinop. an. ſcr. i. acet. vini opt. unc. iii aq. mulſ. unc. vi. M. f. Decoct. quo os calide eluendum, quod magnam copiam phlegmatis extrahit.

Alius in amiſſa Loquela. ℞. Acor. ver. unc. i. galang. cyper. coſt. an. unc. ss. moſch. dr. ii. herb. maioran. ſalv. an mi. f. Decoct. cum aq. & vin. add. mell. amboſ. q. ſ. M.

Alius in dolorem Dentium. ℞. Rad. pyreth. unc. ss. fol. nicotian. cort. rad. mandrag. an. dr. ii. fol. ſabin. perſicar. ſerpill. an. m. ss. cubeb. unc. ss. alum. ſcr. i. coq. in vin. & aq. p. æq. ad 3.

Alius. ℞. Raſur. lign. ſanct. unc. i. coq. in aq. ſ. q. vel ℞. Maſtich. dr. i. camph. dr. ss. coq. in vin. vel acet. lib. ss.

Alius. ℞. Origan. maioran. ſerpill. an. mi. fol. nicotian. p. iii. pyreth. unc. ss. ſem. nigell. dr. ss. cardam.

cubeb. an. ſcr. i. ss. maſt. dr. i. coq. in aq. ſ. q. in Col. unc. viii. diſſolv. ſyr. de Nicotian. unc. i. de beton. unc. ss. oxymell. ſquill. dr. iii. M.

Huc quoque ſpectat Suffitus Nicotianæ per tubulum, vel ſimplex ejus maſticatio.

Rotulæ in fœtore Oris. ℞. *Troch. de gall. moſch. dr. i. myrrh. zedoar. an. ſcr. ii. cort. cit. cubeb. caryoph. cinam. an. ſcr. i. extr. acor. galang. an. gr. iii. cum ſacch. in aq. roſ. & fl. cit. ſolut.* M. *f. Rotulæ.*

Formulæ

Remediorum Expectorantium, in materia tenui.

Linctus. ℞. *Ol. amygd. d. rec. unc. ii. ſacch. cand. ſubtiliſs. pulv. q. ſ. M. f. Linct. S.* Oleum amygdalarum dulcium, mixtum cum ſaccharo candito, de quo ſæpius ſumendum. Utilis præcipuè infantibus.

Alius. ℞. *Ol. amygd. d. unc. iij. ſyr. viol. unc. i. M.* alii etiam addunt *conſ. roſ.* vel ℞. *Ol. amygd. d. unc. i. ſperm. cet. dr. i. ſyr. viol. de hyſſop. an. dr. ii.* M. *S.* Linctus pectoralis.

Alius. ℞. *Syr. jujub. papav. errat.* vel *de liquir. an. unc. i. ss. M. S.* Succus pectoralis, de quo interdum unum cochleare plenum lente abſorbendum.

Alius in Pleuritide uſualis. ℞. *Mucilag. ſem. pſyll. aq. violar. extr. unc. i. ol. amygd. rec. ſ. igne expreſſ. unc. ii.* (apud pauperiores *ol. lin. depur.*) *ſyr. viol. ſacch. cand. alb. an. q. ſ. M. f. Linct.* detur *cum baccul. glycyrrh. S.* Syrupus in tuſſi.

Alius. ℞. *Syr. de liq. unc. ii. jujub. unc. i. ss. oxymell. ſquill. unc. i. M.*

Rotulæ. ℞. *Rotul. diacod. alb.* vel *de ſucc. violar.* vel *ſucc. liquir. inſpiſs. rotulat. unc. i. dentur ad ſcatul. S.* Rotulæ in tuſſi.

Ali-

Aliæ in Tuſſi & Raucedine expertæ. ℞. *Spec. diatrag. fr. diair. ſ. an. ſcr. ii. extract. rad. enul.* vel *liq. ſcr. i. ſacch. fin. in aq. ſcabioſ. & tuſſilag. diſſol. q. ſ.* vel *unc. iv.* M. *f. confect. in Rotul. S.* Rotulæ pectorales in tuſſi de quibus interdum ſumendum.

Aliæ Catarrhales. ℞. *Spec. diatrag. diamarg. fr. an. dr. i. Bol. armen. orient. dr. i. confect. alk. complet. dr. ss. conſ. roſ. rub. unc. ss. cum ſacch. in aq. fl. acac. ſ. q. diſſol. M. f. confect. in Rotul.* S. ut ſuprà.

Aliæ. ℞. *Succ. glycyrrh. inſpiſs. unc. ss. ſpec. diair. diatrag. fr. gumm. arab. rad. Ir. flor. an. dr. i. ſacch. cand. alb. unc. iii. cum mucilag. gumm. tragac. M. f. Trochiſc.*

Aqua Clareta pectoralis. ℞. *Aq. tarax. ſcabioſ. an. unc. iii. ſacch. cand. alb. unc. i. M. & filt.* Vel ℞. *Aq. tarax. ſcabioſ. tuſſilag. veron. an. unc. i. ss. cinam. dr. ii. ſacch. cand. dr. v. M. S.* Aqua pectoralis in tuſſi, de qua cochleatim ſumendum.

Alia ℞. *Aq. ſcabioſ. veron. tuſſilag. tarax. an. unc. i. ss. cinam. bugloſs. unc. ss. fl. arant. dr. ii. ſacch. cand. alb. unc. i. fl. ſulph. ſcr. i. lact. ſulph. ſcr. ss. elæoſacch. aniſ. dr. i. M. ad vitr.* S. Aqua reſpir. in tuſſi.

In materia craſſa & viſcida.

Linctus. ℞. *Oxymell. ſquill. unc. i. ss. ſyr. viol. unc. i. extr. croc. ſcr. ss. Balſ. ſulph. aniſ. gut. vii.* M.

Item ℞. *Oxymell. ſquill. unc. ii. aq. cinam.* vel *ſpirit. ceraſ. nig. dr. iii. M.* Utiles ſunt in Aſthmate.

Alius Wepferi. ℞. *Syr. de cryſm. Lobel. unc. i. ss. oxymell. elleb. Geſner. dr. ii. gumm. ammon. in acet. ſquill. diſſol. dr. i. eſſent. croc. ſcr. ss. ol. deſtill. aniſ. gut. iii. aq. hyſſop. unc. i. ss. M. f. Linct.*

Alius expectorans. ℞. *Oxymell. ſquill. ſyr. de hyſſop.*

an. unc. ii. extr. croc. ſcr. i. fl. ſal. armon. gr. xxiv. M. doſ. *coch. i. cum ſperm. cet. ſcr. ss.*

Alius. ℞. *Oxymell. ſquillit. pectoral. Crat.* vel *loch. ſan. & expert. an. unc. i. ſyr. de marrub. unc. i. ol. ſulph. acid. gut. vi. M.* Vel ℞. *Syr. de praſs. de hyſſop. an. dr. vi. viol. oxymell. ſquill. an. dr. vii. aq. aſthmat. unc. ss. M.*

Rotulæ. ℞. *Rotul. diair. uſitat. unc. i. ss. dentur ad ſcatul.*

Aliæ. ℞. *Looch. ſan. & expert. unc. ss. ſpec. diair. dr. ii. fl. benz. gr. v. ſacch. albiſs. in aq. fœnic. diſſol. unc. iv. M. f. Rotulæ.*

Aliæ. ℞. *Antim. diaphoret. ex regulo dr. i. fl. benz. dr. ss. ſuccin. alb. præp. maſtich. ſubtiliſs. pulv. ſpec. diatrag. fr. an. ſcr. iv. croc. orient. gr. xv. Eſſent. amb. ſicc. gr. xvi. ol. aniſ. gut. vi. fœnic. gut. iv. ſacch. albiſs. in aq. ceraſ. nig. diſſol. unc. ii. M. f. confect. in Rotul.*

Aqua pectoralis. ℞. *Aq. ceraſ. nig. hyſſop. an. unc. ii. epilept. Lang. aſthmat. an. unc. ss. ſpirit. cephal. Anhalt. complet.* vel *elix. vit. Matth. dr. ii. ſpirit. aniſ. opt. dr. ij. ſacch. cand. alb. unc. ss. M.*

Alia expertiſſima. ℞. *Condit. rad. enul. unc. i. ss. cort. arant. cit. an. unc. ss. inciſa contund. in mortar. affunde aq. hyſſop. unc. v. fœnic. unc. ii. exprim. fortiſſimè. Colat. add. aq. aſthmat. unc. i. cinam. unc. ii. looch. ſan. & expert. unc. ss. M.*

Alia. ℞. *Aq. aſthmat. unc. vi. cinam. dr. iii. ſacch. cand. rub. unc. ss.* M. *f. ebullit. ut ſacch. diſſolvatur ſumantur*, 2. *Cochl. pro lubitu.* Vel ℞. *Aq. aſthmat. unc. ii. ss. ſpirit. aniſ. unc. ii. ſacch. cand. rub. unc. ss.* M.

Plura vide de Medicamentis Thoracicis.

CAPUT VII.

De Officio Medici, in Affectibus exigentibus curam Lactis, Chalybis, uſum Theè, Capheè, Chocolatæ & Laudani opiati.

I I.

De Officio Medici, in ordinanda cura Lactis, vel Seri lactis.

I.

LAc, cujus utilitas & neceſſitas, tum in uſu cibario, tum Medicinali verbis vix exprimi poteſt, è 3. conflatum eſt ſubſtantia; quarum prima pinguis, & oleoſa ſive *butyroſa*, quæ aerea. Secunda craſſa, ſive *caſeoſa*, quæ terrena; & tertia tenuis ſeu *ſeroſa*. Pinguis temperata eſt, caſeoſa frigida & ſicca, ſeroſa frigida & humida. Lac ergo totum in activis qualitatibus temperatum, potius tamen ad frigidum inclinans: in paſſivis verò humidum, ratione pinguis & ſeroſæ ſubſtantiæ. Quoad ſecundas, & reliquas facultates, ratione butyri eſt epiceraſticum, & contemperatorium, ſive mitigatorium, ratione ſeri, abſterſorium, ratione ſubſtantiæ caſeoſæ, emplaſticum & incraſſans.

I I.

LAc illud optimum eſſe, ex *Galen.* & *Dioſcoride* colligat Medicus, quod *colore* candidum, clarum, purum ac ſincerum; *ſapore* dulce, omniſque amaritudinis, acrimoniæ, ſalſedinis & aciditatis expers; *odore* ſuaveolens, aut boni ſaltem odoris exiguum quid ſpirans; *conſiſtentia* moderatum, hoc eſt, neque nimis craſſum & caſeoſum, neque nimis tenue & ſeroſum, ſibi ipſi continuum, & ungui inſtillatum cohærens, neque diſſluens, recens mulctum, & ab animali benè paſto & habito petitum. Inter ejus differentias in uſu Medico uſuales, 1. *Vaccinum*, quod omnium pinguiſſimum & craſſiſſimum eſt, ſubſtantiæ caſeoſæ habens plurimum, ſeroſæ minimum; hinc magis quidem nutrit: minus tamen alvum ſubducit. Sic etiam ob ſubſtantiæ craſſitiem ægrius concoquitur, citius in ventriculo coagulatur, tardius deſcendit, difficilius diſtribuitur, magiſque viſcera obſtruit. 2. *Aſininum* priori contrarium, ſeri habens plurimum: caſei & butyri minimum; hinc alvum magis movet: minus autem alit, concoquitur facile, deſcendit velociter, ac diſtribuitur promptè & expedite. 3. *Caprinum*, quod mediæ eſt conſiſtentiæ, neque ita tenue & ſeroſum ut aſininum, neque ita craſſum ut vaccinum. 4. *Ovillum*, caprino craſſius, minus uſitatum eſt. Lac *vernum* dilutius eſt *æſtivo*, alvumque magis emollit. Hoc in medio ſuæ naturæ conſiſtit, ac poſt id tempus ſenſim craſſeſcit, & evaneſcit.

I I I.

HIppoc. 5. aph. 64. curam Lactis 1. præſcribit tabidis, non admodum valdè febricitantibus, id eſt, pulmonum ulcere detentis, ſi non adſit febris dutrida, & quidem tum, quia acrimoniam ſalinam

ſanguinis contemperat, eamque edulcorat, tum quia parte ſeroſa abſtergit, caſeoſa glutinant, ac butyroſa reficit: præterea Lac aſſumptu ſuave, potu facillimum, nutritu ſolidum, & qualibet eſca pueritia familiarius; inſuper viſui colore delectabile, medicamen arteriam non aſperans, guttur lævigans, ad eijciendam pituitam ſpiritum facilem reddens, ac inferiorem exitum lubricum efficiens; maximè autem tunc convenit in Phthiſi, ſi dolor moleſtus cum phlogoſi in gutture percipiatur. Cura hac Ludovicus XIII. Rex Galliæ phthiſicus diu ſuſtentatus fuit. 2. Idem *Hippoc.* loco citato lacteam diætam commendat, in præter naturam extenuatis, ac atrophia quacunque deſentis, dummodo nullum adſit prohibens, aut contraindicans. Eſt enim Lac ex omnibus ferè ferculis optimi ſucci, quod facilè digeritur, levique negotio in ſanguinem vertitur, ſufficienter quoque alit, corpus robosat, utque impinguat.

I V.

Præterea 3. Convenit in hypochondriacis, hyſtericis & ſcorbuticis, præſertim calidioribus, & emaciatis, ac ad tabem inclinantibus. 4. Prodeſt in renum exulcerationibus, ac præcipuè mictu cruento. 5. In Dyſenteria, ubi non tantum per os aſſumptum, præſertim coctum cum ſem. plantag. & rad. torment. aut ſymphyt. vel ſilicibus ignitis, aut ferro cadenti uſtulatum prodeſt, ſed etiam per alvum injectum, adeò ut *Sydenham* teſtetur, ſe plurimos curaſſe dyſentericos ſolo lacte, vel ejus ſero tepidè inferius injecto, & frigidè ſuperius in copia propinato. 6. *Hippoc. lib. de morbis*, lac itidem commendat in affectu podagrico præſervando, quod teſtatur etiam experientia & ratio, cum non tantum Lac præbeat alimentum ſimplex optimum, naturæ ſummè familiare, ſed inſuper ſanguinem dulciorem mitioremque reddat, particulas in eo acriores

contemperet, ac humorum turgeſcentiam reprimat; licet Podagræ cauſæ originali, concoctionum nempe ac fermentorum debilitati non contrarietur, ſicque etiam omnem paginam non abſolvat.

V.

SIcuti autem in prædictis affectibus Lactis uſus maximè proficuus cenſetur: ita haud rarò etiam contraindicatur *Hippoc.* allegato aphoriſ. 64. *ſect.* 5. ait: *Lac præbere, capite dolentibus, febriculoſis, & quibus elata hypochondria murmurant, ac ſiticuloſis, malum. Item quibus febres acutæ, billioſæ dejectiones, ac copioſa ſanguinis evacuatio facta eſt &c.* Non igitur convenit. 1. Capite dolentibus, quia halituoſum eſt, ac facile corrumpitur, 1. Acutè febricitantibus, cum in his ob acrimoniam caloris depravetur, ac nidoroſum evadat. 3. Quibus hypochondria elata, id eſt, ſuſpenſa ob tumorem aliquem, vel abſceſſum, aut murmurantia ob flatuum incluſorum copiam; In his enim facilè aceſcit, ac in flatus vertitur. 4. Siticuloſis, eò quòd tales bile ut plurimum abundent, in quam facile lac verti ſolet. 5. Billioſa diarrhœa correptis, ob eandem cauſam. 6. Quibus copioſa ſanguinis evacuatio facta, cum calore nativo depauperati naturales facultates habeant infirmas, ut lac facile vitiari, & aceſcere poſſit; licet enim lac alimentum ſit euchymum, facile tamen etiam corrumpitur, & quidem in ventre præcalido in nidorem: in frigido autem in acorem. *Dioſcorides* his addit epilepticos, vertiginoſos, & nervorum vitio detentos. 8. Minus etiam prodeſt, præſertim aſſiduus ejus uſus, dentibus & gingivis; has enim flaccidas, illos cariei obnoxios reddit; hinc poſt ejus uſum, vino diluto aut meraco, aut cui mellis quid admixtum, os colluendum.

VI. Cu-

VI.

CUra Lactis alia poteſt dici *levis*, alia *ſtricta*, alia *mediocris*. Levis eſt, in qua ſolùm quotidiè manè hora circiter ſexta vel ſeptima, recenter ex aſina vel capra emulctum Lac, vel etiam bubulum, addita dimidia parte aquæ, adjecto quoque ſaccharo, ne coaguletur, ita tepidum aſſumitur, vel citra aſcendendum & deſcendendum, ad unc. vj. x. xij. & ultra, vel aſcendendo, ab unc. vj. per auctas quotidiè unc. ij. uſque ad lib. i. I. ss. ij. non excluſis tempore prandii & cænæ, aliis alimentis boni ſucci & facilis coctionis. Stricta diæta lactea eſt, in qua excluſo omni alio cibi potuſque genere, æger ſolo lacte, vel ſaltem addita ſola medulla panis albiſſimi contentus vivere debet; ea quantitate illud ſumendo, quam ſtomachus, vires, ac ipſa neceſſitas videtur exigere, ita tamen, ut tota, quantitas, quæ ſingulis diebus bibitur, in 3. partes diviſa, una manè, altera in prandio, & tertia cænæ loco acipiatur. Mediocris eſt, qua lactis uſus tempore matutino ritè adhibetur, in prandio verò, parca licet manu conceduntur, quæ cum lacte analogiam habent, ac naturam pro neceſſitate, & rerum circumſtantiis corroborare, ſtomachi tonum conſervare, ac inappetentiam arcere valent, ut v. g. pulli gallinac. gallin. capon. ſolo lacte & furfuribus nutriti, caro vitulina, hædina, ova tremula, oryza, lacticinia pulmenta lactea, amygdalat. hordeata &c. In cæna hec eadem non prohibentur, longo tamen parciori quantitate, quam in prandio; vel ſi pro ratione circumſtantiarum ægro conſultius ſit, ſolum etiam lac in cæna aſſumendum, in potu ab omni vino, in cujus abſtinentia plurimum ſitum, abſtineat æger, contentus aqua ſimplici, vel cocta cum china, lentiſc. vel mixta cum lacte.

VII.

EX triplici hac lactea methodo, prima & ultima, præſertim veluti via media, & magis ſecura, à plurimis tenetur, Stricta verò, quæ in podagrici plerumque præſcribitur, multis ſuſpecta eſt, & ob ſequentes rationes minus tuta cenſetur. Nam 1. Experientia teſte, prout refert *Sydenham*, licet hæc cura multis profuerit, quamdiu ne latum unguem ab ea ceſſerunt, tamen quam primum ad ſanorum diætam, utut lenem mitemque ſeſe receperunt, podagra confeſtim reverſa, ægrum longè pejus, quam antea vexavit, labefactatis nempe naturæ principiis, morbo pellendo minus ſufficientibus, ut adeò periculoſius & diuturnius infeſtaret: hinc plurimi vel doloribus recenter ingruentibus ab hac cure deſiſtere coacti fuerunt, vel podagricos dolores intercurrentes lubentius tolerare, quam perpetuam & moleſtiſſimam ſolius lactis potationem ſuſtinere maluerunt, 2. Si poſt continuatam aliquot menſibus lacteam curam, febris, vel morbus aliquis magnus cum virium jactura ægrum prehenderit, vel univerſalis inappetentia, & languor ſupervenerit, a lacte abſtinendum erit, cum tamen periculum ſit, ne ventriculus tanto tempore lacti aſſuetus, omne aliud genus ciborum reſpuat, aut difficillimè ſuſtineat, atque adeò imbecillis patiens viribus prius deficiat, quam ad alia aſſuefacta natura iterum refocilletur; unde etiam aliquos, poſtquam diu ſtrictioris lactis curæ ſeſe ſubjecerant, atque paulo melius exindè habere videbantur, magno tandem aliquo morbo deprehenſos, citò interiiſſe obſervarunt nonnulli; hinc meritò hæc atque alia, cautum in hac cura reddere debent Medicum, eligendo potius viam mediam utpote magis tutam.

VIII.

PRo debito Lacteæ Diætæ regimine Medicus notabit, 1. Corpus prius debitè evacuandum, obſtructioneſque, ſi quæ adſint, reſerandas eſſe 1. Lac vel aſininum, ubi refrigerandum & detergendum, vel caprinum, ubi magis nutriendum, vel vaccinum in podagricis recenter ex ubere emulctum, calidum quatuor horis ante cibum ſumendum eſſe, ita ut æger ab ipſo aſſumpto neque dormiat, neque corpus validius exerceat. 3. Ne Lac in ventriculo corrumpatur aut aceſcat, ad unc. viij. vel x. addendam eſſe unciam ſacch. vel mell. 4. Signum boni eventus curæ Lactis eſſe, ſi urina cocta, nec valdè tincta, nec nimis aquoſa, ſi fæces alvi non crudæ, copioſæ, fœtidæ, ſi nullam ſitim cauſetur. Secus, ſi ſtomachus infletus, hypochondria tendantur, alvus indureſcat, accedat vomitus vel diarrhœa, ſitis magna &c. quæ ſigna ſunt corrupti Lactis; hinc vel corpus melius evacuandum, vel ab ejus uſu ceſſandum. 5. Antequam æger ſtrictæ ſe addicat curæ Lactis, natura paulatim ad eam aſſuefacienda, utendo lacticiniis, cibiſque cum lacte analogiam habentibus, ut oryza in lacte cocta, amygdalat. hordeat. pineat. avenatis, ovis ſorbilibus, pullis gallin. capon. carne hædin vitulin. &c. uſque dum tandem ſolo Lacte, pro totali alimento uti poſſit æger, ſeu etiam frigido, in quantitate ſtomacho & guſtui tolerabili, abſtinendo a vino & omnibus aliis. Prædictis cibis uti etiam æger poteſt, in diæta lactea leviori & mediocri.

IX. Præ-

IX.

PRæterea 6. obſervabit, primo & ſecundo menſe, corpus ſubinde blando medicamento Rhabarbarino vel aloetico evacuandum, & quidem, quo natura Lacti magis aſſuevit, majoribus interpoſitis intervallis: quo minus, minoribus. 7. Si Lac aceſceret, vel coagularetur, uti ſupradictum, addendum ſacch. alb. ſi corpus exinde calefieret, oſque & fauces accenderentur, addendam quartam partem aq. ſimpl. vel hordei. Si ventrem nimis fluidum faceret, ebulliendum, eique addenda ſalis communis aliquot grana, ſi conſtipetur, Rhabarb. pulveriſat. in primo hauſtu ſumendum. 8. Si ſitim excitet, extra paſtum aq. f. vel coctam cum ſacch. permitti, tam ſolam, quam lacti permixtam. 9. Abuſu Lactis non deſiſtendum eſſe, niſi febris, aut gravis dolor podagræ ſupervenerit, neque etiam ob accidentia a lacte cauſata tam facilè ceſſandum, niſi vomitus & dolor capitis accedant. 10. Quantitatem Lactis aſſumendi, aſſignari a tolerantia ventriculi, in cura leviori ad unc. vj. lib. j. ij. in mediocri, totidem etiam cœnæ loco, in ſtricta, finitis diætæ diebus, manè unc. 10. 18. 20. & totidem etiam loco prandii & cœnæ ſumendæ, augendo doſin ad unc. 40. uſque. 11. Tempus continuandi diætam lacteam eſſe ad menſem 1. 2. vel 3. immò in affectibus contumacibus, præſertim podagricis ad annum, vel plures extendendam eſſe, niſi recidivam experiri velint; quibus tamen ex ſupradictis ſuadendum, ut prandii ſaltem tempore ad cibos boni ſucci, & facilis coctionis ſucceſſivè tranſeant, ita tamen, ut nec varietas ciborum corruptelam, nec ſatietas cruditates generet; abſtinendo ſimul a vino, quod melius, vel non niſi lymphato parciſſimè utendo.

X. Qui-

X.

QUibus Lactis uſus quandoque contraindicatur, vel ob febrem, aut borborygmos in hypochondriis, aliaſque cauſas, vel epatis ac renum ardor, per veri & æſtatis decurſum temperandus, humoreſque aduſti melancholici, ardores vagos & phlogoſes præſertim excitantes, uti etiam varios fluxus ſanguinis, maniam, ſcabiem, canctum, ſcorbutum, alioſque affectus ex acido melancholico oriundos, temperandi ac evacuandi, quique plus contemperatione, quam nutritione indigent, Serum lactis, vel cum ſucco cit. vel acet. aut crem. tart. vel tamarindis paratum, & quidem vel ſimplex vel herbis alteratum, uſurpare poſſunt. Hoc enim non tam bilem flavam quam atram, exuſtoſque ac ſalſos humores temperat, vi ſua nitroſa abſtergit, obſtructiones reſerat, ardores compeſcit, atque acria & peregrina ſalia per Urinam educit. Sumitur quotidie per menſem ad unc. vj. viij. lib. i. quatuor horis ante cibum, vel etiam aſcendendo quotidie per unc. ij. ad lib. j. ij. iij. Hinc præpoſtera ſerie ſenſim ad primam doſin redeundo.

Sequuntur nunc paucæ formulæ remediorum Lactis, ut Seri lactis alterari.

Formulæ

Lactis, vel Seri lactis alterati.

SErum Lactis in Scabie proficuum. ℞. *Ser. lact. cum ſucc. cit. parat. lib. i. col. bulliat*, (tum quia flatulentum, tum ut quidquid adhuc ineſt caſei ſubſideat) *hinc infund. per noct. fumar. m. i. cichor. vel acetoſ. m. ss. Col. add. ſacch. unc. i. M.*

Serum Lactis anti Scorbuticum. ℞. *Herb. rec. naſturt. aquat. cochlear. an. m. ij. rad. raph. ruſt. unc. i. contuſ. & conquaſ. in mortar. marmor. affund. lib. ij. vel iij. ſer. lact. depur. ſtent in loco tepido per noctem vaſe clauſo. Col. add. aq. cinam. unc. ss. M.*

Aliud. ℞. *Herb. rec. cochl. m. i. rad. helen. armorac. an. unc. j. bacc. juniper. dr. iii. paſſul. min. unc. j. contuſ. affund. ſer. lact. cap. lib. ij. vel iij. Col. dulcor. pauco ſacch. vel ſyr. de ſucc. cit. vel ſcelotyrb. Foreſt.* Doſ. *unc. iv.*

Serum Lactis deſtillatum anti Scorbuticum. ℞. *Herb. rec. beccabung. m. iij. cochl. naſturt. an. m. ij. acetoſ. cichor. an. m. j. Pom. cit. N. 3. vel incid. & piſt. in mort. marmor. affund. ſer. lact. q. ſ. deſtill.*

Serum. Lact. Tamarind. *Fonſec.* item aliud alterat. herbis pro cura vernali, vid. ſuperius de Remediis poſt V. S. præſcribendis.

Lac Caprinum anti Scorbuticum. ℞. *Lact. caprin. unc. viij. lib. j. ebull. in eo fol. cochlear. naſturt. beccabung. endiv. cich. a. p. ij. Col. add. ſacch. puriſſ. parum, ne coaguletur.*

Lac anti Dyſentericum. ℞. *Lact. rec. lib. j. ſem. plantag. dr. j. rad. torment. vel ſymph. dr. ss. contuſ. coq. & Col. dentur ſubinde 2. vel 3. cochl.* alii addunt *terr. ſigill. ſcr. i.*

Lac in Mictu cruento. ℞. *Lact. ovill. rec. Mulct. lib. ss. mell. roſ. puriſ. dr. ii. bull. leniter. add. Bol. arm. ſcr. j. Eximium eſt in hoc affectu, ex obſervat.* Foreſt.

Lac Cancrinum, in Phthiſi incipiente proficuum. ℞. *Cancr. viv. N. ii. contuſ. in mortar. affund. lat. vaccin. lib. i. ss. coq. hinc atque col.* Vel ℞. *Lact. vaccin. lib. j. ss. cancr. elix. N. ij. contund. una cum chel. & teſt. f. Col. vel per pannum, in delicatis, & ubi minus agendum, vel colatorium ferreum ut pulvis præcipitans ſimul tranſeat, ſi efficacius agendum, licet minus gratum ſit.*

Lac artefactum, ſi fortè Lac naturale vel Serum lactis contraindicaretur. ℞. *Sem. melon. mund. unc. i. ſem. cucurb. angur. an. unc. ss. iur. pull. unc. vii. M. F. Emul. adde ſi placet., iulep. viol. un. i.*

Aliud anti Heſticum. ℞. *Chin. ſel. unc. i. raſur. ebor. dr. ii. repleatur bis pullus benè ſaginat. coque in lib. vi. aq. ad. debitam cocturam lento igne. Do Col. ℞. unc. vi. add. ſem. melon. rec. amygd. d. excort. an. unc. ss. nucl. pin. rec. dr. ii. M. F. Emulſ. aromatizanda modico mac.* Alii accipiunt *Decoct. carnis Gallin.* & cum eo faciunt prædictam Emulſionem.

ARTI-

ARTICULUS II.

De Officio Medici, ordinanda cura Chalybis.

I.

CHalybis, qui aliud nihil eſt, quam ferrum artificialirer magis depuratum & induratum, duplicem juxta Veteres obtinet virtutem, *aperitivam* unam, *adſtringentem* alteram. Illam adſcribunt particulis volatilibus; hinc non exiguum præſtat uſum in morbi ab obſtructione oriundis: hanc terreſtribus atque fixis; unde crodum martis adſtringentem parauri, Chalybem eouſque calcinant, uſque dum abſumptis partibus volatilibus, remaneant fixiores, eoque utuntur in diarrhœa, dyſenteria, aliiſque fluxibus ſanguinis p. n. R. R. conſiderantes Martis corpus homogenium, quod ſub æquali tenore in ignis tortura perſeverat, & quod mars ſemper adſtringat, ac omnia etiam ex marte parata guſtui ſaporem adſtringentem ſubminiſtrent: fundamentaliter aſſerunt, eum per ſe ſemper adſtringere, aperire verò tantum per acidens, quatenus nimirum intra corpus aſſumptus, reperta in corpore ſalia ſylveſtria acida & facilè coagulabilia, a quibus induci ſolent obſtructiones, abſorbet, abſorptaque ſecum per alvum educit, ut adeò hoc modo ſublata cauſa, tollantur obſtructiones.

II.

EX dictis facilè eluceſcit, *Martem* 1. optimum eſſe Melancholiæ digeſtivum. Cùm enim materialis ejus cauſa modernis ſtatuatur, acidum vitioſum in primis viis hærens, illud ad mortem aſſumptum accurrit, eumque corrodendo ſua amittit ſpicula ac acrimoniam, & poſtmodum ſimul cum marte per ſeceſſum eliminatur; hinc poſt ejus aſſumptionem fæces ut plurimum nigro colore tinguntur, præcipitato per bilem marte cum abſorptis acidis in colorem ſubnigrum. Non malè igitur à *Zacut. Luſit.* Melancholiæ, & mali Hypochondriaci verum alexipharmacum, ac rhizotomus appellatur, quod idem dicendum de affectu hyſterico. 2. Inſignis panacæa eſt Cachexiarum, tam virorum, quam etiam mulierum, & virginum in chloroſi, fluore albo, ſuppreſſione menſium; quæ ſi inveterata, citra materialia vix curari poteſt, in Cachexia icterica &c. Hinc etiam omnes pulveres cachecticos mars ingreditur. Non enim tantum, dum humor acidus, ac veluti cauſticus chalybeata aggreditur, & in ſubſtantiam eorum operatur, ferociam & acrimoniam ſuam proprio veluti enſe jugulat, infringit, ac retundit; ſed inſuper ſublato coagulo maſſæ ſanguineæ jam effœtæ & langueſcenti, quaſi calcar ſuggeritur, ſpiritus ſopiti & penè emortui, ac ponderepreſſi, rurſus eriguntur, excitantur ac reſtaurantur, quod vel maxime in puellis cachecticis obſervatur, dum aſſumpto chalybe, pulſum nanciſcuntur celeriorem, validiorem, faciemque magis rubicundam & vividam.

III.

PRo legitima ejus adminiſtratione Medicus notabit, 1. Curam chalybis commodiſſimè adminiſtrari vere & autumno. 2. Ejus præparationem, quo ſimpliciorem, eò meliorem eſſe. 3. Haud immerito damnari, & explodi ejus præparationes nimiis acidis factas, cùm Mars acido ſaturatus, nullas ampliùs in corpore exſerat virtutes, ſed potius ventriculum oneret, utpote calx fixiſſima nullo liquore ſolubilis. 4. Cæteris præparationibus palmam præferre, quæ fit cum alcalinis, aut blandis acidulis. 5. Etiam limaturam Martis crudam intus exhibitam, fructu ſuo non deſtitui, dummodo ventriculus non adſit admodum debilis, vel doſi majori exhibeatur. In his enim periculum eſt, ne Mars in ventriculi fundo ſubſiſtens, vim ibi vitriolicam & vomitivam acquirat, aut ructus nauſeumque cieat, vel appetitum dejiciat; hinc etiam refert *Panarol.* ſe poſt mortem eorum, qui uſi fuerint Martialibus, in ventriculo limaturam Martis adhuc crudam reperiſſe, ob ventriculi debilitatem.

IV.

PRæterea 6. notabit Medicus, corpus prius ad hanc curam per univerſalia diſponendum eſſe. 7. Martialia exhiberi, vel in forma ſicca, ut v. g. pulv. elect. pilul. &c. vel in humida, ut vini, tinctur. eſſent &c. In forma liquida ceteris præferuntur ex eo, quod in iis Mars magis ſolutus: in illis autem magis compactus, majores in ventriculo pariat moleſtias, Nonnulli hæc ita diſtinguunt, ut in complexionibus humidioribus eum exhibeant magis in forma ſicca: in ſiccioribus verò, & quorum ſtomachus ſenſibilior, in forma humida. 8. Poſt ejus aſſumptionem manè jejuno ſtomacho facta, deambula-

tion

tione per unam vel duas horas corpus exercendum eſſe, capiendum poſtmodum Brodium carnis vel gallinæ, alteratum rad. petroſel. vel rad. aperit. & paſſulis. 9. Signum Chalvbis ritè operantis eſſe, fæces nigras per alvum excretas: econtra malum, ſi poſt ſumpta Martialia non tingantur colore nigro, cum ſignum ſit, Martem non abſorbſiſſe ſalia vitioſa corpori noxam minitantia. Item ſi ſuperveniant vomitus, nauſea, inappetentia, dolores ſtomachi &c.

V.

INſuper 10. Obſervabit in hac cura, tertio vel quarto die clyſterem injiciendum, vel lenitivum exhibendum, aut pilulas aloeticas. Aliqui quarto die hora quarta pomeridiana, magnitudinem caſtaneæ exhibent de Elect. parato ex rob. ſambuc. vel ebul. aut pulp. tamarind. unc. iij. cum diagrydii roſat. ſcr. ij. Alii & præſertim *Sydenham*, præcipuè in affectu Hyſterico Martialia exhibent, ſine interjecta purgatione, ne una die deſtruatur, quod per plures ope chalybis reſarcitum. 11. Curam hanc nunc 15. nunc 20. nunc etiam 30. diebus & ultra continuandam eſſe, pro majori, vel minori contumacia affectus. 12. Durante hac cura, legitimam inſtituendam Diætam, & præcipuè omnia acida, ſeu in cibo, ſeu in potu, vitanda eſſe, quia Martem ſaturant, ut poſtmodum ſaturatus vitioſa ſalia relinquat intacta.

ARTICULUS III.

De Officio Medici, in præſcribendis formulis Remediorum Chalybeatorum.

VInum Chalybeatum, ℞. *Croc. mart. aperit. unc. iii. ſpec. aromat. caryoph. dr. ii. dentur ad ſaccul. ex ſind. alb. S.* Sacculus Chalybeatus, cui affundendæ 2. menſuræ vini venuſti, relinquatur per 2. dies; poſtea jejune de ipſo bibantur 3. aut 4. unciæ.

Aliud. ℞. *Chalyb. præp. unc. 1. caryoph. dr. i. mac. dr. ss. inde ſaccul. oblong. inſtar digiti, affund. vin. menſ. ii. &c.* Quantum de hoc bibitur, tantum ſemper reaſſundatur.

Aliud ex ſpuma Chalybis. ℞. *Spum. chalyb. dr. i. vin. alb. unc. ii. M. & ſic pro reliquis doſibus.*

Vinum chalybeat Riverii. ℞. *Chalyb. cum ſulph. præp. unc. i. rad. enul. cort. med. tamariſc. an. unc. ss. fol. ſenn. ſ. unc. iii. epithyn. unc. i. ſæcul. bryon. cinam. an. dr. iii. ſpec. diatrion. ſant. dr. i. aq. deſt. agrim. vin. alb. an. lib. i. inf. per trid. in B. M. de col. ſumantur unc. iii. vel iv.*

Vinum chalybeatum attenuans & deobſtruens. ℞. *Rad. leviſt. unc. ss. rhab. el. unc. i. chalyb. cum acet. tamarind. præp. unc. i. ſal. tart. dr. ii. ment. criſp. m. ss. cort. flav. arant. dr. ii. galang. min. dr. i. inciſ. & contuſ. indantur in vas vitreum, affundendo vin. malvat. lib. iii. digerantur loco calido, movendo aliquotias, per biduum. Facta dein remotione à loco calido, ne aceſcat, bibendo quotidie unc. iii.*

Claretum Martiale *Minſicht.* probatiſſimum. ℞. *Vin. alb. opt. lib. iii. chalyb. cum acet. tamarind. præp. unc. i. rad. ſcorz. acid. tart. an. unc. ss. galang. min. caſs. lig.*

ſig. caryoph. an. dr. i. M. indita in vas vitreum digere loco calido, movendo aliquoties, per biduum, Dein col. per manic. Hippoc.

Aliud Vinum Martiale anti-Cachecticum. ℞. *Herb. ſalv. roriſm. an. m. ss. abſinth. mi. fl. cent. min. p. iv. rhab. el. unc. i. ss. cinam. galang. z. z. an. dr. ii. limat. mart. rec. unc. i. ss. inciſ. dentur ad Nodul. cui ſuperaffund. vin. alb. lib. iii.*

Syrupus chalybeat. ℞. *Chalyb. præp. unc. iii. affund. acet. vin. ad eminent. 4. digit. transverſ. ſtent in loco calid. donec extrahatur tinctura, tum inclinato vaſe ſeparetur liquor, cui add. ſacch. albiſs. q. ſ. coq. lenti igne ad conſiſt. Syrup. S.* Syrupus chalybeatus, de quo unum cochleare plenum cum brodio, aut vino albo ſumendum.

Eſſentia Martis Hartmani. ℞. *Limat. mart. canduſact. lib. ss. extingue ſemel atque iterum in lib. iv. vin. malv.* Doſ. *ab unc. ss. ad unc. ii. ex juſcul* vel *hauſtu aq. cichor.*

Tinctura Mart. ℞. *Tinct. mart. Zwelff.* vel *Vitriol. mart. Ludovic.* vel *cum ſucc. cit. parat. Sorbait. &c. unc. ss. detur ad Vitr. S.* Tinctura chalybeata, de qua 15. uſque ad 30. guttæ in brodio ſumendæ.

Bolus chalybeat. ℞. *Chalyb. præp. dr. i. caryoph. gr. vi. cum vin. ſ. q. M. F. Bol. qui nebulis involutus devoretur, ſuperbibendo 3.* vel 4. *cochl. vin. abſinthit. vel malvat. & ſic pro cæteris doſibus.*

Electuarium Chalybeat. ℞. *Limat. chalyb. præp. unc. i. ss. conſerv. fumar. unc. iii. ss. condit. cort. cit. dr. vi. confect. alkerm. unc. ss. ſyr. de cort. cit. q. ſ. S.* Electuarium chalybeatum mixtum, de quo magnitudo caſtaneæ ſumenda, & poſtea bibatur paulum vini, vel Malvaſiæ.

Aliud. ℞. *Limat. mart. acet. præp. unc. vi. cinam. nuc. moſch. an. dr. iii. rhab. dr. ii. ſpec. arom. roſ. dr. iii. mell. opt. ſacch. alb. an. unc. xiii. cum*

lento igne F. Elect. Doſ. unc. ss. v. horis antepran-dium, ſuperbibendo unum vel 2. *cochl. vin. Malv.* vel *abſinth.*

Morſelli chalybeat. ℞. *Chalyb. præp. unc. i. caſ. lig. ſcr. iv. croc. ſcr. ss. mac. ſcr. ii. caryoph. ſcr. i. ſacch. fin. in aq. cinam. diſſol. unc. iii. F. Morſul. N. viij. capiat m. unum.*

Tabellæ chalybeat. ℞. *Chalyb. cum ſulph. præp.* vel *pulv. cachect. Quercet. unc. ss. confect. alk. dr. ii. ambr. gryſ. ſcr. i. ſacch. fin. in aq. roſ. & namph. diſſol. unc. iv. f. Tabell. capiat dr. ii. quotidiè manè.*

Pilulæ chalybeatæ Sydenham. ℞. *Limat. mart. ſubtiliſs. gr. viii. cum ſ. q. extract. abſinth. M. f. Pilul. N. viii. ſumantur ſummo manè, repetanturque hora quinta pomeridiana per dies 30. ſuperbibendo hauſtum vin. abſinthit.* vel *malvat.*

Utiles quàm maximè in affectu hyſterico, chloroſi, ac omnibus morbis chronicis, ex acido oriundis.

Aliæ in morbis Chronicis uſuales. ℞. *Limat. mart. ſubtiliſs. gr. xv. rhab. pulv. ſcr. i. cum ſucc. abſinth. q. ſ. M. f. Pil. N. xv.* vel *xxi. ſuperbibendo brodium amarum & diureticum.*

Aliæ chalybeatæ Riverii. ℞. *Chalyb. cum ſulph. præp. unc. ss. aloes opt. ſenn. ſ. agar. troch. rhab. el. an. dr. i. ſpec. diarrhod. Abb. dr. ss. croc. ſcr. ss. cum ſyr. roſ. ſol. f. maſs. Pilul. de cujus dr. i. form. Pilul. N. xxiii. deaur. quas capiat æger m. ſingulis diebus. 3. horis ante paſtum, continuando per 15. dies.*

Pulvis chalybeatus anti Cachecticus. ℞. *Pulv. cachect. Quercet. dr. ss. S.* Pulvis chalybeatus per 15. dies mane in brodio ſumendus.

Alius. ℞. *Chalyb. præp. dr. vi. ſal. abſinth. tamariſc. card. b. an. ſcr. i. fœcul. aron. dr. i. ocul. canc. præp. ſcr. iv. cryſt. tart. unc. ss. Pulv. caryoph. ſcr. iv. M. f. Pulv. detur cum pondere plumbeo unius dr. ſumatur omni manè dr. i. ex brod.*

Alius.

Alius. ℞. *Chalyb. præp. unc. i. ſs. caſs. lig. opt. fæcul. aron. cryſt. tart. an. dr. ii. ol. caryoph. gut. xx. cinam. gut. vii. ſacch. roſat. tabul. dr. vi. M. Doſ. dr. i. m. ex Juſculo.*

Alius ſimplex in ſuppreſſis Menſibus utilis. ℞. *Mart. cum ſulph. præp. dr. vii. caſſ. lig. dr. i. M. f. Pulv. divid. in xvi. p. æq.* de his una quotidiè ſumatur, obambulando deſuper per 1. vel 2. horas, & tertio quolibet die 4. horis a paſtu, magnitudinem caſtaneæ de *Elect. laxat.* ſumendo. Cura hæc, teſte *Sorbait*, intra 16. dies plerumque hunc tollit affectum.

ARTICULUS VI.

De Officio Medici, in ſuadendo uſu Theè, Caffeè & Chocolatæ.

I.

THeè & *Thea*, folium fruticis cujuſdam, quem plures inter ſpecies *ſumach* referunt, in China & Japonia naſcens, atque inde ſiccando involutum, & conglomeratum in Europam delatum: quoad qualitates primas, calidum eſt in primo gradu, & ſiccum ferè in ſecundo; duplicem poſſidet ſubſtantiam, quarum una volatilis & ſpirituoſa, odore ſuo ſuavi & jucundo, aquæ communicatur; altera verò fixa & terreſtris, ſapore ſuo amaro, & nonnihil adſtringente ſe prodit. Commendatur hæc Herba, 1. Ad ſomnum pellendum, a cæna præſertim aſſumptum, quod præſtat, tum quia calor actualis, quo potatur, ſpiritus agitat, tum quia ſpirituoſa, volatili, & odorifera parte, ſpiritus diſſipatos reparat: amara verò & diuretica, alimentorum humiditatem ſomno neceſſariam abſorbet, & per urinam pellit, tum quia ſuperius orificium,

cium, conſtringendo vapores ad ſomnum neceſſarios, frænat & impedit. Ob eaſdem cauſas prodeſt etiam in vertigine, affectibus ſoporoſis, & catarrhis. 2. Medetur doloribus capitis, impediendo cruditates, ac vapores diſcutiendo. 3. Solvit ebrietatem, corpuſque nimis a Baccho peſſum datum, integritati ſuæ reſtituit. 4. Moderatè ſiccat, cerebrum purgat, memoriam firmat, mentem purificat, ac alacriorem reddit. 5. Stomacho, digeſtionique juvandæ inſervit, aciditatem nimiam corrigendo, ac ſtipticitate fibras conſtringendo. 6. In Nephritide, calculo, & arthritide, cæteris paribus præſervat, cum experientia teſtetur, Chinenſes hujus potui indulgentes, hiſce affectibus non eſſe obnoxios. 7. Alii etiam commendant ad lumbricos, vapores hypochondriacos & hyſtericos, phthiſin quoque, ſi lactis vaccini calidi, quod leviter prius ebullit, aquæ duos cyathos, in quibus dr. 1. Theè infuſa, admiſcueris, cum ſacch. unc. ss. & calide per menſes. 2. propinaveris.

II.

MOdus utendi *Theè* in hoc conſiſtit, ut accipiatur cyathus aqua plenus, qui immittitur in vas peculiare ad hunc uſum deſtinatum, quod igni apponitur, & dum aqua effervеſcit, ab eodem removetur, & *dr. ss.* vel *dr. i. fol. Theè* injicitur, hinc vas tegitur, ac folio fundum petente in vaſculum porcellanum, vel faventinum effuſum calide ſorbillatur, addito ſi placet pauco ſaccharo. Quod in fundo remanſit folium, etiam ſecunda vice adhiberi poteſt, ſed tum cum aqua coquatur neceſſe eſt. Jabonenſes, pulverem foliorum aquæ ferventi injectum, ſimul hauriunt. In Perſia parum anis. fœnic. vel caryoph. injiciunt. Sumitur plerumque manè, vel in affectibus ſtomachi ac capitis, per conſenſum Ventriculi, ſtatim a prandio, vel quacunque hora, ac pro ſomno impediendo, a cæna.

III.

SIcuti autem uſus hujus herbæ *Theé* ſubinde maxime proficuus; ita ejus abuſus, ac frequentior compotatio improbatur, præſertim in ſubjectis calidioribus & ſiccioribus, dum humidum nativum cito nimis abſumit, caloremque ac vitam inſtar flammæ lampadis oleo conſumpto extinguit, ut adeò extrema non ſolum in morali Philoſophia, ſed & in Medicina, vitioſa ſint. Cæterùm plures his temporibus proprietates *Theé* adſcriptas, tribuunt quoque ſimplicibus ſub noſtro cœlo creſcentibus, quæ ſubſtitui haud immeritò poſſunt, ſi eodem modo præparata ſumantur. Sic in affectibus capitis uti poſſumus *Roremarino*, *betonica*. In affectibus pectoris *ſalvia Veronica*, *pulmonaria*. In affectibus renum *Veronica gran. Juniper.* In athriticis *chamædry &c.*

IV.

COffeé, vel *Caphee*, eſt leguminis peregrini ſpecies, magnitudinis noſtratium fabarum, a quibus non admodum abludit, orta ex arbore Evonymo vel ceraſo ſimili, ex Arabia felici in Europam delata, quæ debita modo pulveriſatur ac torretur, ut phlegma ſpiritus ejus irretiens exhalet, uſque dum ſemiuſta & colore caſtaneo vel ſubnigro tincta appareat, ac panis veluti aduſti odorem referat. Coctio ejus paratur, dum accipitur olla anſata ſtanno obducta, illique infunduntur *aq. unc. x.* vel *lib. i.* quibus, cum ſuper igniculo carbonario efferbuerint, injiciuntur *pulv. dr. iij.* ſedulò cavendo, ne quidquam effundatur, cum pulvere aquæ immiſſo illicò celeriter in ſpumam agatur, unde, quam primum aqua ollæ labia attingit, igne amovenda rurſumque admovenda

venda, uſque dum duodecies circiter ebullierit; hinc cineribus calidis imponenda, donec magma fundum petierit & decoctio flava & limpida ſuperſit, tunc calici Porcellano vel Faentino, calidè ſorbillatur, addito ſi placet pro delicatis, pauco ſacch.

V.

QUalitates primas quod attinet, *Coffeé* calidum & ſiccum ſtatuitur, prius deducitur ex amaritie & acuto ſapore, poſterius ex toſtione, reliquæ exinde emergentes qualitates, cum ſulphure & ſale volatili ſcateat, ſunt roborare ſtomachum, detergere, obſtructiones reſerare, urinam movere, vapore in cerebrum aſcendentes retundere, ſomnum avertere &c. Quoad affectus, convenit illud, 1. In adjuvanda coctione ſtomachi; ubi vinum locum non habet, ut v.g. in abſtemiis, cephalalgia detentis, laborantibus ſtomacho ex prægreſſa ebrietate, idque præſtat, tum volatili ac ſubtili ſua ſubſtantia, nimiam fermenti ſtomachici aciditatem obtundendo, ac terreſtri adſtingendo & humiditates exſiccando, tum alcali ſuo acidas cruditates abſumendo, & corruptioni reſiſtendo. 2. In necandis lumbricis. 3. In reſerandis obſtruxionibus, in chloroſi, ſuppreſſione menſium. In præſervando hydrope, calculo, podagra, 5. In febribus intermittentibus diuturnis. 6. In cephalalgia per conſenſum ſtomachi. 7. In ſomno arcendo, poros cerebri apertos tenendo, liberumque ſpiritibus tranſitum ſternendo. 8. Cum lacte decoct. vel cum aqua paratum, & cum æquali vel majori parte lactis mixtum, vel ante vel poſt lac aſſumptum, prodeſt in Phthiſi.

VI. De

VI.

DE hoc decocto *Coffeè* ſumiter manè unus vel alter crater. Qui ad ſtomachi invalatudinem eo utuntur, ſumunt immediatè poſt prandium, additis *caryoph. contuſ.* vel *cinam.* vel *cardam.* vel *ſacch. ambrat*. Sicuti autem in prædictis affectibus ſuo modo locum habet, atque indicatur uſus *Coffeè*, ita minus idoneus ac contraindicatur, in nimium macilentis, biliofis, ſtomachis nimium calidis, eiſque, quibus vaſa ſanguine ſubtili, rapidiuſque circulante ſunt repleta. Item quibus tuſſis, & ſputum frequens, ab acriori ſanguine oriundum, uti & Phthiſicis conſummatis.

VII.

CHocolata ſeu *Succolata*, eſt ſpecies ſolidæ Paſtæ Americanis frequens, & forma Paſtilorum vel Tabellarum ad nos delata, ac ex variis ingredientibus, quorum præcipuum eſt *Cacao*, quæ eſt fructus cujuſdam arboris, ac ſpecies quædam amygdalarum compoſita. Ex hoc fructu exprimitur ſuccus, inſpiſſatur, additurque *cinamom. piper. mexican. caryophyll. Vanilli*, *achiota* & *ſacch.* Alii etiam adunt *aq. namph. amb. moſch.* alii alia, ut adeò inter authores pro locorum uſu, vel pro cujuſque ſapore, aliqua diſcrepantia in ejus compoſitione obſervetur. Bonitatis ſignum eſt, ne mucidum oleat, nec vermiculis eroſa ſit, nec maſticando quid diſplicens, aut nimis aromaticum ſapiat. Modus ejus bibendi vulgariſſimus eſt, dum aqua bulliens infunditur crateri, quem ebibere cupis ad medietatem: inde Chocolatæ tabella una aut altera diſſolvitur, donec inſpiſſata ſatis appareat, mox probè ligno denticulato agitatur & in ſpumam vertitur: tandem reliqua crateris medie-

tas

tas aqua calida cum ſaccharo repletur, ac calidiſſimè ſorbillatur. Aliqui diſſolvunt eam in aqua frigida, ligno denticulato agitant, ſpumam elevatam in alio reponunt vaſe, reliquum cum ſ. q. ſacch. igni apponunt, & ubi adhuc calidum eſt, ſpumæ prius ſeparatæ affundunt, totumque epotant. Nonnulli citò eam parantes aquam calefaciunt, ei deraſam Chocolatæ tabellam admiſcent, diſſolvunt, ligno agitant, & necdum ſeparata ſpuma hauriunt. Sunt, qui ante ejus hauſtum aq. frigidæ hauſtum ſumunt, aut biſcoctorum par intingunt. Alii eam glacie refrigeratam potant, quæ palato potius quam valetudini conveniens eſt. Si ſanitatis gratia bibatur, ſufficit ad duas vices quotidie ad ſummum, & potius horis matutinis eam ſumere. Diebus canicularibus eadem abſtinere melius eſt.

VIII.

QUalitates ejus quod attinet, temperata eſt, ſi præcipuè piper & caryophylli eximantur, prout nonnulli faciunt, frigidis cacao particulis ab ingredientibus calidis temperatis. Bibitur a plurimis potius ex conſuetudine & deliciis, quam morbi curandi aut præcavendi gratia, interim utilis eſt ſtomacho debili, exhauſto & flatulento. Utilis iter facientibus, & quidem tam mane, antequam itineri ſe committant, quam veſperi, abſoluto diei penſo. Item Prædicatoribus, ſeu ante ſeu poſt ſermonem. Ante eum enim, pectoris & vocis vires diutius quam Juſculum ſuſtinet, poſt verò exhauſtas corporis vires reparat. Utilis etiam ob vim ejus unctuoſam ac nutritiam Hecticis & atrophia laborantibus: præterea ſemen auget, ac in ſcorbuto acidum ſalſum temperat, imprimis ſi cum lacte ſumatur. Abſtineant ab ejus uſu Juvenculæ chloroſi laborantes, aliique omnes obſtructionibus detenti, ac chylo corrupto, & crudis indigeſtiſque humoribus

ribus in ſtomacho ſtabulantibus præditi; tollendus etiam abuſus, ac nimia ejus potatio, cum pingues ac butyroſæ ejus partes, quibus abundat, non ritè ubique per corpus diſtribuantur, & neceſſario in venarum anguſtiis hæreant, ac obſtructiones & infarctus generent.

ARTICULUS V.

De Officio Medici, in præſcribendo Laudano Opiato.

I.

L*Audanum Opiatum*, ſic dictum, quaſi Laudatum ex Opio Medicamentum. Paratur enim ex Opio, quod eſt ſuccus expreſſus & condenſatus, vel capitum papaveris cujuſdam peregrini, præſertim Thebaici, thyrſis ſeu ſcapis vulneratis, vel ex tota planta, & hoc a nonnullis dicitur *Meconium*. Præparationes fere tot ſunt, quot authores. Optima ejus correctio conſiſtit in ejuſdem depuratione, in leni ſulphuris fœtidi, inflammabilis, immaturi evaporatione, ac virtutis extractione per menſtrua, qualia nonnulli accipiunt *ſalina*, *lixiva*, ut v. g. alcaheſt vel tinct. tart. alii *ſulphurea*, ut ſpirit. vin. quia opium abundat ſulphure, quod vappidas & halituoſas opii particulas naturæ amicas reddit, neque vires ejus obtundit; alii *aquea*, ut v. g. aq. deſtillat. vel deſtill. ror. majal. quia opium non privant virtute ſalina, ut acida, nec illam ſecum auferunt, ut ſpirit. vin. alii tandem *ſalina acida* adhibent, ut verb. gr. acet. deſtillat. ſucc. cydon. &c. tum quia acidum ejus correctivum venenis adverſatur, tum quia acrimoniam & caliditatem ejus corrigit, tum quia ſal volatile ab

le ab acidis fixatur, ac acida etiam ſtomachum roborant. Nobis hic in uſu eſt *Auguſtanum*, & quod priori multo præſtantius, minuſque caput turbat, Laudanum cydoniatum *Helmont.*

II.

QUalitates ejus quod concernit, ſtatuunt aliqui illud eſſe *frigidum*, quia effectus producit frigidos, ut ſtuporem, ſomnum profundum, ac quia corrigitur calidis, & propinantur calidiſſima, ſi periculum ab aſſumpto opio immineat. Alii *calidum* pronuntiant, quia frigiditate in tam modica quantitate nocere non poſſet, quod odore grave, ſapore amarum, atque inflammabile; ſudorem etiam excitat, pruritum & ſitim cauſatur. Alii vim ejus Narcoticam occultæ adſcribunt qualitati, alii in eodem partes heterogeneas agnoſcunt, calidis tamen prædominantibus: alii juxta principia ejus chymica, (cum conſtet ſulphure copioſo vaporoſo cum ſale volatili, præſentibus etiam partibus aqueis & terreis, una cum ſalinis fixis in capite mortuo reſiduis) vim agendi adſcribunt effluviis vaporoſis, quæ porulos cerebri apertos & dilatatos obſtruunt, ſpirituum animalium effrænem influxum impediunt, eoſdem volatili ſulphurea viſciditate figunt, ad invicem agglomerant, ligant, ſopiunt, & quaſi torpidos reddunt.

III. Uſus

III.

USus generalis *Laudani Opiati* eſt, ut ſi veluti Panacea omnium dolorum, fluxionum evacuationum nimiarum & vigiliarum, Specialem quod attinet, convenit 1. *In febribus intermittentibus*, præmiſſis emeticis & purgantibus, mixtum pulveribus antifebrilibus. 2. In *continuis malignis* cautè cum eo mercandum, nec uſurpandum, niſi mixtis alexipharmacis, ac in minori doſi, & in primis vel in augmento morbi, tum quia ſpiritus, ne tam citò reſolvantur, quaſi coercet, tum quia gravior mitigat ſymptomata, vel præcipuè in declinatione, ſi jungantur dolores intenſi, vel excretiones humorum quæcunque impetuoſæ, ac in ſpecie catarrhi, tuſſes, vomitus, diarrhœæ, Inſtante criſi vel die critico non temere dandum, ne natura in conatu ſuo impediatur. In *variolis* & *morbillis* dandum mixtis expulſivis, tum pro ſiſtendo alvi fluxu & præcavendis nervoſi generis ſymptomatibus, tum pro mitigandis urgentioribus ſymptomatibus & promovenda excretione cutanea. Cum etiam ſudorem moveat, hinc Theriaca & Mithridatium dempto opio, nullum vel parcum excitant ſudorem. Videtur autem excitare ſudorem, vel quod natura refocillata excretionem per ſudorem moliatur, vel quod ſomnus fluxiones omnes ſiſtat excepto ſudore; vel quod ſulphur ejus tenuius a ſale volatili propulſum, per cutim exſpiret.

IV.

QUod ad affectus *Capitis*, prodeſt *Laudanum opiatum in Cephalalgia & Hemicrania*, mixtum præcipuè cum ſpecifico cephalico, in *Vertigine* per conſenſum, figendo humores ac ſubtiles ſpiritus, in *Mania*, ſanguinis fervorem, ejuſque inordinatum motum ſpirituumque effrænem impetum ſiſtendo, ſomnumque, a cujus defectu delirium augetur, procurando. *Epilepticis* mixtum quoque prodeſt, acrimoniam humorum vellicantium ſiſtendo, vel eos in centro ligando & partem roborando, maxime in infantibus ac adultis, ubi ſimul tormina & partium membranoſarum vellicationes adſunt. Videndum tamen, ut caute procedatur, ne ſi natura ad exteriora contendat expellere cauſam morbificam, hæc motu inhibito circa cor reſtitet, & ſuffocationem excitet. *Catarrhos* tenues & acres ad miraculum uſque ſiſtit, eoſque ad pepaſmum deducit.

V.

QUoad affectus *Pectoris*, optime prodeſt *laud. opiat.* in *Tuſſi*, exorta a materia tenui & acri, ſi thorax non eſt infarctus a materiæ copia. Sunt, qui nullam tuſſim ſine opiatis feliciter tolli poſſe putant; unde licet minus conveniant, ubi viſcoſi craſſi & glutinoſi humores in Bronchiis pulmonum continentur, tamen & in hoc caſu convenire poſſunt, doſi refracta & ſecundaria, cum incidentibus maritata, vel interpoſita, cum archæum ſopiant, naturam roborent, tuſſim ſedent, ac materiam concoquant. Prodeſt quoque in *Aſthmate hypochondriaco*: non verò in Aſthmate hydropicorum, vel ubi reſtagnans ichor, ſpiritualibus partibus jam intentat periculum. In *Pleuritidis* initio, ſpecificis volatilibus miſceri poteſt par-

parcius, ſicuti in declinatione fixioribus. Expectoratio enim ſic melius ſuccedit, vires confortantur, & ipſe morbus longe felicius ad finem decurit. In *Phthiſi*, optimum eſt, ſi oriatur ex defluxu humorum acrium & ſalſorum ad pectus, vel a ſputo ſanguinis; non verò, ſi ab ulcere pulmonum, cum ſic ſputum ſiſtat, & ægros ſuffocet maxime, ſi doſi ordinaria exhibeatur, doſi vero refracta commode etiam hic in uſum vocari, & cum aliis miſceri poteſt.

VI.

IN affectibus *Cordis*, a reſolutione ſpirituum oriundis, cordialibus parciſſimè admixtum, maximè prodeſt; ſic quoque in *palpitatione Cordis*, *Lipothymia*, aliiſque ſymptomatibus *hyſtericis* & *hypochondriacis* nihil præſentius Laudando opiato, reſolventibus & præcipitantibus mixto, hinc additum pulv. abſorb. *Wedel.* plurima in his affectibus, eodem teſte, præſtitit. Quodam affectus *Ventriculi*, utiliſſimum eſt in *Cholera*, dummodo non intempeſtive exhibeatur, cohibendo cauſam morbificam. Solatur etiam *Cardialgiam*, mixtum carminativis vel præcipitantibus. In *Singultu* quoque prodeſt, mixtum caſtoreatis. In *Vomitu* etiam, ſeu ab hypercatharſi, ſeu ab aliis cauſis excitato, mixtum cum *Theriac. & confect. alk.* vel datum in pilul. *cum ol. ment.* vel *cinam.* In *Appetitu nimio* valet, datum cum abſorbentibus. In *hypocondriacorum & ſcorbuticorum* quibuſdam affectionibus, inquit *Willis*, ſe malle quovis medicamentorum genere, quam opiatorum uſu deſtitui, non enim ſolummodo contra Dolores & Vigilias pertinaces, verum in paroxyſmis Aſthmaticis, in Vomitu, Diarrhœa, quin etiam in Vertigine & pathematibus Convulſivis, nullum præſtantius expertus eſt remedium.

VII.

QUoad ſymptomata *Inteſtinorum*, prodeſt in *doloribus Colicis*, modo non adſit humorum in inteſtinis infarctus, cui prius medendum, tam per ſe exhibitum, præſertim in colica bilioſa, quam cum purgantibus doſi refracta mixtum. In *Ileo* eſt ſacra anchora & extremum ſolatium, vel mixtum cum purgantibus, ut una fidelia & dolor & materia morbifica tollatur, vel quod magis in praxi & uſu, primò doloribus ſuccurrendum per opiatum, hinc purgante alvinæ fæces exſtimulandæ. In *Diarrhœis*, ſtatim ſæpè fluxum ſedat, magna cum ipſius ægri & adſtantium admiratione. *In Dyſenteria*, licet opiata quibuſdam malè audiant, & narcotica necrotica dicantur, tamen ſine iis vix vera dyſenteriæ curatio fieri poteſt; neque enim tam fluxum ſiſtit Opium, quam eum moderatur & corrigit, dolores minuendo, morbumque in centro detinendo. Datur optimè maritatum cum bezoarticis, præſertim in epidemica. Si dolor & fluxus urgeat, majori doſi opus eſt. In Dyſenteriis indolentibus, & ex inflammatione inteſtinorum ortis, cautius eodem utendum. Prodeſt etiam in *Hæmorrhoidibus* immodicis & dolentibus.

VIII.

QUoad affectus *Renum & Articulorum*, prodeſt quoque in *Calculo*, dextre adhibitum, id eſt, ſi dolor & vigiliæ urgeant, additum temperatioribus, lithontripticis & nervinis, v. g. *ocul. canc. ſuccin. cinnab. &c.* præſertim ſi calculus nondum e renibus fuerit egreſſus, vel ſaltem leviter inde motus; immo dum jam hæret in ureteribus, dato Laudano, non in totum ſopitur expultrix facultas, ut nihil ampliùs agat, ſed dolores ſopiuntur, ut facultas expultrix roborata

eo valentius inſurgere poſſit. In *Podagra*, ſi diri ac diuturni dolores ac vigiliæ infeſtent, ut cauſæ veſtem induant, & urgendo ad ſe curationem trahant, ad Laudanum ceu aſylum confugiendum, alias cautè procedendum, cum malum contumacius reddere, motumque naturæ impedire poſſet. Maximè prodeſt in Arthritide vaga ſcorbutica p. p. Exterius quoque in articulari morbo prodeſt, mixtum cum *ſpirit. formic. lumbric.* & *ſal. ammon.* Cavendo tamen, ne opiatis, humor peccans in tophaceam duritiem tranſeat.

IX.

IN *affectibus Hyſtericis*, *hyſteralgia*, *menſibus immodicis*, *fluore albo*, divinum eſt auxilium, ſeu mixtum caſtoreo, ſeu aliis appropriatis vel abſorbentibus. Cum ambratis maritatum, *aphrodiſiacum* evadit non contemnendum. An in amputatione crurum *ſphacelatorum*, narcotica ſint adhibenda, dubitatur, aliis id negantibus cum levia non juvent, & valida ſint periculoſa: aliis affirmantibus, ut ſanguinis fervor, motus ac inflammatio inhibeantur. Alii, circumſtantias omnes bene attendendas eſſe jubent, neque obſtare arbitrantur, quo minus præcedente operationem nocte opiatum moderata doſi propinari poſſit, cum æger hinc animo ſit alacriori, & multa præcaveantur ſymptomata. Par ratio eſt in ſectione calculi.

X.

QUoad *uſum externum* variis dolorum generib auxiliatur *opium*. Sic in *doloribus capitis*, *ma nia*, *phrenitide*, *vigiliis*; unguentis additur; illine dis temporibus & naribus, vel epithematibus: A *Podagram* opium cum lacte muliebri dilutum com mendatur. Agit autem extrinſecus, non ſtuporem pa tis excitando, prout credebant veteres, ſed quaten per poros ſubtilior pars ſulphurea, & mercurialis ſa guini communicatur, & hinc vires ſuas ordinaria licet remiſſiori longe gradu, & refracte exſerat. S ſtit etiam extrinſecus *hæmorrhagiam a vulnere*, *n rium*, ab *emulſo dente* oriundam. Item prodeſt in *lore dentium*, pilula ejus denti excavato indita. *clyſteribus* id etiam nonnulli addunt, ſi extremi u geant dolores, ſed non in magna doſi, v. g. Philo Rom. vel theriac. rec. ad dr. i. vel laud. opiat. g v. vel vii. ſed caute, cum uſus internus longe tut ſit. *Suppoſitoriis* additum, prodeſt exulcerationi i teſtinorum, quod tamen ultra quadrantem horæ no detinendum.

XI.

PRo debito Regimine ac legitimo uſu, ſequent Medico obſervandæ ſunt cautelæ. 1. *Laudan opiatum* exhiberi poſſe forma *ſolida*, *media* & *liq da*; in forma ſolida vel in electuar. *cum confect.* a vel in Pilulis cum aliquo extract. vel trochiſc. vel pulv. cum *ſacch. cand.* vel *magiſt. mat. perlar.* imm omnibus pulveribus miſceri poteſt. Sic mixtum cu *CC. phil. præp.* & *cinnab. nat.* laudatum eſt medic mentum, in arthritide vaga, vel miſcetur cum *pu cephalico*, *bezoartico*, *adſtringente* &c. Poteſt etia talis pulvis miſceri *emulſionibus*. In forma liquida e hi

hibetur, ſub titulo tincturæ anodynæ, eſſent. aut tinct. opii. Diſſolvitur etiam laud. opiat. in ſyrup. aq. deſtill. emulſ. vino, brod. aliiſque liquidis. 2. Doſin laud. opiat. vel eſſe *ordinariam* vel *extraordinariam*. Ordinaria eſt *infima*, *media* & *ſumma*. *Infima* in adultis eſt gr. dimid. vel 1. *Media* gr. ij. vel iij. *Summa* gr. iv. v. quæ tamen non facile exhibenda, niſi præcedentes doſes abſque effectu jam ſint exhibitæ. Præterea notandum ex praxi medica, laudanum opiatum præſcribi, vel intentione *primaria*, v. g. dolores vel vigilias, vel excreta, aliaque ſymptomata urgentia attendendo, & ſic ad gr. i. ij. iij. præſcribendum, vel intentione ſecundaria, v.g. ad roborandum, ſanguinem fluxilem concentrandum, addendum illud aperientibus, hyſtericis, cephalicis &c. Et ſic in doſi refracta & remiſſa, quarta nempe, tertia vel dimidia pars grani, miſcenda, prout in formulis Sylvianis videre eſt. Doſis *extraordinaria* varia, tum ex conſuetudine, tum ex morbi urgentia, tum ob temperamentorum diverſitatem; hinc ſi adſit urgens indicatio, nec doſis minor juvet, ad gr. viij. vel ſcr. ss. aſcendendum. Interim in omni doſi perpetuo obſervandum, tutius eſſe infra ſubſiſtere, vel repetita vice voti compotem fieri, quam peccare in exceſſu, & extrema tentando, opprobrium ſibi accerſere.

XII.

INſuper 3. Notabit, ubicumque materia peccans in majori quantitate reperitur, quam ut ſubigi & vinci poſſit, illud locum primum habere, premiſſis univerſalibus, vel ſaltem tutius ac felicius tunc operari, niſi dolorum, aliorumque ſymptomatum nimia adſit urgentia; quo in caſu etiam citra illa præmiſſa exhiberi valet, 4. Non exhibendum eſſe viribus valde imbecillibus exiſtentibus, ſed in tempore uſurpandum, ſi vires adhuc conſtent. In rebus enim deſperatis, & ubi æger vix non agonizat, & viribus penè ecclypſantibus, mortem accelerat. 5. Illud etiam contraindicat in Phthiſica ulceroſa diſpoſitione, aſthmate humoroſo, hydropicis &c. cum in talibus ſit viaticum ad vitam æternam, doſi primaria præſertim datum. 6. Quo ad tempus exhibendi, ſi detur primaria intentione, tempus nocturnum optimum eſſe 2. vel 3. horis a cæna, ſin ſecundaria, etiam manè & poſt meridiem. In doſi primaria una die bis non facilè dandum. 7. Poſt aſſumptum Narcoticum, purgationem altero deſuper die inſtitutam, debita operatione deſtitui. 8. Cavendum eſſe, ne exhibeatur in ipſis paroxyſmis, v. g. hemicraniæ, febrium & epilepſiæ, ne natura à pugna ſuſcepta revocetur. Interim tamen hoc ipſum limitari poteſt ab urgentibus circumſtantiis, illudque concedi in doſi ſucciſa. Idem dicendum de aliis motibus criticis, ut diarrhœa, variolis, morbillis &c. Item de partu inſtante, cum dolores neceſſarios inhibeat.

XIII.

PRæterea, 9. Obſervabit, illud minus convenire in affectibus frigidis quam calidis, item in humoribus craſſis, pituitoſis & viſcidis. In affectibus ventriculi, niſi urgente dolore inflammatorio, fugiendum eſſe Opium, monet *Septal.* prout etiam in iis, quibus debilis appetitus, qui facilem habent alvum, & infirmum ventriculum, in his enim appetitum proſternit, & alvum ſolvit; vel etiam prout ſubinde obſervatur, vomitum ciet, quod videtur contingere, vel a relicto ſulphure fœtido ventriculum relaxante, præſertim ſi rite non fuerit præparatum, vel a cacochymia humorum in ventriculo exiſtentium, 10. Damnari quoque ab aliquibus Opium in doloribus aurium, & oculorum lippitudinibus, cum ob amarorem mordeat, & dolores augeat. In odontalgia quoque, melius eſſe idem interius aſſumere, quam dolentibus partibus applicare. 11. Ratione ætatis infantibus & pueris, rarius, & parcius, illud dandum eſſe, licet, dum indicatur, exhibitum doſi ipſis proportionata, non multum noceat, teſtante quotidiana experientia. Senibus quoque non adeò convenit, ac aliis ætatibus; interim ſi moderatè detur, uſus ejus tutiſſimus. 12. Cum Narcotica plerumque corpus exſiccent, nunquam offerenda eſſe ſine humectantibus, vel ante vel poſt ejus aſſumptionem exhibendis. Ultimò videndum, ut Opium rite ſit præparatum, neque ſtatim deſperandum eſſe, ſi legitima obſervata Methodo, datis opiatis æger per longum tempus dormiat, præſertim ſi vigiliæ continuatæ præceſſerint.

XIV.

EX dictis patet, quod *Laudanum opiatum* rite exhibitum ſit munus quaſi Divina, & ſacra vitæ anchora: cymba autem Charontis in manu imperiti, & gladius in manu furioſi. Nonnulli, præſertim milochymici illud damnat, quia 1. Odorem habet viroſum. 2. Quod ſit venenum. 3. Quod multi ex ejus uſu interempti fuerint. 4. Quod tutiora ſint hypnotica. 5. Quod Opium ſæpius adulteretur. 6. Quod palliativam ſolum præbeat curam, nec tollat cauſam morbificam, hincque ad exiguum tantum tempus proſit. Verum Reſpond. ad 1. odorem viroſum corrigi & tolli, neque omnia fœtentia viroſa eſſe. Ad 2. non eſſe venenum propriè dictum, quod peculiari vi cordi infeſtum, & vitæ omnibus modis inſidiatur, ſed poſſe dici venenum impropriè dictum, quod nimia copia aſſumptum, enecare poſſit. Ad 3. abuſum non tollere uſum. Ad 4. hypnotica ſæpius nihil proficere. Ad 5. obſervandas eſſe notas bonæ electionis Opii. Ad 6. ſubinde etiam ipſam cauſam tollere; ſæpius verò urgenti occurrere ſymptomati; ſatius enim eſt, cum *Galen.* ſymptomatibus occurrendo, ad cauſæ continentis ablationem roborare naturam, quam cum morbo ægrum de medio tollere. Non igitur ſolis utendum opiatis; ſed cauſæ ſimul invigilandum, ſtultum tamen eſt, ſemper cauſæ ablationi intentum eſſe, neglecto urgentiori ſymptomate. Redit quidem ſæpè dolor, redit excretio, ſimulac evanuit vis medicamenti, ſed interim natura per has inducias confortatur, ut promptius dein contra cauſam morbificam inſurgat.

ARTICULUS VI.

De Officio Medici, in præſcribendis formulis Remediorum Opiatorum.

I.

SYrupus Narcoticus. ℞. *Syr. fl. papav. errat. unc. ſs. confect. alk. dr. ſs. laud. Opiat. Helm. gr. ij. aq. cinam. bulg. dr. iii.* vel *violar. dr. vi. M. S.* Syrupus narcoticus pro una vice duabus vel tribus horis poſt cænam ſumendus.

Emulſio Opiata. ℞. *Sem. mel. excort. dr. ii. ſem. papar. alb. dr. ii. aq. nymph. viol. ſolan. an. unc. i.* ss. *M. F. Emulſ. add. magiſt. perlar. cum gr. ii. laud. op. in mortar. ſubact. ſcr. i. ſpirit. roſ. gut. vii. man. chriſt. perl. dr. i. M. S.* Emulſio opiata ante cubitum ſumenda.

Bolus Narcoticus in nimio Vomitu, Hypercatharſi & Singultu. ℞. *Teriac. dr. ſs. confect. alk. ſcr. i. laud. op. gr. i.* vel *ii. M. S.* Electuarium vel ſaccharum narcoticum. Vel ℞. *Teriac. Androm. ſcr. ii. lig. aloes ver. ſcr. ſs. ol. deſtill. mac. gut. ii. laud. op. gr. i. m. F. Bol.*

Alius. ℞. *Conſ. roſ. vitriol. dr. i. confect. alk.* vel *de hyac. dr. ſs. terr. ſig. ſcr. j. laud. op. gr. i. vel ij. ol. deſtill. cinam. gut. j. cum ſ. q. miv. cyd. M. F. Bol.*

Alius in Diarrhœa. ℞. *Conſ. roſ. rub. dr. j. ther. And. ſcr. j. laud. op. gr. ij. magiſt. coral. perlar. an. gr. v. m. F. Bol.*

Bolus Narcoticus. ℞. *Laud. op. Helm. gr. iij. mithrid. opt. confect. alk. an. ſc. j. M.*

Bolus Stegnotico anodynus. ℞. *Conſ. ſymphyt. dr. i.*

dr. j. pulv. ſtipt. Croll. vel ſtegnot. Guttman. ſcr. j. laud. op. gr. j. ss. M.

Electuar. Opiatum anti Dyſentericum, uſu & praxi P. P. probatiſſimum. ℞. *Conſ. roſ. vet. unc. j. theriac. vet. diaſcord. an. dr. j. terr. ſigill. corall. rub. præp. ſem. plantag. an. ſcr. j. ss. C. C. philoſ. prep. ſcr. j. lap. bez. occiden. gr. v. laud. op. Helm. gr. iv. cum ſ. q. ſyr. de roſ. ſicc. M. F. Elect. S.* Electuarium Dyſentericum, de quo cunctis quatuor horis magnitudo caſtaneæ ſumenda.

Pilul. Opiat. in Tuſſi & Catarrho tenui. ℞. *Maſſ. pilul. de cynogloſſ. gr. vii. ol. ſem. coriand. gut. ii. M. F. Pilul. N. iv. vel* ℞. *Maſſ. pilul. de cynogloſs. dr i. ss. ſucc. glyc. inſpiſs. ſcr. i. ss. ſuccin. alb. præp. ſcr. ss. M.* F. *Pilul. N. xxiv. aſperg. pulv. roſ. rub. S.* Pillulæ in Tuſſi & catarrho, de quibus octo ſumendæ duabus, vel tribus horis poſt cænam.

Aliæ in Phthiſi incipienti utiles. ℞. *Antihect. Poter. ſcr. i. ſacch. ſat. ſcr. ss. extr. croc. gr. iv. laud. op. Helm. gr. ii.* vel *iii. cum ſ. q. Balſ. peruv. M. F. Pilul. N. xx. pro* 2. *doſibus*.

Pilulæ opiatæ in Colica. ℞. *Extr. caſtor. gr. iv. laud. op. gr. iii. M. F. Pilul. N. v.* ℞. *Extr. lig. aloë caſtor. zedoar. laud. op. an. gr. iii. cum ſyr. de papav. M. F. Pilul. N. vi.* vel *ix.*

Aliæ anodynæ, in doloribus Podagricis. ℞. *Extract. papav. errat. dr. i. caſtor. gr. vi ſal. vol. C. C.* vel *ſuccin. gr. iv. cinnab. nativ. ſcr. ss. laud. op. gr. ii. M. F. Pilul. N. xl.* doſ. *a gr. vi. ad ſcr. ss.*

Pilulæ opiat. anti Dyſentericæ & contra Hypercatharſin. ℞. *Extr. theriac. gr. vi. torment. ſcr. ss. laud. op. gr. ii. M. F. Pilul. N. ix.*

Pulvis abſorbens opiatus *Wedel.* videatur de præparantibus.

Alius. ℞. *Cinnab. nat. ſcr. i. corall. rub. præp. C. C. phil. præp. an. gr. xv. marg. præp. gr. x. laud. op. Helm. gr. ii. ol. caryoph. gut. iii. N. F. pulv. cuius* doſ. *ſcr. i.*

Pul-

Pulvis Diaphoretico anodynus in Arthritide. ℞. *Ocul. canc. præp. conch. præp. an. gr. xv. cinnab. nat. ſcr. ss. laud. op. gr. ii. vel iii. M. F. Pulv. pro* 2. doſ.

Alius Nephritico anodynus. ℞. *Ocul. canc. præp. ſcr. i. cinnab. nat.* vel *antim. ſcr. ss. laud. op. gr. i.* vel *ij. M. F. Pulvis.*

Mixturis quoque quibuſqunque, unum vel alterum gr. *Laud. opiat.* pro indicatione miſceri poteſt, ut neceſſe non ſit, plures hic ſubnectere formulas.

CAPUT VIII.

De Officio Medici, in Affectibus exigentibus Alexipharmaca, Antifebrifuga, Anthelmintica, Carminativa & Lithontriptica.

ARTICULUS I.

De Officio Medici, in ordinandis Remediis Alexipharmacis.

I.

MEdicamenta *Alexipharmaca* ſunt, quæ venenis & malignitati humorum reſiſtunt, dicta etiam *Alexiteria* & *bezoartica*. Eſt autem *venenum* illud, quod particulis machinæ humanæ peregrinis & deſtructoriis, citra aliam cauſam manifeſtam corpus humanum, ejuſque principia vitalia violenter deſtruere, ac in vitæ periculum vel mortem conjicere valet. 1. Venenum hoc vel corpori infertur, & propriè dicitur *venenum*, vel in eodem producitur, & dicitur *malignum*, ſeu veneno analogum. 2. Aliud venenum lædit *inſpiratu*, ut ſeminaria peſtis & febrium malignarum. Aliud *hauſtu*, quod ore ſumitur, aliud ſolo *contactu*, *ictu* vel *morſu*. 3. Aliud ex *externum*, aliud *internum*. 4. Aliud magis *citum* & *activum*, quod exiguo temporis ſpatio interimit, aliud *tentum* & *temporarium* quod efficaciæ remiſſioris, poſt multos demum dies necat. 5. Aliud eſt *ſoli homini* tale, aliud *brutis*, multa

multa enim homini ſunt venena, quæ aliis animantibus, in alimoniam cedunt, & viciſſim, ob diverſum nexum principiorum vitalium. 6. Aliud eſt *univerſale*, quod omnibus ac ſingulis animalibus ad verſum, ut v. g. arſenic. mercur. ſublim. aliud *particulare*, cujus in homine aliud nervis & ſpiritibus animalibus inimicum, ut ſolanum furioſum, aliud pulmoni, ut lepus marinus, aliud ventriculo, ut omne corroſivum, aliud veſicæ, ut cantharides. 7. Aliud magis officit partes *ſpirituoſas*, aliud *humidas*, aliud *ſolidas*. 8. Aliud eſt *vegetabile*, ut aconitum, cicuta, napellus; aliud *animale*, ut ſcorpius, vipera, canis rabidus; aliud *minerale*, ut arſenicum mercur. ſublim. cobaltum.

II.

VEnena non tam occultis, quam manifeſtis quoque agunt qualitatibus, adeò ut ſint vel *corroſiva*, vel *fermentativa*, vel *vaporoſa*, vel *mixta*. Corroſiva, ventriculo eſcharam, & necroſin inducunt, atque talia plerumque ſunt mineralia, hinc ſi ſtatim revomantur, delicatiori Archæi ſenſu & naturæ robore, non nocent, uti etiam ſi ingerantur in ventriculum plenum, vel pinguibus præſumptis repletum, acrimonia nempe obtuſa, & faciliori conſequente vomitu. Fermentativa, motum in M. S. præternaturalem, eumque vel abſolute lethalem, vel ſumme periculoſum inducunt, unde calor febrilis, æſtus, deliria &c. Atque tali vi fermentativa peregrina, agunt potiſſimum venena animalia, quatenus cum ſaliva ejuſmodi ſal peregrinum, irato præſertim animali, in vulneratam partem illatum, mox ſerum & ſanguinem immutat, ut corrumpantur, ac fermentationem præternaturalem & necroſin patiantur; hinc facta ſtatim exſuctione, vel deſtructione hujus fermenti peregrini, vel non nocent planè, vel citius

de-

debellari poſſunt. Vaporoſa, ſpiritus præſertim animales obnubilant, ſuffocant & deſtruunt, atque hujuſmodi vaporoſitate peregrina, agunt potiſſimum venena vegetabilia quatenus ſulphure, v. g. impuro, mucilaginoſo, ac nervis inimico pollent. Mixta, pluribus vel omnibus nunc recenſitis modis nocent. Sic v. g. venenum in corpore genitum, in febribus malignis, nunc fermentationis peregrinæ ſoboles, nunc ſimul etiam irritatione & vaporoſitate nocet; ſic peſtis venenum corroſivum, demonſtrant carbunculi, dyſenteriæ, cardialgiæ; fermentativum, febres, bubones, anxietates &c. Vaporoſum, deliria, ſopores, vertigines.

III.

SIcuti igitur diverſus agendi modus in *Venenis*, ita etiam *alexipharmacorum* diverſa eſt agendi ratio. Nam 1. præter occultam qualitatem, aliqua horum putredini reſiſtunt, ac balſamo nativo roborato, calore item exſuſcitato, circulatione ac motu ſanguinis & lymphæ reſtituto, fermentum peregrinum excludunt. 2. Alia Veneni particulas acutas & corroſivas involvunt, & obtundunt. 3. Alia in Veneno vaporoſo poros cerebri reſerant, illamque volatilem & figentem glutinoſitatem attenuant, & in halitus reſolvunt. 4. Alia fermentativum deſpumant, & orgaſmum maſſæ ſanguineæ invertunt. 5. Alia ichoreſcentiam, reſolutionem & rarefactionem ſanguinis nimiam impediunt. 6. Alia tandem ſanguinis ac ſeri motum promovent, ejus coagulationem reſolvunt, ac fermentum malignum per ſudores eliminant. Sicuti igitur diverſa ſunt Venena, ita etiam diverſa ſunt Bezoartica, cum nullum ſit alexipharmacum, quod omnibus æque venenis ex aſſe conveniat.

IV. Cir-

IV.

CIrca uſum & legitimam horum adminiſtrationem, Medicus notabit: 1. *Alexipharmaca* alia dici *univerſalia & communia*, quæ ubique exhibentur, ſi veneni natura ſpecialis haud ſit cognita, ut v. g. *Theriac. Orvietam. tinct. bezoart. &c.* Alia *particularia* ſeu *antidota*, quæ huic vel illi veneno ſpeciatim adverſantur. 2. Venenis mineralibus generalem præbere antidotum, quæcumque corroſivitati ſunt oppoſita, qualia ſunt, tum pinguia, quibus inviſcari & obtundi ſolent particulæ ſalinæ acres, ac oblinìri & defendi parietes ventriculi, ut v. g. amygd. d. buty. rec. &c. Tum præcipitantia, & acorem corroſivum infringentia, ut cryſtall. præpar. 3. Alexipharmaca in malignis præcipuè febribus uſurpanda, alia eſſe fixa, & quidem vel mineralia, ut v. g. *antim. diaph. unicorn. foſſ. &c.* Vel animalia, ut v. g. *lap. bez. unicorn. ver. &c.* Alia *volatilia*, & quidem vel *macra ſalina*, ut v. g. *ſal. vol. C. C. viper. ſucc. cit. &c.* Vel *aromatica* & *ſulphurea*, ut v. g. *theriacalia*. Item alia ſimul eſſe *opiata*, ut *Theriac. diacord. &c.* alia *Camphorata*.

V.

FIxiora locum magis habent in ſtatu, & declinatione, ubi alteratione & præcipitatione opus, conquieſcente jam tumultu, & devicta per præmiſſa potentiora malignitatis atroccia. In ſtatu enim violentiora exhibere, eſſet novas turbas ciere in maſſa ſanguinea, æſtum intendere, ac varia capiti pathemata inferre. Item proſunt, ubicunque volatilia contraindicantur: ut in infanctibus, quorum ſanguis eſt texturæ tenuioris, ut facile nimis efferari poſſit, vel in gravidis, ne in orgaſmum ruat ſanguis, & menſes

cum

cum abortus & vitæ periculo ſuperveniant; vel in fluoribus ſanguinis, ob nimiam ejus rarefactionem, vel in debilibus cum pulſu frequenti, qui alias in malignis, ſi a principio talis ſit, plerumque funeſtus.

VI.

VOlatilia ſalina macra, locum habent, ubi calor febrilis paulò eſt intenſior. *Aromatica* verò & *ſulphurea*, in principio & incremento morbi, dum adhuc ſudare poſſunt ac ſolent ægri. Activiora enim & manis Heroica primò hoſti ſunt opponenda, ad majorem penetrationem & ciciore diſcuſſionem, præſertim ubi mitior urget æſtus, intimior eſt malignitas, ec febris mitis vel nulla adeſt; hinc principiis, ſi ullibi, ſane in Peſte & ſimilibus febribus, obſtandum, mature ſumendo antidotos, antequam cibus capiatur, vel ſomnus ineatur. Sic enim ſæpius in ipſa radice morbus jugulatur, cum alias prompte vitalia ſubeat malum, radiceſque figat, vix niſi cum morte finiendas. Præterea conveniunt, ubi natura ab expulſione v. g. petechiarum, variolarum vel morbillorum ceſſat, vel hæc exanthemata retrocedere videntur; neque hoc in paſſu timendus calor, utpote productum ſeminii morboſi, brevi compeſcendus, modo excluſum ſit peregrinum hunc motum excitans.

VII.

REmedia *Camphorata* tum maxime conveniunt, cum adſunt inquietudines, deliria; vigiliæ &c. Cum præter vin veneni correctivam, ſimul aliqualem vin ſpirituum quaſi fixativam obtineat, hinc *Ettmullero* teſte, Medicus in Peſte abſque camphora, eſt miles in prælio ſine gladio; unde cautius iis utendum in illi ægrotis, quibus caput, vel alias cam-
phe-

phora inimica exiſtit. Alexipharmaca, quæ ſimul *opiata* ſunt, locum præcipue habent in augmento morbi, tum quia ſudorem magis promovent, tum quia ſpiritus, ne tam cito reſolvantur, quaſi coercent, tum quia potiſſimum graviora mitigant ſymptomata, ut vigilias, inquietudines, imminentia deliria &c. Interim ſciendum, Medicamenta hæc Alexipharmaca varianda, & ſubinde fixiora volatilibus interpolanda, ac variè invicem miſcenda eſſe, pro vario malignitatis aut putredinis gradu; pro varia febris intenſione vel remiſſione, pro vario ægrorum temperamento, aliiſque circumſtantiis.

VII.

PRæterea, 4. obſervavit Medicus potentiora *ſudorifera* tutius uſurpari poſſe, ſi corpus perſpirabile ſit, & ad ſudorem inclinet, ſecus mitioribus utendum eſſe, ne turbetur & magis exagitetur maſſa ſanguinea. 5. Corpora impura volatilibus magis agitari & lædi, unde hoc in caſu præmittenda vomitoria. 6. Aleximarcis aromaticis & ſulphureis, interponenda eſſe ſubinde acida, ac in ſpecie compoſitiones theriacales, in vehiculo acido propinatas, melius & citius operari. 7. Quo major eſt malignitas, eo frequentius & copioſius provocandum eſſe ſudorem, adeo, ut in malignioribus ter ſint propinanda intra 24. horas. Interim cavendum, ne nimius excitetur ſudor, cum ex hoc ultra ephoriam imperato, ſæpè pejus habeant ægri; hinc prudenter agunt, qui virium habita ratione, ægrum linteis aut ſtragulis non opprimunt, ſed tolerabiliter ſaltem tegunt, vel prima tantum vice ſudorem imperant: non vero amplius ſequentibus præbiis, cum plus ſæpe præſtet udor. 8. Ne ſerum nimium exhauriatur, illud potu largiori reſarciendum eſſe, & pro viribus conſervandis, poſt ſudorem, vel etiam eodem actu fluente, blandis aci-

dulis utendum: hinc male agunt, qui continuo ſudore cruciatis, etiam potum denegant, cum potu & levetur ſitis, ac ſimul etiam magis promoveatur ſudor.

IX.

ITem, 9. Notabit; ſudorem continuandum eſſe per horam dimidiam, integram, vel etiam ultra, habita tamen ratione ſedula naturæ ægri, raræ vel denſæ, virum infirmarum vel validarum, malignitatis majoris vel minoris 10. Sudorifera etiam continuanda eſſe, licet maculæ, bubones vel anthraces cum levamine appareant, ut ſaltem impediatur recidiva. 11. Ægrum ſudantem a ſomno arcendum eſſe, utpote impediente, convenientem veneni per ſudorem expulſionem, hinc eodem infeſtante, ſpongia aceto camphorato imbuta, naribus applicanda. 12. Poſt ſudorem, ægrum nonnihil leviter abſtergendum eſſe, linteis probe calefactis & fumigatis, maxime cavendo, ne frigidior aer eum offendat. 13. In Peſte, conjuncta cum febre ardente, uti jam ſupra inſinuatum, theriacalia, excepto diaſcord. *Fracaſt.* minus tuta eſſe, vel ſaltem non niſi acidis temperata; ſicuti econtra ſi febris nulla vel mitis adſit, illico naturæ ſuppetiæ ferendæ, eaque ſpirituoſis volatilibus, multum ignem vitalem foventibus adjuvanda, quæ fermentum ſtomachicum reſuſcitant, ſanguinem vigorant, ejus coagulationem impediunt, ſpirituaſcentiam promovent, ac vacillantem vitæ flammam multiplicant. 14. Acida in his febribus nunquam omittenda; atque nunc ſudoriferis addenda, nunc ſudoris declinatione vel poſt eum uſurpanda, cum ægrum reficiant & ſimul malignitati reſiſtant: Ipſis tamen etiam ſemper aliquid ſudoriferi addendum, ut corpus ſi non in perpetuo ſudore, ſaltem in perpetua diaphoreſi, plus minus aucta contineatur.

AR-

ARTICULUS II.

De Officio Medici, in præſcribendis Remediis Alexipharmacis.

Potio Alexipharmaca. ℞. *Elect. diaſcord. Fracaſt. ſcr. iv. pulv. rub. pannon.* aut *ſpec. de hyac.* vel *ſpec. liberant. ſcr. i. ſal. vol. C. C.* vel *lap. bez. an. gr. vi. aq. card. b. ſcabioſ. an. unc. i. ss. ſyr. acetoſ cit. unc. ss. M. S.* Potio Alexifarmaca pro una vice ſumenda.

Alius. ℞. *Aquæ ſcabioſ. unc. ii. ss. ſcord. unc. ss. ſucc. cit. rec. expr. dr. vi. theriac. vel diaſcor. Fracaſt. ſcr. iv. vel dr. ii. antim. diaph. vel ſpec. liberant. dr. ss. camph. gr. v. ſyr. card. b. unc. ss. M. S.* ut ſupra.

Alia fortior. ℞. *Aq. card. b. è typh. cervor. an. unc. i. ss. ſal. vol. C. C. gr. xv. vel. ſpir. C. C. dr. ss. Elect. diaſcord. theriac. opt. vel. elect. de ov. an. dr. i. acet. theriac. camph. dr. ii. M.*

Emulſio Alexipharmaca Craton. ℞. *ſem. card. b, dr. i. ss. cit. dr. ss. nap. dr. i. aq. card. b. q. ſ. M. F. Emulſ. add. ſyr. acetoſ. cit. unc. ss.* poſſunt quoque addi, *C. C. phil. præp. ocul. canc. terr. ſigil. lap. bez. S.*

Bolus Alexipharmacus. ℞. *Diaſcord. Fracaſt. ſcr. ii. confect. de hiac. ſcr. i. C C. phil. præp. ſcr. ss. lap. bez. orient. gr. vi. M.*

Alius. ℞. *Theriac. confect. hyac. an. ſcr. i. ss. lap. bez. or. gr. xii.* vel hujus loco *ſpec. liberant.* aut *antim. diaph. ſcr. i. vel fl. ſulph. dr. ss. camph. gr. iv. M.*

Electuar. Bezoardicum. ℞. *Spec. liberant. dr. i. theriac. diaſcord. an. dr. i. ss. confect. de hyac. ſcr. ij.*

condit. cort. cit. arant. rob. rib. an. dr. iij. ſyr. acetoſ. cit. q. ſ. M. f. Elect. S. Electuarium expulſivum ſudoriferum; de quo, mane, veſperi & nocte, magnitudo caſtaneæ vel nucis ſumenda, & poſtea ſudandum.

Electuar. præſervativum a Peſte & Febribus malignis. ℞. *Pom. cit. rec. N. iv. incid. una cum cort. & ſemin. coq. ex ſ. q. aq. roſ. ad conſiſt. pult. & trajic. per cribr. add. ſpec. liberant. ſ. aloe, de hyac. de gemm. fr. cordial. temperat. an. dr. i. confect. alk. dr. ii. ss. ſpirit. rub. id. dr. i. ſyr. acetoſ. cit. q. ſ. M. f. Elect.* S. Præſervativ. Electuarium, de quo mane magnitudo nucis jejune ſumatur.

Morſelli præſervativi in Malignis. ℞. *Spec. liberant. dr. ii. de hyac. d. i. Bol. armen. terr. ſig. lign. aloe an. dr. ss. rad. zedoar. contrayerv. an. dr. i. ss. condit. rad. ſcorz. enul. angel. an. dr. iii. cort. cit. dr. vi. confect. alk. dr. ii. ſacch. in aq. bezoard. ſol. lib. i. M. f. Morſell.* S. Præſervativ. Morſelli, de quibus mane unus ſumendus.

Alii. ℞. *Condit. nuc. Jugl. unc. j. cort. cit. rad. ſcorz. an. dr. iii. confect. alk. dr. ii. ſpec. de hyac. dr. i. liberant, dr. i. ss. diatrion. ſant. dr. ss. extr. angel. zedoar. an. ſcr. i. ſacch. albiſſ. in aq. cort. cit. ſol. unc. x. M. f. Morſul.* S. ut ſupra.

Trochiſci Alexipharmaci præſervativi. ℞. *Cort. cit. ſicc. dr. i. ss. cubeb. dr. i. cardam. dr. ss. zedoar. ſcr. iv. caſſ. lign. acutiſs. dr. i. ol. deſt. angel. cit. an. gut. vi. ſacch. albiſſ. lib. ss. mucilag. tragac. cum aq. bezoard. extract. q. ſ. M. F. Troch. S. Præſervativ.* Trochiſci præſervativi, de quibus in exeundo e domo, vel in viſitandis ægrotis unus ſub lingua detineatur & liquefiat.

Pulvis Alexipharmacus. ℞. *Spec. de hyac. vel pulv. rub. Pannon. C. C. phil. præp. an. ſcr. i. lap. bez. orient. vel ſal. vol. C. C. gr. vii. M. F. Pulv.* S. Pulvis Alexipharmacus calorem expellens pro una vice ſumendus.

Alius.

Alius. ℞. *Spec. liberant. dr. ss. camph. gr. v. fl. ſulph. ſcr. ss. M. f. Pulv. S.* ut ſupra.

Alius. ℞. *Flor. ſulph. ter. ſublim. ſpec. liberant. corall. rub. præp. bez. orient. an. ſcr. ss. croc. vel camph. gr. iii. M. f.* Pulv.

Alius pretioſus. ℞. *Spec. de hyac. dr. ii. C. C. phil. præp. ſcr. iv. unicorn. ver. oſſ. de cord. cerv. lap. bez. marg. præp. an. ſcr. i. M. f. Pulv.* doſ. *ſcr. ii.*

Acetum Alexipharmacum præſervativum Timæi. ℞ *Orvietam. unc. i. diaſcord. Fracaſt. dr. iii. ther. Androm. unc. ss. rad. angel. contrayerv. enul. torment. pimpinell ſcorz. dictamn. alb. betaſit. an. dr. iii. fol. ſcord. rut. millefol. an. p. ii. fl. calend. tun. an. p. i. cort. cit. frax. an. dr. ij. bacc. iuniper. unc. i. mac. zedoar. an. dr. i. ss. camph. ſcr. i. croc. dr. ss. myrrh. dr. ii. acet. opt. vel rub. idæſt q. ſ. mixta ſtent infuſa in loco calido, bene tecta, donec extrahatur Tinctura Col. S. Præſerv.* Acetum Alexipharmacum præſervativum, de quo cochlear plenum mane jejunè ſumendum, aut poſt ſumpta offa, cui buccula panis immergatur.

Vinum præſervativum. ℞. *Rad. enul. pimpinell. ſcorz. an. unc. j. cort. cit. frax. an. dr. vj. fol. card. b. ſcord. dictamn. Cret. an. m. j. comar. abſinth. m. ij. groſſo modo inciſa indantur ſaccul. ex ſind. alb. ſuſpendendo in vin. alb. lib. xxxviii. optimè clauſo doliolo. De hoc aliquid manè in jentaculo vel prandio bibendum.*

Balſamus anti Peſtilentialis. ℞. *Ol. deſtill. angel. cit. an. ſcr. ss. rut. ſcr. j. lavend. caryoph. an. gut. vij. cinam. gut. iv. lig. Rhod. gut. xv. theriac. Androm. ſcr. iv. confect. alk. ſcr. ss. moſch. & amb. in ſp. roſ. ſol. an. gr. iij. M. f. Balſam. S. Præſerv.* Balſamus antipeſtilentialis, in morbis acutis, de quibus nares & arteriæ illinendæ.

ARTICULUS III.

De Officio Medici, in uſurpandis Febrifugis, & præcipuè, cortice China Chinæ.

I.

REmedia *febrifuga* ſeu *antipyretica* dicuntur, quæ febriles paroxyſmos ſiſtunt, ſicque Febres intermittentes, quæ raro ſolis evacuantibus cedunt, ex integro tollunt. Exercent autem ſuam vim, vel cruditates comminuendo, ac aciditatem infringendo & abſorbendo, ſicque fermentum febrile corrigendo, vel efferveſcentiam ejus præcipitando, aut vi ſtiptica humores denſando & figendo, vel fomitem febrilem alterando, per diaphoreſin diſcutiendo, ac vitiatam craſin maſſæ ſanguineæ emendando, vel ſanguini compagem firmiorem reddendo, ut minus in febriles efferveſcentias ſit concitabilis.

II.

PRo debita horum adminiſtratione & uſu Not. 1. Ea non exhibenda eſſe, niſi corpore prius ſufficienter expurgato, ac univerſalibus præmiſſis, cum ſecus vel recidiva, vel multiplicatio febris, vel colicæ, hydropes, cachexiæ vel pedum ſaltem tumores ſuperveniant. 2. Eadem exhibenda eſſe, una, duabus, vel tribus horis ante paroxyſmi invaſionem, ita ut junctis viribus cum natura operentur. 3. Deſuper ſudorem imperandum eſſe, cum teſte experientia, fe-

febres, quarum paroxyſmi ſinguli cum ſudore fiunt, longe breviores, & facilioris curationis ſint, quam illæ, quæ abſque eo deſinunt; unde multis Febris intermittens nulla tuto curata eſſe dicitur, niſi per ſudorem ſucceſſivè finita fuerit. 4. Si æſtus multum urgeat, abſtinendum eſſe a nimis calidis, volatilibus, aromaticis & theriacalibus. 5. Ubi frigus magis urget, ſalia fixa convenientiora eſſe. 6. Fixis calcinatis & aluminoſis, minus fidendum eſſe, cum facilius recidiva ſuperveniat. 7. Opiata febrifugis uſitatis mixta, locum habere, vel quando paroxyſmi potius ex conſuetudine naturæ febrienti ſæpius recurrunt, quam ex fomite morboſo, vel quando durante paroxyſmo, graviora quædam vel etiam moleſtiora contingunt ſymptomata, uſu laud. opiat. corrigenda. 8. Etiam exterius Carpis quædam applicari antifebrifuga, quæ vel febrilem fermentationis motum ſedando, vel particulas in maſſam ſanguineam evibrando, cruditatem ejus imminuunt, vel ipſa ligatura, aut dolore aliquo excitato, effectum hunc producunt. 9. Inter *febrifuga*, maxime ſpecificum ac decantatum eſſe, *cort. chin. chin.* de quo in ſequentibus.

III.

Cortex china chinæ, eſt cortex arboris cujuſdam, quam aliqui *gentianam Indicam* vocant, in America peruviana creſcens, dictus etiam ideò *Peruvianus*, & a virtute, *febrifugus*. Olim etiam Pulvis adm. R. R. P. P. Soc. Jeſ. appellabatur, cum hi ex Peru redeuntes, eum ſecum attulerint, ac Anno ſalutis 1649. non tantum per Hiſpaniam, verum etiam Italiam, Romam uſque, eorum ope, ac conatibus imprimis Reverendiſſimi *Joan. Cardinal. de Lugo Soc. Jeſ.* uſus ejus pervenerit. Uſitatus quam maxime in Febribus intermittentibus tollendis, ac imprimis tertiana & quartana, tam ſimplici quam duplici. Vim

ſuam exercet, juxta nonnullos, facultate ſtiptico amara cruditates minuendo, aciditatem infringendo, fermentationes & effervescentias ſiſtendo, ac ſanguini compagem firmiorem, roburque conciliando: juxta alios fermentum febrile deleterium, in ſpiritibus exiſtens, qui dein M. S. agitant & fermentant, vi quaſi Alexipharmaca, antidotorum more infringendo ac figendo. Ut autem hoc præſtet, oportet eum eſſe genuinum & ſincerum, non fucatum, ſuppoſititium, ſpurium, effœtum & putidum. Ille, colore cinamomi, ſapore aromatice amaro, odore mucidum quid, licet ſuave & aromaticum ſpirante, qui etiam dentibus attritus, vel alio modo fractus, friabilis exiſtit: hic, colore nigricans, injucunde amarus, vel intenſe acerbus, nihil mucidum ſpirans, viſcidus etiam, glutinoſus, craſſus, ligneus, & putidus.

IV.

Circa illius uſum & exhibitionem Nota: 1. Eum efficacius operari, exhibitum in ſubſtantia, modo in pollinem ſeu alcohol arte prius redactus fuerit, ut melius deglutiri ac per habitum corporis trajici valeat. 2. Eum prima vice in majori doſi exhibendum, ac ordinarie ad dr. ij. infuſ. in vin. malvat. abſque colatura duobus circiter horis ante paroxyſmum, cum ſic plus operetur talis doſis, quam decem aliæ. 3. Eum non facile exhibendum, ubi magna adhuc cruditatum congeries, & corpus debite haud evacuatum, niſi ob labaſcentes, fractaſque vires, & febris acerbitatem, ægri in ſummum vitæ diſcrimen conjiciantur, ut ad Corticem hunc, ſeu ſacram anchoram, per curam ſaltem palliativam confugiendum ſit; præmittenda igitur univerſalia & præcipue vomitoria. 4. Fugatis a Cortice paroxyſmis, febrem poſt dies 8. 14. vel aliquot ſeptimanas recrudeſcere ut plurimum,

mum, niſi ejus uſus continuetur; hinc ſuadendum adultis in uſu & praxi, ut Corticem adhuc, ablata jam febre, per dies 8. vel 14. ad unc. unam vel alteram continuent, exhibendo tertia vel quarta aut Sexta, hora, dr. i. prædicti Corticis, jubendo etiam, ut æger ab injuriis aeris & diætæ erroribus abſtineat. 5. Cum pharmacum hoc natura ſua non admodum gratum ſit, & ſæpius exhibendum, Medicum inſtructum eſſe debere, variis formulis hujus febrifugi, hauſtus nempe, boli, electuarii, pilul. tinct. &c. ut æger nauſeabundus, vel præjudiciis in Corticem præoccupatus, honeſte decipi poſſit. 6. Operari hoc Medicamentum ſæpius per ſudorem, interdum per vomitum, rarò per ſedem, ſubinde etiam ſine omnibus hiſce febrem profligare.

V.

PRæterea obſervandum, 7. In Febribus diutius & perſpicue intermittentibus, ejus uſum eſſe tutiſſimum, ac præcipue in tertianis & quartanis autumnalibus, nec non vernalibus minus exquiſitis: econtra tutum in Febribus magis æſtuoſis, & calidioribus obſcurius intermittentibus, præſertim ſi temperies & anni tempeſtas calidior; hinc etiam, ſi nullum exinde ſentiatur levamen, ſed febris potius incandeſcat, ab ejus uſu deſiſtendum. 8. Poſt ejus exhibitionem, propinata vel vomitoria, paroxyſmos prius abactos revocare, unde ſi catharſis a Corticis uſu exigatur, nonnulli eam inſtituunt lenioribus catarcticis, cum laudano & Cortice mixtis. 9. Si præſertim ab appetitu minus vigente, recidivam mox futuram præſagire liceat, ſaltem ad ſpatium unius lunæ intervallo, nempe 8. vel 10. dierum, unciam unam Corticis repetendam eſſe, ita ut dr. i. in forma quavis gratiſſima, ter in die aſſumat æger, ſuperhibendo vinum Malvaticum, vel aliud album genero-

neroſum. 10. Cortici china chinæ ab aliis admixtis medicamentis febrifugis vix ullam accedere virtutem; multam econtra ſæpe detrahi. Interim ſi ſimul Febri jungatur cholera, vomitus, vel diarrhœa præſertim torminoſa, colica &c. aliquid laudani opiati eidem admiſceri poteſt. 11. Regimen calidum, decubitum in lectulo, vinorum & cardiacorum generoſiorum uſum, Corticis operationem eludere aut remorari; ſic ulcus quoque internum, pulmonum nempe, renum &c. non ſolum ejus affectum protelare, ſed nonnunquam exacerbare, & paroxyſmos prius abactos, paucis diebus revocare. 12. Paroxyſmum ab ejus uſu vehementiorem obſervari, qui tamen febris diſceſſum plerumque præſagit, quod etiam ſignificant paroxyſmus ab ejus uſu diminutus, aut in melius converſus; item ſudores liberiores, aut urina copioſa & limpida, quæ plerumque, teſte *Sydenham*, ejus uſum ſequitur. 13. Corticem hunc non tantum febrem, ſed nonnunquam etiam hydropem inde exortum depellere, ac hecticis puerorum febribus occurrere, cruditates abſumendo, & efferveſcentias reprimendo.

VI.

ULterius 14. Obſervandum, Febres intermittente ſubinde obſcuras ac protheiformes eſſe, alios quandoque ſimulantes morbos, quæ tamen etiam Corticis uſui cedunt, præſertim ſi urina intenſe rubra, ſedimentum lateritium præcipitaverit, quæ febrilis fermenti deliteſcentis haud obſcurum indicium. 15. Si in Febribus calidioribus obſcure remittentibus, ac continuas redolentibus, urgenti aliqua de cauſa Corticem uſurpare viſum fuerit, eum exhibendum eſſe in vehiculo frigido & acidiuſculo, accedente potu ordinario frigido, præmiſſa V. S. & clyſt. aere quoque ad frigidum magis vergente, nec ægro nimiis integumentis onerato. 16. Corticem in liquore infu-

infuſum & decantatum, convenire magis ventriculo delicato & ſordeſcente: citius vero & certius operari, in ſubſtantia ſumptum, licet diutius moretur in ventriculo; interim tinctura ſaturata multoties repetita, ſubſtantiæ fere æquivalet, vel infuſio ſimplex loco Potus ordinarii. 17. Ex obſervatione *Adriani Helvet.* Chinam Chinæ a dr. ij. ad unc. j. aquæ ferventi benè mixtam, frequentius in enematibus adhibitam, eaſdem exercere vires, ac per os aſſumptam, quod pueris, aliiſque Corticem, & medicamenta nauſeantibus, commodum foret.

VII.

Licet Corticis hujus magna in febribus tollendis ſit efficacia, & modo vix non ab omnibus ejus uſus receptus; olim tamen plures, & modo pauciſſimi ex modernis ejus uſum improbant: quia, 1. Fæces deleterias & fermenta morboſa in corpore relinquit, unde novæ tragœdiæ & funeſta ſymptomata repullulant; hinc paucos ab ejus uſu per ſeptennium ſupervivere aſſerunt. 2. Febres tollit abſque ſenſibili evacuatione, ſicque non fidendum. 3. Cortex hic eſt nimis calidus, ſiccus, æſtuoſus, febrem augens, ac craſſa & terreſtri ſubſtantia humores magis coagulans ac incraſſans. 4. Quia ab ejus uſu febres plerumque recidivant, hinc Medicamentum infidum, & febrem potius ſuſpendens, quam tollens cenſendum. Sed hiſce Reſpondetur, ad 1. Nihil metuendum, ſi debitis cum cautelis exhibeatur, cum inſuper quoad omnia reclamet quotidiana experientia, Ad 2. Operari per ſudorem, interdum per vomitum: rarius per ſedem, neque ſemper ſenſibilem evacuationem requiri in tollendis morbis, qui ſæpiùs per ſpecifica & antidota expugnantur. Ad 3. Multa alia febrifuga eſſe calidiora, quam hunc Corticem terreo-ſalinum; immo febrem tollere, non augere, neque hu-

humores incraſſare, ſed acidum infringendo emendare potius humores viſcoſos, crudos, coagulatos. Ad 4. Febris recidivam (quæ ſæpius etiam fit, quod Cortex non ſit genuinus) impediri per continuatum ejus uſum; & licet etiam febris denuo redeat, tamen induciæ interim procurantur, ut natura aſſiduitate paroxyſmorum attrita, ſe recolligat, & robuſtior evadat.

ARTICULUS IV.

De Officio Medici, in præſcribendis Remediis Antifebrilibus.

I.

DEcoctum amarum febrifugum. ℞. *Fol. matric. card. b. com. abſinth. ſummit. cent. min. fl. chamom. an. m. j. ſem. card. b. cit. an. dr. ii. ſal. abſinth. dr. i. ss. coq. in ſ. q. aq. ad lib. j. ss. Col.* Doſ. *unc. iii. vel iv. S.* Decoctum febrifugum, de quo cunctis quatuor horis, extra paroxyſmum medium octavæ partis bibendum: ſi laxare ſimul animus, add. *fol. ſenn. a dr. i. ad iii.* in decocto calido infundenda.

Mixtura antifebrilis Crollii. ℞. *Sal. abſinth. dr. ss. ſpirit. ſulph. ſcr. i. aq. card. b. unc. iii. M. S.* Aqua antifebrilis ante paroxyſmum ſumenda, poſtea benè copertè ſudandum. Teſte *River.* raro ter ſine effectu repetitur.

Alia Potio antifebrilis. ℞. *Aq. card. b. unc. j. ss. ſpirit. ſal. armon. a dr. ss. ad dr. i. ocul. canc. præp. ſcr. i. ol. deſtill. caryoph. gut. ii. ſyr. card. b. dr. iii. M. S.* ut ſupra.

Infuſum ordinarium Cort. Chin. Chin. expertiſſimum. ℞. *Cort. Chin. Chin. ſubtiliſſ. pulv. dr. ii. infund.* (2. horis ante paroxyſmum) *in vin. malvat. ſ. q. per*

q. per 2. hor. detur abſque colat. S. Potio China Chinæ, duabus horis ante paroxyſmum ſumenda, & poſtea ſudandum. Rariſſimè fallit, præſertim ſi Cortex genuinus.

Vinum antifebrile. ℞. *Cort. Chin. Chin. ſubtiliſſ. pulv. unc. i. ſal. tart. ſcr. i. herb. abſinth. card. b. an. p. i. vin. Rhen. ſeu alterius albi opt. lib. i. ss. infund. per noct. in loco calido per hora ix. Col. per chart. S.* Vinum antifebrile, de quo, die libero mane, & ante cubitum quatuor unciæ ſumendæ, ſicuti etiam duabus horis ante paroxyſmum.

Aliud. ℞. *Cort. Peruv. ſubtiliſs. trit. unc. i. irror. ſpirit. vin. rectif. ſ. q. addito etiam ol. ſulph. campanat. digerantur in vaſe clauſo per horas aliquot, hinc add. vinc. matur. menſ. j. digeratur rurſus per dies aliquot, & Col.*

Aliud. ℞. *Cort. Chin. Chin. dr. vj. cort. guajac. dr. ij. ſummit. cent. min. m. j. cinam. dr. ii. caryoph. ſcr. ij. ocul. canc. præp. dr. i. ſal. tart. dr. iii. M.F. Pulv. infund. in vin. abſinth. vel Rhen. menſ. i. ss. ſubinde agitando.* Uſus tempore omnibus bene commixtis, capiatur bonus hauſtus in quartana, quarta quavis hora, in tertiana, tertia.

Tinctura antifebrilis. ℞. *Cort. Peruv. craſſe pulv. unc. iii. coq. leniter in aq. font. lib. i. ad dimid. Col. reliquiis decocti rurſus affund. eandem aquæ quantitatem, coq. & col. iterum ut ſupra, idque tertia vice repete, donec tota corticis vis extracta, hinc omnes colaturas miſce, adde ſi lubet. ſyr. fl. tunic. unc. iv.* De hac tinctura æger unc. iv. v. vel vi. quarta quoque hora extra paroxyſmum, vel ſæpius ad libitum aſſumat.

Bolus febrifugus. ℞. *Cort. Peruv. ſubtiliſs. trit. dr. i. ſyr. de rub. idæ. vel fl. tunc. q. ſ. M. f. Bol. mollis, repetendus quarta vel ſexta quaque hora ad 8. 10. vel 12. vices extra paroxyſmum, ſuper bibendo vin. alb. vel julep. cordial.*

Ele-

Electuar. Febrifugum. ℞. *Cort. Peruv. in ſubtiliſſ. pulv. redact. unc. i. vel i. ss. ſyr. derub. id. vel alterius gratioris q. ſ. Balſ. Peruv. ſcr. i. M. f. Elect. de quo ſumat. æger. quantitatem iuglandis vel nucis moſch. quarta vel ſeſta quaque hora.*

Aliud. ℞. *Cort. Peruv. ſubtiliſſ. trit. unc. i. ſal. tart. dr. ii. pulv. viperin. antim. diaph. an. ſcr. v. rob. iuniper. q. ſ. M. f. Elect. cuius uſus ut ſupra.*

Pilulæ febrifugæ. ℞. *Pulv. Cort. Chin. ſubtiliſſ. trit. unc. i. vel. i. ss. ſucc. abſinth.* vel *mucilag. gumm. tragac. in aq. plantag. extract. q. ſ. M. f. Pilul. mediocres deaurandæ, quarum viii. x. vel xii. quarta vel ſeſta quaque hora intermiſſionis deglutiat, ſuperbibendo vin alb.* vel *malvat parum.*

Pulvis antifebrilis ſpecificus. ℞. *Antim. diaph. C. C. phil. præp. ocul. canc. præp. corall. rub. præp. pulv. antifeb. Croll. pulv. ſtomach. Poter. an. ſcr. i. ſal. abſinth. cent. min. card. b. an. ſcr. ss. M. f. Pulv.* Detur ad ſcatul. S.

Alius. ℞. *C. C. phil. præp. corall. rub. præp. ocul. canc. præp ebor. ſ. igne præp. magiſt. ſacch. ſatur. an. dr. i. ss. M. F. Pulv. S.* ut ſupra.

Alius. ℞. *Fl. chamæm. ſubtiliſſ. pulv. ſcr. i. antim. diaph. ſal. abſinth. an ſcr. ss. M. f. Pulv.* ſumendus ex aq. deſtill. cent. min.

Alius Pulvis antipyreticus. ℞. *Cinnab. nat.* vel *antim. ſal. vol. C. C. an. dr. ii. Chin. Chin. unc. i. M. f. Pulv. in vaſe clauſo aſſervandus, cuius* doſ. *dr. i. ante paroxyſmum.*

Alius ex alumine. ℞. *Alum. crud. ſcr. i.* vel *dr. ss. nuc. moſch. ſcr. ss. M.* Vel ℞. *Alum. crud. nuc. moſch. an. dr. i. olibam. piper. an. gr. vi. ol. caryoph. gut. i. M. f. Pulv.* doſ. *dr. i.*

Pulvis antifebrilis, ubi æſtus prævalet. ℞. *Sal. armon. ſcr. i.* vel *dr. ss. antihect. Poter.* vel *arcan. duplic. Minſ. ſcr. ss. M. f. Pulv.*

Alius ſimul opiatus. ℞. *Corall. rub. præp. ſal. abſinth.*

ſinth. an. gr. xv. ol. deſt. caryoph. gut. ii. laud. op. gr. dimid. vel. i. M.

Unguentnm antifebrile. ℞. *Ung. popul. dr. vi. tel. aran. dr. i. ss. op. thebaic. cum acet. ſl. ſambuc. diſſol. gr. iv. ol. ranar. parum M.* Imponatur pulſibus ante paroxyſm.

Emplaſt. ſimile. ℞. *Fulig. ſum. ſplendid. unc. i. ss. tereb. dr. vi. tel. aran. unc. i. camph. ſcr. ii. ol. aran. q. ſ. M. f. Empl.* Carpis manuum applicandum.

Cataplaſma. ℞. *Ungul. allii N. iii. contund. piſtill. dein. add. ſal. commun. dr. ss. croc. pulv. ſcr. i. acet. parum M. f. Catapl.* alligandum parvo digito ſiniſtræ manus, ac per 9. dies ibidem relinquendum. Alii id parant ex *fulig. allio*, & *cepis* cum *album. ov.* & pauco *acet.* atque carpis applicant.

ARTICULUS V.

De Officio Medici, in præſcribendis Remediis Anthelminticis, eorumque formulis.

I.

MEdicamenta *anthelmintica* ſunt, quæ lumbricos enecant, quod præſtant vel focum & mineram vermium deſtruendo, ac putredini reſiſtendo, qualia ſunt, tum *amaricantia* & *Balſamica*, tum *acida*, tum *nitroſa*, partim ob amaritiem, partim ob acidum in iis emicans, partim quod putredini reſiſtant; tum *acria*, & ſale volatili, vel ſibi relicto vel oleoſo imprægnata, tum *terreo-alcalina* & *lixiva ſalina*, vel eos ſuffocando, & tranſpirationem, in qua vita vermium & inſectorum conſiſtit, impediendo, per *oleoſa* & pinguia omnia, poros obſtruentia, vel

vel eos ſpecifica virtute interimendo, aut ſi malis per manifeſtas qualitates explicare, ſubſtantiam eorum mucoſam & glutinoſam liquando, reſolvendo, annihilando, & corrumpendo; qualia inprimis ſunt *mercurialia*, vermibus & cuivis ſeminio animato ſummè inimica, vel tandem eos exturbando per purgantia, amara, acria & reſinoſa, qualia ſunt *aloes, colocynt. rhab. agar. ſpec. diaturb. cum rhab.*

II.

Circa horum exhibitiones & uſum, Not. 1. Anthelmintica præcipue propinanda eſſe luna decreſcente. 2. Eadem optima eſſe, quæcunque ſimul expellunt & necant vermes; nam & nidi, & inibi nitulantes vermes exturbandi ſunt. 3. Dulcia, ut ſaccharata & mellita per ſe vermes non generare, tum quia putredini reſiſtunt, aliaque a corruptione præſervant, tum quia facile bileſcunt, eos tamen agitare & commovere, cum vermium illecebræ exiſtant: maritanda igitur anthelminticis, ut his ipſis ineſcati, pro melle fel, ac pro lacte venenum hauriant; hinc optime exhiberi ſoleat cum lacte, vel mulſa, aut panatella ſaccharata, vel in forma rotul. 4. Eadem propinanda eſſe jejuno ventriculo, neque ſtatim deſuper aliud comedendum. 5. Eadem aliquando mutanda & varianda eſſe, ne vermes hiſce aſſueſcant. 6. Eadem quoque ad tempus continuanda, cum lumbrici ſæpius, præſertim lati contumaces ſint, & a mitioribus ſenſim ad fortiora progrediendum.

III.

PRæterea 7. Not. plures, præſertim agyrtas pro potentiſſimo remedio exhibere ipſos lumbricos, vel etiam terreſtres torrefactos & pulveriſatos, cum plures exinde lumbrici dejiciantur, cui tamen non fidendum, dum ſemina vermium hoc modo propagari, & lumbricus produci potius, quam enecari, experientia plurimorum Authorum certum ſit. 8. *Mercurium dulcem* maxime utilem eſſe, addito præſertim ſtimulo *ſcamm. ſulph.* vel *reſin. gial.* in infantibus autem minus tutum eſſe, niſi robuſtioribus, cum omnia in hac ætate fluxilia & laxa ſint, atque inprimis oſſa & nervi, quibus Mercurius inimicus. 9. Clyſteres ex anthelminticis paratos non convenire, cum lumbrici eos adverſantes ſuperiora petant, ac graviſſima excitent ſymptomata, niſi magna adſit præſumptio, eos morari in inteſtinis craſſis, cum ſic vix amplius in inteſtinia tenua aſcendere poſſint; hinc præferendi *clyſt.* ex *lacte*, *melle* & *ſacch.* parati, ut eos inferiora verſus alliciant. 10. Anthelmintica & purgantia etiam exterius umbilico applicari, quia eſt centrum abdominis, ac pars magis perſpirabilis, & quidem præcipuè in ſubſidium remediorum internorum, ac pro ſolamine ſymptomatum, ut v. g. ad dolores; tormina &c. 11. Vermes aſcarides magis curari Balneis, ſuppoſitoriis, clyſteribus & unguentis, 12. Anthelmintica etiam ſe extendere ad quævis animalia p. n. corpus affligentia, ut pediculos, lentes, hauſta bufonum vel ſerpentum ſemina, ulcera verminoſa &c.

Formulæ

Remediorum Anthelminticorum.

DEcoctum amarum Vermifugum. ℞. *Summit. cent. min. fl. chamom. agrim. an. m. ss. ſem. card. b. cit. an. dr. i. ss. fl. calend. p. ii. rad. gent. dr. ii. ſenn. dr. vi. Rhab. dr. i. aq. font. lib. i. coq. ad dimid. f. Col. pro 3. vel 4. doſ.*

Vinum Anthelminticum. ℞. *Rad. filic. dr. vi. dictamn. cret. unc. ss. angel. Zedoar. an. dr. ii. cort. cit. frax. an. dr. iii. ſem. ſanton. dr. v. citr. portul. an. dr. ii. inciſ. & conquaſs. affunde vin. abſinth. lib. ii. ſtent in infuſ. per hor. 24. Col. dentur m. & v. aliquot unciæ.*

Aqua Vermifuga Helmontiana. ℞. *Mercur. crud. ritè purgat. unc. i. aq. gram. portulac. an. unc. iv. maceretur per 2. horas, ſæpè ac fortiter agitando, hinc aquam decanta & cola, relicto in vaſe Mercurio. S.* Aqua vermifuga de qua in die ter tria cochlearia plena ſumenda.

Electuar. Vermifugum. ℞. *Fol. elleboraſt. pulv. unc. i. mell. deſpum. unc. iii. M. f. Elect. cuius* doſ. *à ſcr. iv. ad dr. ii.*

Rotulæ Anthelminticæ. ℞. *Sem. ſanton. dr. ii curb. el. dr. i. Rhab. opt. dr. i. ss. reſin. gial. ſ. a. ſol. ſcr. ss. corallin. dr. ss. ol. cit. gut. iii. ſacch. albiſs. in aq. fl. perſic. ſol. q. ſ. M. f. Rotul. S.* Rotulæ vermifugæ.

Aliæ. ℞. *Corallin. ſem. ſanton. plantag. C. C. phil. præp. an. ſcr. i. rhab. agar. troch. an. ſcr. ii. rad. dictamn. ſcr. i. ſacch. in aq. gram. diſſol. unc. iii. M.*

Aliæ non purgantes. ℞. *Pulv. C. C. crud. ebor. an. dr. vi. corallin. dr. ii. ſacch. alb. unc. iv. mucilag. tragac. q. ſ. F. Rot. pond. dr. ss. dentur N. iii. bis in die.*

Aliæ. ℞. *rad. gent. dr. ss. agar. albiſs. zedoar. tanacet. an. ſcr. i. C. C. uſt. mercur. dulc. an. dr. ss. ſacch.*

in aq. gram. diſſol. q. ſ. M. f. Rotul. quæ ab infantibus & pueris facilè aſſumuntur.

Pulvis Anthelminticus. ℞. *Sem. ſanton. unc. ss. fol. card. b. fl. tanacet. rad. filic. an. dr. i. vitriol. calcin. ſcr. ii. M. in mortar. marmor. f. Pulv. Dentur ſcr. ii. decreſcente luna ex hydromelite.*

Alius. ℞. *C. C. uſt. rhabarb. corallin. ſem. ſanton. an. p. æq. M. f. Pulv. S.* Pulvis Antelminticus, de qua 20. grani, aut dimidium drachemæ, ſumendi.

Alius. ℞. *Myrrh. zedoar. cort. cit. an. dr. ss. cinnab. antim. ſcr. i. camph. ſcr. ss. ol. deſtill. ſuccin. rut. an. gr. ss. M. f. Pulv.* doſ. *ſcr. i. ex aq. zedoar.*

Alius. ℞. *C. C. uſt. corallin. an. dr. i. rad. gent. ſcr. ii. myrrh. ſcr. ss. ol. eiuſdem gut. iii. tanacet. gutt. ii. ſacch. alb. unc. i. M. f. Pulv.* doſ. *ſcr. i.*

Unguentum ad Vermes. ℞. *Ung. de arthanit.* ſeu *contra verm. unc. ss. elix. prop. P. dr. i. M.* Vel ℞. *Ung. contra verm. Auguſt. unc. i. fellis taur. inſpiſs. dr. i. ol. deſt. abſinth. tanacet. an. gut. vi. M.*

Cataplaſma. ℞. *Farin. lupin. unc. ii. myrrh. aloe an. dr. ii. fell. bov. q. ſ. ol. abſinth. unc. ii.* M. *f. Catapl. admovendum ventri.*

Aliud. ℞. *Colocynth. dr. vi. tere & cum felle bov. ac vin. mixt. impone umbilico.* Vel. ℞. *Fol. perſicar.* vel *abſinth. contuſ. q. ſ. adde fell. bov. liquid. q. ſ. pro Catapl.*

Emplaſt. Vermifugum. ℞. *Pulv. aloe unc. ss. colocynth. myrrh. an. dr. i. ss. fol. ſabin. rut. abſinth. tanacet. rad. bryon. an. dr. i. cer. reſin. an. unc. ii. ol. rut. unc. i.* M. *f. maſs. Empl. pro umbilico.*

ARTICULUS VI.

De Officio Medici, in præſcribendis Remediis Carminativis, eorumque formulis.

I.

MEdicamenta *carminativa* dicuntur, quæ flatus tollunt ac diſcutiunt, utilia in affectibus quibuſcunque a flatuum copia oriundis; ut v. g. inflatione ſtomachi, lienis, epatis, tympanitide, colica flatulenta, vertigine, cardialgia &c. Exercent autem vim ſuam diverſimode, nonnulla reſolvendo & diſcutiendo humorem ſtagnantem, & vitioſe rarefactum, hinc plurima ſunt diaphoretica, quæ & carminativa exiſtunt, & quidem tanto excellentiora, quod & reſolvant, & per ſudorem vel diaphoreſin diſpellant. Hæc quoque calorem debilitatum reſtituunt, & halituoſa ſua virtute undique penetrent, ac vaporoſitate ſua ſubtili & volatili exhalationem vaporum craſſiorum adjuvant. Alia id præſtant per fermentationem, ex qua flatus ſuſcitantur, compeſcendo, acidumque fermentativum abſorbendo, invertendo, & præcipitando, ſicque phlogoſes impediendo, bilem quoque, ſi una ſimul rarefacta concurrat, domando & infringendo. Alia id efficiunt, vel coctionem & calorem ac menſtruum ventriculi corruptum roborando, hinc ſtomachica pleraque carminativa; vel viam flatibus laxando, aut partium, quibus continentur, poros aperiendo; ut tranſpirare poſſint, vel denique viſciditate ſua illos captivando, ligandoque ad ſe invicem, vel etiam dolores leniendo.

II.

CIrca uſum & debitam horum adminiſtrationem, Medicus notabit: 1. Carminativa diſploſiva, ſeu calidiora reſolventia, præſente calore præternaturali minus commoda eſſe, ſic v. g. in hypochondriacis, in quibus ſæpe viſcerum phlogoſes concurrunt, ut plurimum temperatiora magis conveniunt. Sic *Mercato* monente, ſi calidiora carminativa in tympanitide non proſint, ad frigidiora tranſeundum eſſe, Sicuti igitur calidiora non conveniunt, in flatibus conjunctis cum æſtu & ardore, ita non temperatiora, humoribus craſſis, viſcidis & pituitoſis exiſtentibus. Non convenire carminativa, ſi adſit copia materiæ, ſi fæces duriores obſtructione cauſentur, hoc enim in paſſu, niſi prius evacuatio fiat materiæ, & ſufficiens depletio, fruſtra non ſolum ſunt omnia, ſed etiam in ſtatum longe pejorem ægrum præcipitant. 3. Carminativis viam ſternere non tantum purgantia, ſed & imprimis bonam diætam, vitando cruditatem, legumina, olera, humido excremento abundantia, dulcia, pinguia, craſſa, lenta, fæculenta, fructus horarios &c.

III.

PRæterea 4. Not. in diſcutiendis flatibus, magis cauſam, quem effectum reſpiciendum eſſe. 5. Pauciores flatus diſplodendos: copioſiores educendos eſſe. 6. In flatibus ſemper reſpiciendum eſſe ad ventriculum. 7. Flatus dolorificos maxime obtemperare carminativis, opiatis ſeu anodynis & evacuantibus. 8. Clyſteres carminativos maxime quoque uſuales eſſe mixtis emollientibus, quibus & fæces emolliuntur, & flatus ſimul diſcutiuntur. 9. Sicuti carminativa in-

terius præſtant in forma humida & liquida, ita exterius in forma ſicca, ut ſacculorum &c.

Formulæ

Remediorum Carminativorum.

MIxtura Carminativa. ℞. *Aq. ment. unc. iii. unc. moſch. dr. vi. ſpirit. vin.* vel *elix. vit. Matthiol. ſp. ſal. an. ſcr. i. M. S.*

Alia. ℞. *Aq. ment. chamom. an. unc. iv. phyſagon. unc. i. ſpirit. anis. unc. ss* vel hujus loco *elix. vit. Matth. dr. ii. ſpirit. ſal. dr. i. ss. ſacch. cand. rub. unc. i. M. S.* ut ſupra.

Alia. ℞. *Aq. ment. cort. arant. an. unc. i. ss. ſpirit. nit. dulc. gut. xv. ſyr. de cort. arant. dr. ii. M.* Vel ℞. *Aq. zedoar. unc. ii. phyſagon. unc. iii. ſpir. mac. dr. i. M.*

Aqua carminativa & ſimul anodyna. ℞. *Aq. deſt. cinam. phyſagon. carminat. an. unc. i. ss. tinct. cort. arant. dr. i. ss. laud. op. Helm. gr. iv. ol. deſt. mac. gut. ii.* M. dentur. 2. Cochl. urgente dolore.

Alia. ℞. *Aq. ment. chamom. zedoar. an. unc. i. eſſent. caſtor. dr. iii. ſpirit. ſal. armon. dr. i. ss. eſſent. op. ſcr. i. ſyr. de cort. arant. dr. iii.* M.

Balſam. carminat. ex Brodio. ℞. *Ol. deſt. aniſ. ſcr. ii. fœnic. ſcr. i. cort. arant. gut. xii. chamom. gut. x. cit. gut. iii. M. ad vitr. parvum.* Doſ. *gut. v.* vel *vi.* ex Brod. carn. Vel ℞. *Ol. deſt. mac. dr. i. ſuccin. ſcr. i.* M. Vel ℞. *Ol. deſt. cort. arant. aniſ. carv. an. ſcr. ss. M.* doſ. 6. *guttæ.*

Electuar. Carminativum. ℞. *Conſerv. rad. cich. unc. iii. ros. rub. unc. ii. condit. cort. arant. unc. i. citr. unc. ss. ſpec. aromat. roſ. dr. ii. diarrhod. Abb. dr. i. conf. alk. dr. i. ss. ſp. cit. vel mac. dr. i. ſyr. de cort. arant. q. ſ. M. f. Elect.*

Bo-

Bolus Carminativus. ℞. *Theriac.* vel *mitrid. ſcr. i. pulv. cort. arant. dr. ſ. caſtor. pulv. gr. vii. ol. cort. arant. gutt. ii.* M.

Tabellæ Carminativæ. ℞. *Cardam. craſsè pulv. unc. ss. flaved. cort. arant. minutim incis. dr. x. ſacch. opt. in aq. roſ. & cinam. diſſol. unc. viii. M. f. Tabell.*

Aliæ. ℞. *Pulv. cort. arant. recent. ſpec. aromat. roſ. an. dr. ii. ſacch. alb. in aq. fl. arant. ſol. unc. iv.* M. *f. Tabell.*

Pulvis carminativus. ℞. *Cort. flav. arant. ſcr. iv. mac. ſcr. ss. ol. deſt. cit. gut. vi. M. F. Pulv. divid. ad 2. p. æq.*

Alius ſimul præcipitans. ℞. *Conſ. flav. arant. unc. i. ss. maxill. lucii piſc. ocul. canc. an. dr. i. s. tal. lepor. ſuccin. zedoar. an. dr. ii. M. F. Pulv. cuius* doſ. *à dr. ss. ad. dr. i.*

Alius ſimul laxativus. ℞. *Pulv. cort. arant. dr. ii. card. b. ſcr. iv. fol. ſenn. ſ. dr. iii. fæcul. aron. ſcr. ii. ol. fœnic. gut. xv ſacch. ros. tabul. ad pondus omnium M. F. Pulv. S.* Pulvis carminativus, de quo 2. aut 3. cuſpides cultri plenæ ante paſtum ſumendæ.

Alius. ℞. *Pulv. cort. arant. Rhab. el. cryſt. tart. an. dr. ii. ol. mac. gutt. x. ſacch. ros. tab. ad pond. omn.* M. F. Pulv.

Elæoſaccharum carminativum. ℞. *Sacch. alb. unc. ii. ol. nuc. moſch. expreſs. dr. i. ol. deſt. chamom. ſcr. i. fœnic. anis. an. ſcr. ss. cort. arant. gut. iii.* M. doſ. *dr. ii. cum aq. carminat.*

Tragæa carminativa. ℞. *Spec. aromat. ros. dr. ii. caſs. lig. acutiſs. dr. i. ss. cardam. min. ſcr. ii. ſacch. ros. tabul. unc. iv. ol. deſt. carv. fœnic. an. gut. ix. cinam. gut. vi. caryoph. gut. iii.* M. *F. Trag. S.* Tragæa ſingularis carminativa.

Alia. ℞. *Coriand. præp. dr. ij. ſem. anis. fœnic. an. dr. i. cinam. acut. dr. ii. cort. cit. dr. i. cardam. min. dr. ii. ſacch. ros. tab. unc. i. ſacch. fin. q. ſ.* M. F. Tragæa.

Sacculus Carminativus extra applicandus. ℞. *Aven. in ſartag. calefact. & toſt. ac vino irrorat. q. pl.* vel *cumin. milii, furfur. &c. Inde ſaccul. calide applicando.*

Alius. ℞. *Fl. ſambuc. chamom. aneth. an. m. i. mel. m. i. ss. ſal. m. i. ſem. aneth. carv. cumin. an. dr. ii. bacc. laur. dr. ii. includ. ſaccul. vin. coq. & applic.* aut *calefacta ind. ſaccul. calidè applic.*

Fomentum Carminativum. ℞. *Fili crudi coq. in lixiv.* vel *aq.* vel *lact. addenſo ſimul cumin. unc. ss. expreſſum applicetur calidè.*

Placenta Carminativa, utilis in dolore Colico; ℞. *Vitell. ov.* N. *vi. agitatis fortiter add. pulv. anis. fœnic. cumin. an. dr. i.* vel *fol. maioran.* vel *ment. abſinth. inciſ. ol. laur.* vel *chamom. q. s. M. F. Placenta.*

Unguent. Carminat. ℞. *Ung. popul. unc. ss. ol. laur. dr. iii. ol. carv. ſcr. iv. M.* Vel ℞. *Ung. carminat. Minſ. unc. ii. ol. deſt. caryoph. gut. ii. lig. Rhod. gut. iii. M. S.* Unguentum carminativum ad ungendum.

Emplaſt. Carminat. ℞. *Empl. de bacc. laur. gemm. tacamah. an. p. æq. malax. cum ol. chamom. & aneth. ac extend. ſuper alut. obducta ſindone.*

Clyſter carminativus. ℞. *Herb. calam. rut. puleg. an. m. i. fl. chamom. ſambuc ſummit. aneth. an.* M. *ss. ſem. anis. carv. cumin. aneth. ſeſel. an. dr. ii. bacc. laur. unc. ss. inciſ. & conquaſſ. coq. ex ſ. q. aq. in Col. unc. x. diſſolv. vin. malv. unc. iii. elect. de bacc. laur. unc. ss. bened. lax. unc. i. ol. rut. aneth. an. unc. i.* M.

Alius hypochondriacis plurimum utilis. ℞. *Caput i. caſtrat. ſeu vervec. ſem. cumin. unc. ss. coq. in aq. lib. iii. ad 3. p. conſumpt. add. fl. chamom. melilot. aneth. an. p. i. coq. rurſus per mediam horam in Col. lib. i. diſſolv. ſacch. rub. unc. ii. elect. hier. ſ. dr. iii. ol. chamom. cheir. an. unc. i. s. ſal. dr. i.* M. *F.* Clyſt.

Alius ℞. *Decoct. carmin. lib. i. diſſolv. elect. diaphæn. unc.*

unc. i. ol. cham. laur. an. dr. vi. carv. dr. i. ſs. mell. anthoſ. unc. ii. ſal. comm. p. i. M.

Alius ſimul anodynus. ℞. *Lact. Vaccin. lib. i. ſs. ſem. carv. m. ſs. fl. cham. m. i. coq. uſq. ad lib. i. col. add. mell. crud.* vel *anthoſ. unc. i. ſs. ol. chamom. aneth. lin. an. unc. i. ſal. dr. ſs. M.*

ARTICULUS VII.

De Officio Medici, in ordinandis & præſcribendis Remediis Lithontintricis, eorumque formulis.

I.

MEdicamenta *Lithontriptica* ea dicuntur, quæ ſalinis ſuis particulis, amurcam & coagulum reſolvunt, ac ſabulum exturbant, vel incidentibus, rigidiſque ſuis particulis, in calculum continuo impellendo, eum paulatim atterunt & abradunt, vel appropriatam proportionem cum poris calculi habentia, texturam ejus penetrant, quæ propriè dicuntur calculum frangentia ſeu lithontriptica, neceſſaria in calculis renum & veſicæ, qui ob magnitudinem aut viarum anguſtiam excludi nequeunt.

II.

CIrca uſum & naturam horum remediornm, Medici officium erit, Not. 1. ea locum magis habere, dum calculus ſaltem mollior, ſabuloſus, & tophaceæ magis naturæ, quam ſiliceæ. 2. Dari talia medicamenta, probari ab ipſa experientia ſubinde facta, licet rara ac pauciſſima ſint, neque omnia in omnibus præſtent, cum nimis multæ reperiantur conditiones ad medicamentum calculum diſſolvens conſtituendum, nempe, ut locum affectum tangat, ut habeat vim ſolvendi repagula calculi, ſitque nec acidum, nec alcalinum, ſed compoſitum ex utroque, prout eſt calculus, ut longo tranſitu ad veſicam vi ſua lithontriptica non infringatur, ut ſit amicum naturæ, nec corroſivum, ut ſit ſubtile ac quaquaverſum diſtribui poſſit. 3. Talia remedia non tantum per os propinari, ſed etiam in calculo veſicæ injici per ſyringam Catheteri applicatam. 4. Exhibenda hæc eſſe quotidie mane, injectio prius clyſtere emolliente & refrigerante. 5. Uſu horum ſequi ſubinde febrem, calorem, ſitim, dolores circa pubem; hinc ſuccurrendum diæta convenienti, abſtinentia a vino, julep. frigid. &c. 6. Boni effectus ſignum eſſe, ſi ab eorum uſu primis diebus urina prodeat craſſa & exigua, hinc copioſior, cum remiſſione caloris, doloris, ac excretione fragmentorum calculi. 7. Interdum unum vel alterum diem quieti concedendum, ac ab uſu eorum ceſſandum.

III. Præ-

III.

PRæterea ſciendum, 8. In defectu remediorum lithontripticorum, tentanda eſſe diuretica ſelectiora, quæ etiam prophilactice uſurpanda, non tamen adeo frequenter, cum ſæpius malum augeant, vel cruditates ad renes devehendo, vel renes magis intemperatos reddendo, vel pituitam calculum obvolventem abſtergendo, eumque ſic exaſperando, vel eum majorem in ureteres cum periculo deturbando. 9. Remedia terebinthinata pro calculi præſervatione ceteris præſtantiora eſſe, cum alvum ſimul laxent & humores craſſos evacuent. 10. Remediorum horum vim & efficaciam adjuvare clyſteres, balnea, unguenta, ſacculos &c. 11. Si lithontripticis nihil efficiatur, atque æger in calculo veſicæ lithotomiæ ſe ſubjicere nolit, curam palliativam inſtitui debere: per ſola epiceraſtica & anodyna, ut v. g. Clyſt. *ex lacte bub. cum dr. i. phil. Rom. ol. amygd. d. per os exhibitum, cum pauco ſucc. lim. ex brod. decoct. malv.* item *aq. ſer. lact. deſtillatam cum ſyr. de alth. Fernel.* vel *Emulſ. cum prædicta. aq.* vel *decoct. Foreſt. addit. troch. alkek. iniect. in veſicam ex lact.* vel *decoct. malv.* vel *Emulſ. ſem. papav. cum aq. ſolan. ſemicup.* vel *foment. cum magna ſpong. imbut. decoct. emoll. ſequente inunctione cum ung. alth. ros. popul. cum ol. viol. nymph. hyoſc.*

For-

Formulæ
Remediorum Lithontripticorum.

DEcoct. lithontript. ℞. *Rad. fœnic. petroſel. eryng. pimpinell. ononid. rub. tinct. enul. an. dr. iii. herb. heder. terreſt. veron. ſaxifrag. abſinth. matriſylv. an. m. ss. fl. geniſt. p. ii. gr. iuniper. unc. i. cic. rub. unc. i. ss. fruct. alkekeng. N. vii. ſem. aniſ. urtic. fœnic. dauc. petroſel. 4. frig. mai. an. dr. i. incis. & conquaſſ. ex ſ. q. aq. font. in* Col. *lib. iv. diſſolv. mell. puriſſ. unc. ii. ebull. ſemel atque iterum & cum album ov. clariſ. S.* Decoctum lithontripticum, de quo quatuor unciæ in Die ter ſumendæ.

Julepus anti Nephriticus. ℞. *Decoct. prædict.* vel *ad calculum Foreſt. lib. i. ſyr. de alth. Fernel. acetos. cit. an. unc. i. ſpirit. ſal. dr. ss. M. S.* Julepus anti-Nephriticus pro duabus aut tribus vicibus.

Alius utilis in paroxyſmo Calculoſo. ℞. *Aq. frag. ſaxifrag. an. unc. ii. vin. alb. generos. unc. vi. ol. amygd. d. unc. ii. ſpirit. vitriol. dr. i. M. pro 3. doſ. prima detur calide, quantum ferre poteſt æger; poſt horas 6. ſecunda, etſi hæc etiam inefficax, quod teſte Riverio raro contingit, detur tertia.*

Elixir anti Nephriticum. ℞. *Sal. tart. albiſs. unc. i. ſolv. in aq. petroſel. lib. i. diger. cum cort. cit. arant. an. unc. i. per 3. dies filtretur per chart. add. ol. deſtill. cer. arant. mac. an. gut. viii. M. diger. iterum per aliquot dies S.* Elixir antinephriticum, de quo mane & veſperi, dimidium cochlear plenum in vino Moſellæ ſumenda.

Nodulus vino vel cereviſiæ infundendus. ℞. *Bacc. iuniper. contuſ. unc. i. fruct. cynosbat ſicc. & craſſe pulv. unc. ii. fol. heder. terreſt. veron. pariet. an. m. i. abſinth. m. ss. rad. eryng. ononid. an. dr. vi. lig. nephrit. unc. ss. uv. paſſ. enucleat. unc. iii. M. inciſ. & contuſ. ad Nodul. infund. in vin.* vel *cereviſ. lib. viii.* Infu-

Infuſum Diureticum. ℞. *Raph. acerrimi deraſ. unc. i. vin. alb. unc. iv. maceretur per aliquot horas hinc fortiter exprim. & Col.* valet etiam *rad. armorac. vino infuſa aliquoties hauſta.*

Aliud Præſervativum. ℞. *Heder. tereſt. m. i. capit. allii* N. *ii.* vel *iii. diſcerptis in fruſtula affund. ſp. vin. lib. i. ſtent per dies aliquot bene clauſa, hinc de agitato liquore detur cochl. i.* ſingulis noviluniis.

Emulſio anti Nephritica. ℞. *Sem. 4. frigid. mai. an. dr. ii. violar. dr. i. s. nucl. perſi. dr. vi. decoct. hord. cum. ſem. dauc. fact. unc. vi. aq. petroſel. liq. betulæ deſtill. an. unc. i. f. Emulſ. add. lapid. canc. præp. dr. i. ſacch. cand. q. ſ. ad gratiam.*

Brodium Lithontripticum. ℞. *Cic. rub. cochl. i. rad. petroſel. unc. ss. coq. cum ſ. q. aq. vel brod. carn. col. unc. v. add. ſucc. lim. unc. i. ſang. hirc. præp. ſcr. ij. myrrh. el. ſcr. i.* Vel ℞. *Jur. cic. rub. unc. x. ſpirit. iuniper. ſcr. ii. aſell. præp. a ſcr. i. ad dr. i. M.*

Bolus Nephriticus. ℞. *Tereb. venet. coct. & pulv. dr. i. ocul. canc. præp. ſcr. i. tart. vitriol. ſcr. ss. ſal. vol. ſuccin. gr. iv. ſyr. de alth. Fernel. q. ſ. M. F. Bol. ſumatur mane, ſuperbibendo liquorem aliquem diureticum.*

Electuar lithontripticum. ℞. *Sem. urtic. milii ſol. bardan. an. dr. ss. lap. Judaic. præp. magiſt. ocul. canc. cryſtall. mont. an. ſcr. i. farin. lycopod. virg. aur. ſem. dauc. pulv. an. ſcr. ii. conſ. ering. unc. i. ss. caſſ. unc. i. cum ſ. q. ſyr. de limon. f. Elect. S.* Electuarium lithontripticum, de quo magnitudo caſtaneæ ſumatur.

Aliud Præſervativum. ℞. *Pulv. ſem. hyperic. iulio* vel *autumno collect. & exſicc. unc.* 1. *ss. conſ. roſ.* vel *viol. lib. i. M.* Doſ. *unc. ss. qualibet ſeptimana* 2. *vicibus.*

Pilulæ anti Nephriticæ. ℞. *Ocul. canc. præp. dr. i. farin. ſemin. lycopod. ſcr. i. ſal. fim. columb. gr. xii. volat. ſuccin. gr. xv. tereb. cyp. aq. malv. lot. & coct. q. ſ. M. f. Pilul.*

Pul-

Pulvis Nephrocatharcticus. ℞. *Lap. lync. præp. Judaic. præp. an. dr. i. ſ. ocul. canc. præp. dr. iii. ſal. iuniper. dr. i. aſell. præp. dr. ſ. ſem. lithoſperm. dr. i. ſ. ol. ſuccin. rectif. gut. iv. ſacch. alb. unc. i. ſ. M. F. Pulv. C.* Pulvis nephrocatarcticus, de quo una drachma, pro una vice ſumatur.

Alius. ℞. *Magiſt. cryſt. mont. ſem. mil. ſol. lapp. mai. an. ſcr. ſ. borrac. venet. glaciei Mariæ, pulv. priap. cerv. an. gr. v. M F. Pulv. pro i. doſ.*

Clyſter uſualis in paroxyſmo Nephritico. ℞. *Rad. alth. dr. iii. malv. melilot. pariet. hord. an. m. i. ſem. lin. fœnug. an. dr. iii. fœnic. dr. i. inciſa bull. in ſ. q. aq. ad conſumpt. 3. part. in Col. lib. i. diſſolv. ſacch. rub. unc. ii. tereb. clar. vitell. ov. diſſol. dr. iii.* vel *unc. ſſ.* ol. *viol. chamom. an. unc. i. cum pauco ſale M. F. Clyſt.* vel *diſſolv. caſſ. pro clyſt. elect. lenit. an. unc. ſ.* vel *diacathol. dr. vi. hier. ſ. bened. laxat. an. dr. ii. M.*

Alius. ℞. *Spec. decoct. carmin. fl. verbaſc. an. m. i. pariet. m. ii. coq. in ſ. q. brod. carn. in col. lib. i. diſſolv. caſſ. pro clyſt. unc. i. tereb. vitell. ov. diſſol. unc. ſ. ſacch. rub. ol. chamom. an. unc. i. ſ. M. F. Clyſt.*

Alius lacteus anodynus. ℞. *Lact. vaccin. rec. mulct. lib. i. ſacch. rub. unc. ii. ol. chamom. unc. i. ſcorp. dr. ii. ung. rub. potab. unc. j. vitell. ov. N. i. M.*

Alius ex ſolis oleis. ℞. *Ol. aneth. chamom. an. lib. ſ. amygd. d. unc. ii. rutac. unc. i.* Vel ℞. *Butyr. rec. ol. amygd. d. an. unc. iv. calefiant & loco Clyſt. iniiciantur.*

Unguentum. ℞. *Ung. de alth. unc. ſ. ol. amygd. d. dr. ii. ſcorp. dr. i. ſ. petrol. alb. dr. i. M.* vel ℞. *Ung. popul.* vel *infrig. Gal. roſ. Meſ. de alth. an. dr. vi. ol. ſcorp. ſimp. ſucc. lim. an. unc. ſ. camph. gr. iv. M. S.* Unguentum pro lumbis.

Cataplaſma. ℞. *Fol. malv. pariet. an. m. i. petroſel. cum rad. m. i. raph. dr. ii. coq. in aq.* vel *lact. ad putrilag. & contud. adde cep. ſub. cin. coct. M. ii. ol.*

amygd.

amygd. am. lil. alb. butyr. rec. an. unc. ij. vel *vittell. ov. M. ij. ol. ſcorp. unc. i. ung. de alth. unc. j. s. M.*

Sacculi anodyni . ℞. *Herb. malv. alth. pariet. ſaxifrag. fl. chamom. melil. aneth. an. m. iv. rad. alth. unc. jv. herb. chærefol. m. ii. ſem. lin. fœn. græc. an. m. i. aniſ. dr. ii. M. inciſ. dentur. ad. chart. pro. 2. Saccul. in aqua* vel *lacte coq. & alternatim applicandis.*

Balnea *vide ſupra de uſu Therm. & Balneorum.* Atquæ, hæc, ex infinitis hæc de materia conſeptis remediorum Formulis, pro praxi ſufficiunt, uti & illa, quæ ſupra de *Diureticis* inſinuavimus. Sicuti enim illa & huc quoque ſpectant, ita etiam pleraque horum ad illa reduci poſſunt.

CAPUT IX.

De Officio Medici in conſiderandis & præſcribendis Appropriatis & Confortantibus.

ARTICULUS I.

De Officio Medici, in ordinandis & præſcribendis Remediis Cephalicis.

I.

MEdicamenta *Cephalica* dicuntur, quæ cerebro magis amica, ejuſque affectibus tollendis magis deſtinata ſunt, hinc etiam pro varietate affectuum, varia ſortiuntur nomina, ut *antapopletica*, quæ contra apoplexiam, *antiepileptica*, quę contra epilepſiam, *antiſpaſmodica*, quæ contra motus convulſivos, *antidynica*, quæ contra vertiginem, *antilethargica*, quæ contra lethargum, *antiephaltica*, quæ contra incubum ſpecifica & appropriata exiſtunt; idem dicendum *de antiparalyticis*, *antimelancholicis*, *anticatarrhalibus* & ſimilibus. Agunt hæc medicamenta, vel reſpiciendo membranas & nervos, quorum irritationem, tenſionem ac vellicationem demulcent, acrimoniam cauſæ abſorbent, eamque diſcutiunt; vel reſpiciendo humores & inprimis lympham, quam temperant, corrigunt, excedentem abſumunt, vel deficientem reſtaurant; vel reſpiciendo ſpiritus, quos ſopitos & deficientes excitant, reſtau-

ſtaurant, æſtuantes & efferatos ligant & compeſcunt; vel reſpiciendo vapores & poros cerebri, dum illos diſcutiunt: hos vel nimis occluſus & obſtructos aperiunt, præſertim volatilia, & in primis urinoſa, vel nimis hiantes & dilatatos claudunt.

II.

IN uſu horum Not. 1. Medicamenta *cephalica* alia eſſe *volatilia*, & quidem vel ſulphure oleoſo aromatico ſuavi pollentia, vel volatilia urinoſa aut acida, alia *fixa*, & quidem vel terrea, vel acida, vel nitroſa: alia ex his mixta. 2. Nimis calida, oleoſa, ſpirituoſa ac vaporoſa, ſpiritus ſubinde nimis efferare, turbare ac caput ferire, præſertim in iis, quibus ſyſtema cerebri & nervorum ſenſibilius, ſpirituumque textura tenerior. 3. Ex his camphorata præcipue iis nocere, quibus debile; & ſpiritus tenerioris ac laxioris compagis, 4. Cephalica hæc magis convenire & principaliter, capite per ſe & eſſentialiter affecto: minus & non niſi reſtrictè, & ſecundario, ubi per conſenſum. 5. Lympham in capite nec nimis abſumendam, nec nimis fundendam vel concentrandam eſſe per cephalica. 6. Sicuti vitanda ſpiritus nimis efferos reddentia, ita eos non nimium ligandos eſſe, per opiata incautius, & frequentius data, præſertim in Infantibus. 7. Cephalica etiam nervis amica eſſe, ac ſymbolizare quoque cum ſtomachicis & uterinis.

Formulæ

Remediorum Cephalicorum.

JUlepus ant-Epilepticus . ℞. *Aq. ceraſ. nig. unc. v. epilept. Lang. unc. i. ſyr. fl. pœon. unc. i. conf. alk. compl. dr. ss. ſp. vitriol. q. ſ. pro grata aciditate M. S.* Julepus anti Epilepticus cochleatim ſumendus.

Mixtura ant-Apoplectica . ℞. *Elix. vit. Matthiol. unc. i. ss. ſp. ceraſ. nig. unc. iii. aq. cinam. unc. ii. eſſent. roriſm. dr. ii. man. Chriſt. perlat. unc. ss. M.* Vel ℞. *Elix. vit. Matthiol. unc. vi. ſp. ceraſ. nig. dr. vi. iulep. roſ. unc. i. ss. eſſent. amb. dr. iii. N. S.* Elixir ant-Apoplecticum, de quo cochlear plenum, & ad præſervationem, & in paroxyſmo ſumendum.

Alia. ℞. *Aq. ceraſ. nig. meliſſ. lil. convall. an. unc. i ss. apoplect. dr. vi. cinam. dr. ii. elix. vit. Matthiol. dr. i. ss. conf. alk. dr. i. ss. magiſt. corall. perlar. an. ſcr. i. man. Chriſt. perl. dr. ii. M. S.* Mixtura ant-Apoplectica, de qua bene conquaſſata duo cochlearia interdum ſumenda.

Aqua Cephalica confortativa. ℞. *Aq. apoplect. perlat. officinal. an. unc. ii. cinam. bugl. dr. iii. marg. orient. præp. corall. rub. præp. an. ſcr. i. confect. alk. complet. dr. ss. ſp. lil. convall. ceraſ. nig. an. dr. ii. cephal. Anhalt. dr. i. ſacch. perlat. dr. ii. M. S.* Aqua cordialis, & cephalica confortativa.

Vinum anti-Catarrhale . ℞. *Lign. ſaſſafr. iuniper. lentiſc. an. unc. ii. rad. caryophyllat. unc. i. herb. roriſ. rec. hyſſop. cent. min. an. m. i. ſerpill. m. ss. cinam. dr. ii. cubeb. cardam. an. dr. i. Inciſis aſſund. vin. opt. menſ. iv. ſtent in infuſ.* De hoc vino bibatur hauſtus in principio paſtus.

Emulſio ant-Epileptica . ℞. *Sem. pœon. dr. ii. C C. uſt. præp. ſcr. iv. aq. ceraſ. nig. lil. convall. an. unc. ii. bor-*

borrag. unc. i. ſs. M. F. Emulſ. add. lap. bez. orient. gr. vi. ſacch. cand. alb. unc. ſs. M. poſſet etiam addi *pulv. March. antepilep.*

Electuar anti Catarrhale. ℞. *Conſ. fl. anth. unc. iii. roſ. rub. unc. i. nuc. indic. condit. dr. vi. medull. nuc. ind. condit. dr. ii. cubeb. dr. ii. ſs. coriand. præp. dr. i. ſs. thur. oliban. ſcr. ii. eſſent. ſalv. dr. ii. ſyr. de roſ. ſicc. q. ſs. M. F. Elect.* De quo ſub horam decubitus magnitudo nuc. jugl. ſumenda.

Electuar. confortans Cephalicum. ℞. *Conſerv. roſ. damaſc. fl. anth. ſalv. primul. ver. an. unc. i. ſs. cort. cit. condit. & inciſ. dr. x. calm. arom. condit. & inciſ.* vel *z. z. dr. vi. caryoph. inciſ. ſpec. arom. roſ. an. dr. iii. ſyr. de cort. cit. q. ſ. M. F. Elect. S.* Electuarium confortans cephalicum, de quo mane & veſperi magnitudo caſtaneæ ſumatur.

Electuarium ant-Epilepticum. ℞. *Conſ. fl. pæon. unc. i. nuc. moſch. condit. unc. ii. cort. cit. condit. unc. ſs. ſpec. aromat. roſ. dr. i. ſs. ſyr. fl. pæon. q. ſs. M. F. Elect.* Vel quod pretioſius. ℞. *Pulv. epilept. unc. ſs. medull. nuc. ind. condit. dr. vi. conſ. alk. de hyac. an. dr. ii. tinct. lun. dr. ii. ſp. til. lil. convall. roſ. an. ſcr. i. eſſent. amb. dr. ii. ſyr. de pœon. q. ſs. M.*

Electuarium contra Vertiginem. ℞. *Conſ. roſ. rub. unc. ii. majoran. beton. an. unc. ſs. nuc. ind. condit. dr. ij. confect. alk. compl. dr. i. ſs. ſpec. diamb. contra apoplex. an. dr. ſs. ſpecific. cephal. ſcr. j.* vel *ſuccin. præp. ſyr. de cort. cit.* vel *de ſtœchad. q. ſs. M. F. Elect. S.* Electuarium contra vertiginem, de quo mane & veſperi magnitudo nucis ſumatur.

Electuar. anti Melancholicum. ℞. *Conſerv. fl. anth. borrag. nymph. bugloſſ. an. unc. ſs. myrob. condit. dr. vj. conſ. alk. ſcr. iv. ſpec. latif. Rhaſ. de gemmis frig. an. dr. j. Elix. vit. Matth dr. j. ſyr. corall. q. ſs.* Vel quod pretioſius. ℞. *Confect. de hyanc. unc. i. alkerm. dr. iii. lap. bez. ſcr. j. ſmaragd. præp. ſcr. ij. ung. alc. ſs. igne præp. dr. j. magiſt. ſuccin. alk.*

 per-

perlar. corall. rub. præp. an. ſcr. i. ſp. roſ. rub. idæ lil. convall. an. gut. xiii. ſyr. fl. pæon. q. s. M. f. Elect.

Morſuli Cephalici. ℞. *Spec. diamb. diamoſch. d. an. dr. ii. cubeb. dr. ii. cardam. dr. i. nuc. ind. condit. unc. i. cort. arant. condit. dr. vi. medull. nuc. ind. dr. ii. macer. dr. i. ſacch. albiſſ. in aq. lavend. ſolut. q. s. M. F. Morſul. ol. deſtill. nuc. moſch. aſpergendi. S.* Morſuli confortantes cephalici de quibus juxta placitum ſumatur.

Tabellæ ant-Apoplecticæ. ℞. *Spec. diamb. dr. ii. pulv. rad. pæon. mar. zedoar. an. dr. i. ss. marg. præp. dr. j. ol. ſuccin. puriſs. dr. ss. ſacch. albiſs. in aq. pæon. ſol. & ad tabulac. coct. unc. vi. M. F. Tabell. pond. dr. ss.*

Morſelli pro confortanda Memoria. ℞. *Confect. alk. dr. j. ss. thur. opt. dr. ii. ſmaragd. præp. dr. i. marg. præp. dr. ss. ol. nuc. moſch expreſs. ſcr. ii. ss. cinam. gut. iii. lig. Rhod. gut. ii. amb. moſch. an. gr. iv. ſacch. in aq. roſ. diſſol. q. s. f. confect. in Morſell. S.* Morſuli pro confortanda memoria mane jejune ſumendi.

Aliæ. ℞. *Spec. diamb. diamoſch. dulc. an. ſcr. ii. ſuccin. alb. præp. ſcr. ss. confect. alk. compl. ſcr. i. ol. carv. ſcr. ss. ol. ſuccin. gut. v. ſacch. albiſs. in aq. lavend. ſol. q. ss. M.* Vel ſequentes Horſtii. ℞. *Confect. anacard. dr. i. thur. el. dr. ii. piper. z. z. an. dr. ss. ſacch. in aq. maior. ſol. lib. i. add. ol. cinam. gut. vi. roriſm. gutt. iv. M. F. Tabellæ, de quibus dr. ii. dentur matutino tempore.*

Rotulæ gratiſſimæ Cephalicæ. ℞. *Spec. diambr. dr. ii. confect. alk. compl. ſcr. ii. amb. grys. gr. vi. ſacch. albiſs. in aq. nuc. moſch.* vel *roſ. & cinam. diſſolut. q. ss. M. F. Rotul.* Alii addunt etiam *ſucc. lim. q. ss. S.*

Aliæ contra Vertiginem. ℞. *Ol. deſtill. carv. ſcr. ss. nuciſt. gut. vii. confect. alk. rad. doron. pulv. an. dr. ss. extr. lig. aloe gr. xv. ſacch. in aq. ſalv. & beton. diſſol.*

diſſolv. q. s. M. F. Rotul. quibus ad finem addi poteſt *moſch. ad ſcr. ss. amb. gr. iii. M.*

Aliæ ant-Apoplecticæ. ℞. *Spec. diamb. compl. diamoſch. an. dr. j. ſuccin. albiſſ. ſcr. j. ol. anis. gutt. iii. ſacch. in aq. lavend. ſol. unc. iv.* M. F. *Rot.*

Pulvis Cephalicus corroborans, *Fabri*. ℞. *Confect. diamb. unc. ij. diamoſch. dulc. unc. j. cubeb. mac. doron. coſt. ver. caſſ. ligneæ ſuccin. alb. præp. lig. aloes an. ſcr. j. amb. grys. ſcr. ss. moſch. gr. v. ol. deſt. cinam. ſcr. j. for. aur.* N. *vj. ſacch. ſeu manus Chriſt. tabul. ad pondus omnium.* M. *F. pulv.* S. pulvis Cephalicus corroborans, de quo cuſpis cultro plena mane & veſpero lente in ore liquefacienda.

Pulvis ant-Apoplecticus. ℞. *Cinnab. nat. cinnab. antim. ſpec. contra apoplex. complet. an. unc. ss.* M. *F. Pulv. de quo m. & v. ſumatur ſcr. i. ex. aq. ceraſ. nig.*

Alius. ℞. *Succin. alb. pulv. dr. ii. ſpec. diamb. dr. j. ſem. carv. dr. ss.* M. *F. Pulv. ſubtiliſſ. de quo ſumatur cuſpis cultelli ſingulis menſibus, primo die poſt novilunium.*

Pulvis ant-Epiplepticus. ℞. *Pulv. de Huttet.* vel *March. epilept. dr. j. cinnab. antim. gr. xxiv. (ſubinde etiam lapid. bez. unicorn. an. ſcr. ss.) M. F. Pulv. divid. in 3. p. æq. S.* Pulvis antiepilepticus pro tribus vicibus.

Alius. ℞. *Pulv. March. mirab. epilept. Minſ. an. ſcr. ii. cinnab. nat. præp. cinnab. antim. an. ſcr. j. magiſt. cran. hum. magiſt. ungul. alc. an. ſcr. ss.* M. *F. Pulv.* doſ. *m. & v. cuſpis cultell. ex ſeq. aq.* ℞. *Aq. ceras. nig. fl. til. pæon. an. unc. i. epil. Lang. unc. ss. ſyr. fl. pæon. unc. ss.*

Tragæa ſpecifica in Vertigine. ℞. *Fl. euphras. dr. iii. mac. dr. j. corall. rub. præp. dr. j. ſuccin. alb. præp. gr. xv. ſacch. roſ. tabul. unc. iv. ol. deſtill. carv. fœnic. duc. moſch. an. gut. vij.* M. *F. Tragæa.*

Alia. ℞. *Spec. diamoſch. d. dr. ij. diamb. dr. ss. mac. pulv. rad. doron. an. ſcr. iv. ſacch. fin. unc. iii.* M. *F.*

Trag. cui add. amb. gr. xv. Vel ℞. *Sem. carv. præp. coriand. præp. aniſ. fœn. an. unc. ss. cardam. cubeb. an. dr. i. ss. nuc. moſch. dr. i. mac. ſcr. ss. caryoph. ſcr. ss. ſacch. q. ss. M. F. Trag.*

Tragæa confortans Cephalica. ℞. *Spec. diamb. complet. diamoſch. d. an. dr. ss. diaxyloaloe, ſcr. i. cinam. opt. dr. ii. ſuccin. alb. præp. marg. præp. an. ſcr. i. nuc. moſch. dr. i. mac. cubeb. cardam. caryoph. an ſcr. ss. ſacch. albiſs. unc. iii. fol. aur. N. ii. M.*

Cucupha in Catarrhis. ℞. *Fol. meliſs. maioran. orig. an. p. ss. fl. ros. rub. dr. ii. lavend. ſtœch. Arab. roriſm. pœon. tunic. an. dr. i. thur. nuc. moſch. cinam. caryoph. gr. kerm.* vel *ſuccin. alb. præp. an. dr. ss. gum. elem. benz. an. dr. i. ſtorac. calam. dr. ii. groſſo modo trita includ. ſind. rub. frequentique filo interbaſſata in formam Cocuphæ redigantur.*

Alia in Vertigine & Incubo, ℞. *Herb. roriſm. maior. ſalv. an. p. iii. fl. ros. anth. pœon. chamom. an. p. i. ſtorac. calam. maſt. ſuccin. an. dr. ss. ſem. coriand. præp. ſcr. ii. cubeb. caryoph. an. dr. ss. nuc. moſch. dr. i. rad. Ir. flor. ſpec. diamb. an. ſcr. i. M. craſſiuſculé incid. & conquaſſ. ac cum ſind. rub. f. Cucupha.*

Alia ſpiritus animales confortans. ℞. *Herb. maior. roriſmar. beton. meliſſ. puleg. an. m. ss. fl. roſ. rub. lavend. anth. an. p. i. thur. maſt. rad. Ir. flor. cort. cit. ſandarach. an. ſcr. i. caryoph. mac. cubeb. cardam. an. ſcr. ss. ſpec. diamb. complet. dr. i. ss. ſem. coriand. nigell. an. dr. ss. ſuccin. cit. ſcr. i. ss. moſch. gr. vii. ambr. gr. iii.* M. *S.* Species pro Cucupha.

Pulvis Crinalis. ℞. *Rad. cyper. long. calam. arom. roſ. rub. an. dr. vi. benz. unc. ss. xyloal. dr. iii. corall. rub. ſuccin. an. dr. ii. farin. fab. unc. ii. rad. Ir. flor. unc. iv. M. f. Pulv. ſubtil. add. moſch. zibeth. an. gr. v. M. S.* Pulvis crinalis peculiaris pro confortando capite & memoria, & creſcendis crinibus.

Odorament. in affectibus Soporoſis. ℞. *Sp. ſal. armon.*

mon. urinoſ vel *C. C. dr. i. ſs. indatur vitro anguſti orificii. S.* Spiritus peculiaris ad odorandum.

Odoramentum ſpiritus animales excitans. ℞. *Aq. meliſſ. lil. convall. unc. i. apoplect. cum amb. & moſch. unc. ſs. acet. rutac. dr. i. M S.* Aqua pro ſpiritibus animalibus naribus, & temporibus aſpergenda. Vel ℞. *Aq. roſ. in B. M. deſtill. unc. i. lavend. cinam. an. dr. vi. Elix. vit. Matthiol. dr. ii. acet. fl. tun. unc. i. roſ. dr. vi. ſp. roſ. dr. i. M.*

Nodulus & Aqua odorifera. ℞. *Fol. meliſſ. p. i. cinam. mac. galag. caryoph. an. ſcr. ſs. M. inciſa includ. Nodul. ex ſind. alb. in aqua ſequenti madefaciendis.* ℞. *Aq. roſ. fragrant. unc. ii. odorif. Fuchſii unc. ſpirit. cephal. Anhalt. compl. dr. ſs. acet. roſ. rub. an. unc. ii. moſch. gr. ii. M.*

Balſamus Cephalicus. ℞. *Ol. nuc. moſch. expreſſ. ſcr. iv. Balſ. apoplect. ſcr. i. ol. rut. ſcr. ſs. ſuccin. gut. vii. M S.*

Alius ant-Epilepticus & contra Vertiginem. ℞. *Balſ. rut. ſcr. i. mac. caryoph. roſ. an. ſcr. ſs. ol. deſt. ſuccin. gut. v. carioph. gut. iii. M.*

Alius ant-Apoplecticus. ℞. *Balſ. apoplect. ſuccin. majoran. nuciſt. an. ſcr. ſs. ping. caſtor. gr. i. M. S.* Balſamus antapoplecticus mixtus, quo nares, tempora, & vertex illinendi.

Alius Memoriam confortans. ℞. *Balſ. apopl. ſcr. i. majoran. ſuccin. an. gr. v. ping. caſtor. gr. ii. ol. ſuccin. gut. ii. M.*

Pediluvium anti Catarrhale. ℞. *Herb. abſint. orig. anthemiſ. ſerpill. ſalv. fl. chamom. roſ. rub. an. m. i. ciner. ſal. av. mi. M. F. Decoct. in aq. ſ. q.* vel *in lixiv. ex cin. lig. juniper. parat.*

Aliud. ℞. *Herb. ſalv. hyſſop. orig. thym. beton. major. an. m. i. fl. cham. m. i. ſs. ſtœch. ſummit. aneth. an. m. i. bacc. juniper. unc. ii. ſal. unc. iii. incid. groſſo modo pro Pediluvio, à cuius abſterſione plantæ pedum inungantur calidiſſime medulla cervina.*

Aliud ſimplex in dolore Capitis. ℞. *Aq. dulc. menſ. viij. ſal. comm. m. ii. ſalv. hort. m. iii. acet. lib. ii. coq. in vicem & uſurpentur pro Pediluvio.*

ARTICULUS II.

De Officio Medici, in conſiderandis & præſcribendis Remediis Ophthalmicis.

I.

MEdicamenta *Ophthalmica* dicuntur, quæ Oculis amica affectibus eorum ſuccurrunt, & quidem vel eos roborando ac viſum acuendo, dum conjunctim ſpiritus, humores, nervos & caput reſpiciunt, atque hæc dicuntur *oxydorcica* ac proprie *ophthalmica*, ſuntque cephalica fere, nervina ac balſamica, utilia, in amauroſi, viſus imbecillitate, & caligine; vel exſiccando & detergendo in Cataracta, ungue, excreſcentiis &c. Vel demulcendo ac dolorem mitigando, in doloribus oculorum, vel vi traumatica eis ſubveniendo, in vulneribus; vel humores influentes repellendo, ut in ophthalmia incipiente; vel conſiſtentes ibi ſeu halitus & vapores, ſeu humores in coagulum abituros diſcutiendo, ut in ſugillatione, ophthalmia &c.

II. Cir-

II.

Circa uſum horum haud immerito cautelæ quædam obſervandæ, nam juxta vulgatam parœmiam.

Non patitur luſum, fama, fides, oculus.

Not. igitur 1. in Oculorum affectibus non ſolum locum, ſed & focum ſpectandum eſſe; nam licet locus ſit Oculus, focus tamen ſæpiſſime tum caput, tum hypochondria, tum tota M. S. acris, ſeroſa & ſcorbutica. 2. Repelentia non debere eſſe nimis frigida, adeo quidem ut repellant, ſed non impellant ac impingant, atque etiam locum magis habere capite evacuato, præſertim in ophthalmiis gravioribus, 3. Suppurationem interiorem oculis funeſtam eſſe, & ſic arcendam frigidiuſculis, diſcutientibus, V. S. & veſicatoriis; hinc etiam emollientia, emplaſtica ac anodyna oculis inflammatis magis nocent, quam proſunt. 4. Opiata caute quoque in doloribus ac inflammationibus oculorum uſurpanda eſſe, utpote quæ magis ob acrimoniam morſicant, quam dolorem leniunt. Idem fere dicendum de lacte muliebri, quod etiam tum ob unctuoſitatem ſuam, tum ob facilem aceſcentiam ſuſpectum eſt in doloribus oculorum, ſaltem illud non diu ibidem relinquendum, ſed ſingulis horis mutandum.

III. Præ-

III.

PRæterea 5. Notandum: acriuſcula in tempore applicata optima eſſe ophtalmica. Obſervavit enim *Plater*. Cuidam ex caſu mercurium ſublimatum, loco ſacchari inſperſum fuiſſe ſine noxa. *Wedel.* idem obſervavit de ſpirit. vitriol. ut adeo oculus acriora ferat medicamenta. Interim non promiſcue inferenda oculis acriora, cum morſicatis fibris, & citato affluxu, inflammatio angeri poſſit. 6. In affectibus oculorum vitanda eſſe ſternutatoria, caput concutientia & lacrymas ex oculis cientia. 7. Remedia ophthalmica debere eſſe a ſordibus optime purgata, diligentiſſime inſuper trita & cribrata. 8. Topica in ſuffuſione & gutta ſerena plus promittere, quam præſtare: interim tamen aliqua tentari poſſe. 9. Topica in ophthalmia debere vergere ad frigiditatem, ſi repellendum; ad caliditatem, ſi diſcutiendum. 10. Topica adſtringentia, temporibus, pro influxu intercipendo, applicanda eſſe.

Formulæ

Remediorum Oxydorcicorum & Ophthalmicorum.

VInum Euphragiatum. ℞. *Rad. enul. unc. iv. ſol. & fl. euphras. m. iiii. ſem. fœnic. ſiler. mont. an. unc. ii. incluſa Nodulo ſuſpend. in muſto, donec efferbuerit.*

Electuar. Ophthalmicum, longo uſu probatiſſimum, Timæi. ℞. *ſucc. euphras. unc. ii. fœnic. unc. i. chelidon. rut. lavend. roſ. pallid. an. unc. ss. mell. virg. probe deſpum. unc. ix. coq. ad conſiſt. ſyrup. add.*

add. pulv. euphras. rec. ſiccat. unc. I. *ſem. fœnic. dr. ii. ss. ſiler. mont. dr. ii. mac. cubeb. cinam. an. ſcr. i. ss. M. F.* Elect. S. Electuarium ophtalmicum confortans, & conſervans, de quo quantitas caſtaneæ ſumatur mane & veſpere.

Aliud. ℞. *Conſ. fl. beton. anth. an. unc. ii. myrob. condit. N. ii. ther. vet. dr. ii. cubeb. dr. ii. ſem. ſil. mont. ſcr. ii. ſuccin. alb. præp. ſcr. i. mac. ſcr. ii. ſpirit. euphras. dr. ii. Eſſent. roriſm. dr. i. cum ſyr. de ſacch. ss. q. M. F. Elect.*

Pulvis oxydorcicus. ℞. *Sacch. cand. alb. canarienſ. confect. ſem. fœnic. an. unc. i. pulv. fl. euphras. dr. ii. ſem. fœnic. dr. iii. rad. valerian. dr. vi. ol. deſtill. fænic. gut. xi. maior. gut. iv. M. F. pulv. S.*

Alius. ℞. *Rad. pæon. unc. ss. valerian. dr. iii. ſem. pæon. dr. ii. fęnic. dr. i. ſal. euphras. dr. i. ss. C. C. phil. præp. ungul. alc. præp. an. dr. i. tart. chalyb. dr. ii. antim. diaph. dr. i. ss. cinnab. nat. dr. i. cryſt. præp. dr. iii. man. Chriſt. perlat. unc. i. ss. M. F. Pulv.*

Tragæa Viſum corroborans. ℞. *Fol. Euphraſ. cum fl. unc. ss. ſem. coriand. acet. præp. dr. iii. fęnic. dr. i. ss. carv. ſcr. ii. ss. cinam. acut. dr. i. nuc. moſch. ſcr. iv. pellicul. intern. ventric. Gallin. ſcr. ii. rotul. man. Chriſt. unc. iii. ss. ol. fęnic. gut. xi. carv. gut. vii. nuc. moſch. gut. v. M.*

Alia. ℞. *Sem. coriand. præp. rapar. anis. fęnic. an. dr. ij. Pulv. euphras. ſiler. mont. carioph. cardam. min. cubeb. cinam. an. dr. i. nuc. moſch. dr. ii. ſacch. roſat. tabul. ad pondus omnium M. F. Tragæa.*

Sal uſualis oxydorcicus. ℞. *Sal. comm. unc. ii. Euphras. ſicc. dr. ij. nuc. moſch. dr. i. cinam. ſcr. ij. M. S.* Sal peculiaris oxodorcicus, quo cibi codiendi.

Fomentum ophthalmicum *Plempii*, utile in Gutta ſerena & Suffuſione. ℞. *Fęnic. rut. hyſſop. euphras. chelid. verben. beton. puleg. an. m. ss. ſem. anis. fęnic. carv. ameos. ſiler. mont. an. dr. ii. euphraſ.*

unc.

unc. ſs. mac. cinam. caryoph. nuc. moſch. an. dr. i. incis. & conquaſſ. coq. ex ſ. q. aq. vel ſi fortius agendum *in vino* addito poſtmodum etiam *ſp. vin. applicetur cum petiis duplicatis quotidie ter vel quater.*

Aqua Ophthalmica *Quercet.* Viſum clarificans, ac utilis in Suffuſione incipienti. ℞. *Croc. metall. dr. i. aq. chelidon. m. unc. vi. infund. hujus. aq. tepidæ 3. vel. 4. guttæ homine reſupino jacente intra oculos, infunduntur ter vel quater de diem, & quidem per multos dies.*

Alia. ℞. *Aq. fœnic. chellid. m. euphrag. an. unc. i. vitriol. alb. ſcr. ſs. aloes ſcr. i. M. F. Collyr.*

Collyrium anti Ophthalmicum expertum, ℞. *Album ov. N. i. agitetur cum fruſto aluminis in patina ſtannea ad. conſiſtent. Unguent. quod extend. ſuper linteum & tepide oculis applicetur.*

Aliud in forma Aquæ expertiſſimum. ℞. *Aq. roſ. plantag. an. unc. ij. ſolan. unc. i. vitriol. alb. ſcr. i. diſſolv. & colat. add. tut. præp. ſcr. i.* alii etiam addunt *flor. zink. ſcr. ſs.* vel *ſacch. ſat. camph. &c. S.* Aqua ophthalmica.

Aliud. ℞. *Aq. roſ. alb. fænic. euphrag. an. unc. ii. ſp. vin. rectif. dr. i. ſacch. alb. tut. præpar. dr. i. M.* S. ut ſupra.

Collyrium aliud anti Ophthalmicum. ℞. *Ov. Gallin. ad duritiem coct. & dempta teſta & vitello cavati, inde ſacch. ſat. gr. vi. camph. gr. ij. vitriol. alb. gr. iij. mell. roſ. unc. ſs. poſtquam pauliſper ita mixta ſteterint, fortiter exprim. & ſi liquor nimis craſſus, add. aq. roſ. q. ſs.* Alii *cavitatem replent vitriol. alb. hinc ſuſpendunt ovum in cella, ut liquor in aquam roſar. ſuppoſitam defluat, & exprim. Colaturæ guttæ aliquot in oculos infunduntur, linteoque madido teguntur.*

Collyrium in forma Linimenti. ℞. *Butyr. recentiſſ. q. pl. lapid. calaminaris in alcohol redact. q. ſs. ut fiat Ung.* Vel ℞. *Butyr. rec. 9. aq. roſ. lot. unc. ſs. tut. præp.*

præp. dr. i. camph. dr. ss. Vel ℞. *Axung. porc. abſque ſale, vino lot. unc. i. camph. ſcr. ss. his mixtis add. ſacch. ſatur. ſcr. i. tut. dr. ss. ocul. canc. præp. corall. rub. præp. marg. præp. an. gr. xv. M. de his ung. tempore ſomni, magnitudo lentis immittatur cantho maiori, & palpebræ inungantur.*

Cataplaſma Anodynum, expertum in doloribus Oculorum & præſertim in contuſ. & vulneribus. ℞. *Pom. dulc.* N. *iii. coq. ex aq. ros. & plantag. ſ. q. ad mollit. traiic. per crib. pulpæ add. ſacch. albiſſ. dr. ii. camph. gr. xi. croc. gr. v. M. F. Catapl. applicandum tepide ac ſæpius iterandum.*

Collyrium in Vulneribus. ℞. *Aq. roſ. fœnic. euphraſ. an. unc. i. tut. dr. i. camph. gr. iii. ſief. alb. ss. op.* vel *ſacch. ſat. ſcr. i. ſacch. cand. alb. dr. i. M.*

Collyrium pro maculis & nebulis detergendis. ℞. *Croc. metall. ſubtiliſſ. pulv. dr. i. vitriol. alb. ſcr. ss. aq. roſ. rub. unc. ss. flor. cichor. per deliq. unc. iii. macerentur tepide per horas 6. filt.*

Aliud. ℞. *Tut. præp. dr. ss. marg. præp. ſcr. ss. camph. vitriol. alb. an. gr. ii. ſacch. cand. alb. dr. i. M. F. Pulv. ſubtiliſſ. m. & v. oculo piſi magnitudine inſpergendus.* Hoc abſoluto, ℞. *Pingued. Thymal. piſc. ſcr. ii. fel. lucii piſc. ſcr. i.* M. *F. Mixt. m. & v. lentis quantitate oculi cantho maior. indenda.*

Aqua experta *Timæi* in Epiphora. ℞. *Tormentill. groſſo modo pulver. dr. i. alum. gr. v. aq. roſ. plant. an. unc. i. ſtent in loco calido per diem & noctem, filt.*

ARTICULUS III.

De Officio Medici, in conſiderandis & præſcribendis Remediis Oticis.

I.

MEdicamenta *Otica* dicuntur, quæ Auribus amica, affectibus eorum ſuccurrunt, & quidem vel intrinſecus cerebrum roborando ſpirituſque vigorando, ut influant, nec ſtationem ſuam deſerant, qualia ſunt cephalica; vel extrinſecus, ſeu detergendo, mundando, ac obſtructiones reſerando, vel humiditates ſuperfluas exſiccando ſeu diſcutiendo, vel flatus reſolvendo vel dolorem leniendo.

II.

IN uſu horum Not. 1. in affectibus Aurium etiam ſemper magis reſpiciendum eſſe ad caput: immò ad alia viſcera, quam ad aurem ipſam. Sic in affectibus aurium quibuſcunque, qui non oriuntur a ſola cauſa externa, Medicamenta martialia, ſplenetica & hypochondriaca ſunt optima. Proinde etiam in otalgia diaphoretica unice proſunt, cum lympha plerorumque, ſi non omnium affectuum aurium potiſſima cauſa ſit. 2. Cavenda eſſe in affectibus aurium, quæ ſpiritus vel nimis confundunt, ut ſternutatoria, vel obtundunt, ut frigida nimis actu vel potentia. 3. Tepida debere eſſe Otica auribus indenda, quæ blandè demulceant, cum frigida nervis & nervoſis partibus ſint adverſa. 4. Priuſquam topica applicentur, ſordes aurium probe eſſe removendas, ut ſcil. aditus pateat, nec viſcoſitate illa ſordida virtus remedii obtundatur.

5. To-

5. Topica forma ſuffitus magis exſiccare, vaporoſa humida magis demulcere, oleoſa & ſpirituoſa magis diſcutere; in ſingulis tamen cavendum, ne quid nimis, cum vaporoſa frequentius uſurpata, partem debilitent, & aquea membranulam laxent.

III.

PRæterea. 6. Not. præſtare Injectiones & decocta clyſteris modo parata omittere, niſi urgeat neceſſitas. 7. Si emolliendum vel demulcendum, topica immediate inſtillari poſſe: contra quando roborandum, cum bombace immitti. 8. Tres vel quatuor guttas de liquidis pro una doſi ſufficere, neque enim conſultum eſt, hunc angiportum obruere. 9. Immiſſis topicis, in autem oppoſitam cubandum eſſe, ut meliùs penetret, & profundius illabatur medicamentum. 10. Valde unctuoſa & viſcida, quæ meatum obviſcant, non temere auribus indenda eſſe, hinc non conveniunt olea craſſa, rancida, pinguedines, linimenta &c. ſi ol. amygd. & pingued. anguillæ vel ſerpent. excipias. 11. Acriora auribus nunquam inſtillanda eſſe, cum tenuis membrana lædi, & facilè erodi poſſit, unde dolor & inflammatio. Valet id in primis in oleis deſtillatis, quorum hæc eſt differentia, ut in primis quædam poſſint ad paucas guttulas immitti, ut leniora, ſi præſertim refracta diſpergantur; hinc commodiſſime olea carminativa permiſcentur cum ol. amygd amar. quædam vero bombace excepta, poſſunt ſaltem indi, ut v. g ol deſtill. aniſ. quædam vero plane vitanda ſunt, vel non niſi parce aliis remiſcenda, ut v. g. ol. deſtill juniper. ſuccin. aliaque calidiora. 12 Immiſſis topicis, autem obturandam eſſe goſſypio moſchato, quod ſolum ſubinde prodeſt. 13. Maſticatoria in applicatione topicorum non eſſe negligenda, ut meatus auditorius qui ab ante ad

os tendit, magis aperiatur; hinc maſticetur cinam. vel cubeb. vel maſtix. &c.

Formulæ

Remediorum Oticorum.

INjectio auricularis in Surditate & dolore. ℞. *Anth. m. ii. coq. in urin. puer. lib. i. ss. ad lib. i. Col. add. Rhodomell. unc. iv. M.*

Decoctum pro evaporatione in Aures. ℞. *Ment. ſalv. puleg. roriſm. cent. min. cinam abrot. an. m. i. bull. in vin. alb. generoſ. ss. q. ad 3. part. conſumpt.* Vel ℞. *Sem. carv. dr. ii. bacc. laur. N. ii. fl. chamom. fol. ſalv. roriſm. an. m. ii. coq. in. ss. q. aq. tempore decubitus excipiatur vapor.* Hinc ℞. *Zibeth. gr. iv. moſch. gr. ii. ol. deſt. ſalv. roriſm. an. gut. iv. hac mixtura imbuatur goſſypium quo aures obturentur.*

Aliud. ℞. *Herb. ſerpill. maior. meliſſ. rut. puleg. abſinth. tamacet. cent. min. an. m. i. roriſm. m. ss. flor. lavend. beton. ſtæch. ſalv. an. m. ss. bacc. laur. unc ii. Juniper. unc. i. coq. ex aq. & vin. alb. ſ. q. colatura ſervetur pro evaporatione, maſticando ſub ea maſt. vel cinam. a fomentatione auribus imponatur goſſypium madefactum Elix. vit. Matth. vel aq. apoplect. vel eſſent. acoviſt. Minſ. vel ſpirit. Anhalt.* aut *aq. Regin. Hungar.* vel *pingued. anguill. aut ſerpent. cum paucis guttis ol. deſtill. aniſ.* vel *ſuccin.* vel *cum Balſ. peruv.* Vel ℞. *Ol. amygd. amar. dr. iii. Balſ. peruv. ſcr. iv. ol. deſtill. roriſm. gut. iii. M.*

Aliud fortius. ℞. *Elleb. alb. dr. ii. pulp. colocynth. ſcr. ss. caſtor. dr. ss. orig. ſerpill. rut. an. m. ss. fol. laur. unc. ss. cubeb. dr. ss. coq. in vin. & aq. an. p. æq. excipiatur vapor.*

Suffitus ſiccus. ℞. *Thur. maſt. ſuccin. an. unc. ss. caſtor. ſcr. i. lign. guaiac. dr. i. ss. ladan. benz. an. dr. ii.*

dr. ii. confract. & inciſ. dentur ad ſcat. Poſt ſuffitum. ℞. *Balſ. peruv. gut. xv. ol. deſt. aniſ. gut. ii. zibet. opt. gr. ii. M. inting. bombax ac particula eius auribus imponatur.*

Alius. ℞. *Lign. aloes dr. ss. maſt. thar. an. ſcr. iv. alipt. moſch. gr. iv. M. profumo, quem accipiat æger per infundibulum inverſum ter de die.* Hinc ℞. *Ol. deſt. lig. Rhod. gut. iv. aniſ. gut. iii. ſuccin. gut. ii. amb. gryſ. gr. iv. diſſolv. ſ. a. & M. cum bombac. moſchat. ad ſcr. ii. ss. detur in Charta S.* Bombax mixt. moſchat. de qua auribus imponatur paulum.

Alius. ℞. *Lig. aloe dr. i. thymiam. benz. an. ſcr. iv. maſt. dr. i. M. pro Suffit* hinc ℞. *Ambr. gr. iii. moſch. gr. ii. rotul. man. Chriſt. N. ii. M. exactiſſimè & inſperge bombac. madefact. cum ol. aniſ. poſt ſuffitum immitte particulam auribus noctu, & repete aliquot diebus.*

Mixtura experta *Plateri*, in Tinnitu aurium ex caſu. ℞. *Aq. vit. cochl. i. ſucc. cep cochl. dimid. ol. deſt. ſpic. gut. iv. M. & auribus inſtill.*

Turundæ acoviſticæ. ℞. *Galb. pic. naval. an. dr. ii. elleb. alb pulv. ſcr. v. zibeth. gr. vi. M. divid. in p. viii. vel x. forma inſtar caryophyllorum in ſindone rariſſima involvendas, filo ad extremitates maiore appenſo, ut ex aure extrahi poſſit.*

Mixtura in Dolore aurium vehementi. ℞. *Ol. amygd. d.* vel *lact. mulieb. dr. ii. caſtor. croc. an. gr. ss. pulv. op. gr. iii. cum goſſypio indatur auri dolenti calide.*

Evaporatio anodyna. ℞. *Fol. plantag. ſolan. an. m. i. fl. chamom. melilot. an. p. i. coq. in lact. pro ſuffumig.* Vel ℞. *Malv. biſmalv. violar. lactuc. an. m. i. ſem. malv. cydon. an. dr. i. ss. fl. cham. melil. roſ. an. p. i. f. Decoct. pro evaporat.* vel *forment.* Hinc ℞. *lact. mulieb. unc. ii. album. ov. in liquorem verſi unc. ii. inſtill. tepidè.*

Cataplaſma anodynum. ℞. *Herb. malv. biſmalv.*

an. m. i. medull. pan. alb. unc. iv. coq. in ſ. q. lact. vacc. vel *capr. ad conſiſt. pul. adde vitell. ov.* ℕ. *ii. ol. roſ. unc. ii. croc. ſcr. i. M. F. Catapl. moderate calide applicandum* . Vel ℞. *Cep. ſub. cineribus coct.* ℕ. *i. butyr. rec. unc. ii. ol. chamom. roſ. an. unc. i. croc. ſcr. i. M. applic. tepide*.

ARTICULUS IV.

De Officio Medici, in præſcribendis Remediis Odonticis, aliiſque Oris & faucium affectibus deſtinatis.

I.

MEdicamenta *odontica* ſunt, quæ Dentibus amica, eos roborant, ſordes detergendo dealbant, vitioſum acidum gingivis & dentibus hoſtile abſorbent, & blanda vi adſtrictoria gingivarum tonum conſervant & roborant. Ad hæc referuntur ea etiam remedia, quæ inaffectibus linguæ, gingivarum, uvulæ ac faucibus conveniunt, ut ex infra annexis formulis videre eſt.

For-

Formulæ

Remediorum Prædictorum.

PUlvis Dentifricius. ℞. *Oſſ. ſep. C. C. uſt. pumic. præp. an. unc. iii. moſch. ſcr. i. aſperge ſpirit. roſ. unc. ss. & ſicca.* Hinc ℞. *Gr. kerm. ſant. rub. an. unc. ss. ſp. vin. q. ſ. pro extrahenda tinctura, qua irrora aliquoties prædictum Pulv. & ſicca.*

Alius. ℞. *Mandib. luc. piſc. corall. alb. C. C. uſt. alum. uſt. rad. Ir. an. unc. ss. ſal. gemm. dr. i. M.* Vel ℞. *Rad. biſtort. alum. corall. alb. an. unc. i. M. F. Pulv. ſubtiliſs.* Vel ℞. *Lapid. pum. ſubtiliſſ. pulv. unc. i. pulv. Ir. dr. iii. Gall. moſch. ver. dr. i. ol. roſ. roſmar. ſalv. cinam. an. gut. vi. ſilic. fluv. albiſſ. calcin. & pulv. unc. iv. pan. ſigil. toſt. pulv. & crib. unc. ii. cin. roſmar. ſalv. juniper tabac. an. dr. i. myrrh. alum. roch. an. dr. ss. M. f. Pulv.* tingi poſſunt, ſi placet, hi pulveres vel *tinct. ſantal. & gr.* Kerm. vel *coccioniglia in aq. aluminoſa ſolut.* & pulveribus aſpera, qui exinde rubeſcunt, vel leni admoti igni, purpuraſcunt.

Aqua Dentifricia. ℞. *Aq. font. dilue in ea ſpirit. vitriol.* vel *alum. q. ſ. ne nimium aceſcat.* Hoc lavamento quotidie m. & v. cum laccinia lanea fricentur dentes. Vel ℞. *Alum. uſt. ſubtiliſſ. pulv. dr. ii. cinam. integ. dr. i. ss. aq. roſ. fontan. an. unc. iv. bull. in phiala vitrea ſupra cineres calidos ad 3. p. conſumpt.*

Paſta Dentifricia Dominarum. ℞. *Criſt. præp. dr. i. ss. pulv. later. lap. pum. an. unc. ss. oſſ. ſep. coral. utr. an. dr. ii. margarit. caryoph. rad. Ir. fl. an. dr. i. Moſch. gr. iv. ſyr. de roſ. ſicc.* vel *mell. roſ. q. ſ. ut fiat Paſta mollis pro dentibus fricandis, colluendo poſtmodum os vino.*

Dentifricium Infantum dentientium. ℞. *Butyr. rec.*

unc. j. mell. deſpum. dr. vj. corall. rub. præp. unc. ss. f. mixt. qua fricentur Gingivæ bis vel ter in die ad dentitionem facilitandam.

Opiata *Borelli*, dentes mundificans, corroborans, ac carnem gingivarum reſtituens. ℞. *Parum alum. ſolve in unc. i. ſp. ſulph. add conſ. roſ.* vel *bugloſſ. unc. vj. M. & deterſo Dentium tartaro admoveatur.*

Alia. ℞. *Alum. dr. ss. diſſolv. ad ignem in unc. iii. acet. hinc add. mell. unc. ij. coq. ſimul donec redeant in formam Opiatæ molis.* Hac mixtura m. & v. gingivæ fricentur.

Dentilavium ſcorbuticum. ℞. *Rad. biſtort. ſem. cochlear. an. dr. ij. alum. dr. i. maſt. dr. iij. coq. in aq. font. ſ. q. ad lib. j. col. add. mell. roſ. unc. ij. M. F. Lot. S.* Dentilavium calidum ſæpè in ore detinendum.

Aliud in Gingivarum eroſione. ℞. *Herb. cochlear. veron. ſalv. prunell. an. m. j. polyp. q. unc. ss. maſt. myrrh. an. dr. ij. alum. dr. ss. inciſ. & contuſ. coq. in aq. ſalv. lib. ii. Col. add. mell. roſ. unc. iii. M. S.* ut ſupra.

Gargariſmus expertus in Prunella febrium. ℞. *Her. ſemperviv. rec. m. iii. canc. viv. N. iv. aq. ſemperviv. maj. unc. iv. acetoſ. fl. nymph. an. unc. iii. M. contund. & exprim. add. acet. fl. ſambuc. roſ. an. unc. i. ss. diſſolv. ſal. nit. præp. ſcr. i. diamor. unc. i. M. S.* Gargariſmus probatus pro angina.

Alius. ℞. *Aq. prunell. unc. iv. acetoſ. frag. plantag. an. unc. ij. ſemperviv. mai. unc. i. diamor. dr. vi.* vel *unc.* j. vel *mell. roſ. diamor. an. unc. ss. troch. de nit. præp. ſcr. i.* vel *dr. ss.* vel *ſpirit. vitriol. gut. x. M. f. Garg.* a cujus uſu lingua & fauces illinantur *diamor. unc. i. ſyr. viol. dr. vi. ſp. vitriol. gut. iv. M.* Vel ℞. *Aq. ſemper viv. mai. prunell. an. lib. i. ſucc. ſemper viv. m. unc. i. ſal. prun.* vel *armon. dr. i. M.*

Gargariſmus albus in Aphthis & Anginæ principio. ℞. *Aq. plantæg. roſ. rub. ſpermac. ran. an. unc. iv.*

iv. album. ov. in aquam agitando redact. ℞. *iii. ſacch. cand.* vel *cryſtall. unc. i. M.*

Gargariſmus in dolore, ulcere & inflammatione Uvulæ & Tonſillarum. ℞. *Decoct. hord. com. m. i.* vel *ii. fl. malv. hort. aut roſ. rub. lib. i. rob. diamor. mell. roſ. an. unc. i. ss.* vel *diamor. mell. roſ. ſyr. de roſ. ſicc. an. unc. ss. ſp. vitriol. ſcr. ss. M. pro Gargariſmate. S.*

Alius in Angina. ℞. *Aq. plantag. ſolan. roſ. caprifol.* vel *equiſ. an. unc. iii.* vel ℞. *Rad. biſtort. dr. ij. capul. gland. dr. i. fl. roſ. rub. m. ss. balauſt. p. i. herb. plantag. ſcabioſ. an. m. ss. inciſ. & coquaſſ. coq. ex aq. ſ. q. in Col. lib. i. diſſolv. mell. roſ. unc. ss. diamor. unc. i. ss.* alii etiam addunt *ſp. ſulph. q. ſ. ad notabilem acidit.*

Alius ſimul anodynus, *Foreſto* maxime uſualis. ℞. *Lact. capr. aq. plantag. an. lib. ss. M.*

Gargariſmus ſuppurans fit, ex *decoct. ficuum & mal. in lacte cum integro croco* vel ℞. *Rad. alth. dr. vi. glyc. dr. ii. fl. malv. lil. alb. an. m. ss. fic. arid.* ℞. *vi. coq. cum aq. malv.* vel *lact. ad 3. in col. lib. i. diſſolv. mell. roſ. unc. i. M.*

Gargariſmus in Faucium ac gulæ exulceratione, fiſſuris ac ardore utilis. ℞. *Hord. mund. m. i. C. C. raſp. unc. i. herb. prunell. fl. malv. arbor. an. m. ss. fol. ſemperviv. m. m. i. ſem. cydon. plantag. an. dr. ii. gammar. fluv. contuſ.* ℞. *vi inciſ. & contuſ. coq. ex aq. font. lib. iii. ad 3. p. conſumpt.* Colatura hac ſæpius os colluatur, ſorbillando ſubinde *unc. i.* vel *ii.* Hinc de ſequenti Mixtura cochl. j. ſenſim frequenter lingat. ℞. *Mucilag. ſem. cyd. aq. roſ. fact. meli. roſ. an. unc. ii. ſucc. ſemperviv rec. cochl. iv.* M.

Gargariſmus detergens; in rupto Abſceſſu. ℞. *Scab. fl. roſ. an. m. i. coq. ex aq. hord. ſ. q. in col. lib. i. diſſolv. mell. roſ. unc. ii.* M.

Alius in Ulceribus Faucium. ℞. *Herb. prun. cochl. plantag. an. m. i. coq. ad lib. i. in col. diſſolv. diamor.*

mell. roſ. an. unc. i. ſp. ſulph. ſcr. i. M. vel ſeq. in morbo Gallico probatus. ℞. *Roſ. rub. balauſt. an. m. ii. Gall. dr. ii. gland. unc. ss. plantag. ſicc. m. i. ss. cort. arant. alum. uſt. an. dr. iii. coq. in aq. plant. ad conſumpt. 3. p. add. mell. roſ. col. unc. iii.* M.

Collutio oris in Dentium vacillatione. ℞. *Cort. gran. unc. i. ss. balauſt. dr. i. roſ. rub. dr. ss. alum. dr. ss. herb. ſalv. m. i. roriſm. dr. i. ss. ſem. coriand. dr. ii. inciſ. & contuſ. dentur ad chart. de his cochl. i. bull. in ſ. q. vin. aq. & acet. teneatur in ore.*

Alia in Gingivarum laxitate. ℞. *Fl. roſ. rub. balauſt. malv. arbor. an. dr. ss. fol. naſturt. aquat. ment. ſatur. an. m. i. hyſſop. ſalv. an. m. ss. f. Decoct. in aq. fab. ad lib. i. in colat. diſſolv. alum. dr. i. diamor. mell. roſ. col. an. unc. i. ss.* M. *hinc fiat inunctio.* ℞. *Mell. roſ. col. diamor. an. unc. i. ſp. vitriol. q. s.* M.

Linctus in Prunella. ℞. *Mucilag. ſem. pſyll. cydan. malv. cum aq. rub. idæ*, vel *ſpermat. ran. extr. an. unc. ss. ſucc. ſemperviv. maj.* vel *ſyr. viol.* aut *portul. dr. vi. nit. depur. dr. ss.* vel *ſcr. ii. M. S.* Syrupus pro angina.

Alius in Faucium & Palati excoriatione à colore febrili. ℞. *Sem. pſyll. cydon. an. dr. i. ss. Gum. tragac. dr. i. cum s. q. aq. roſ. extrahatur mucilago ſatis liquida*, add. *ſyr. viol. parem quantitatem, f. inſtar Gelatin. qua utatur æger frequenter ex cochl. diuq. in ore contineat.*

Linimentum melluminatum ad Ulcera Faucium & Gingivarum ℞ *Pulv. aquileg. ſalv. ment. nuc. moſch. an. dr. ii. alum uſt. unc. ss. mell. unc. ii. M. S.*

Aliud. ℞. *Alum. crud. dr. i. ss. fl. aquileg. fol. ſalv. an. dr. ii. rad. Ir. flor. dr. i. ss. myrrh. el. ſcr. ii. mell. roſ. cum ſp. ſal. acific. q. ſ. M. f. Linim.* vel ℞. *Syr. de roſ. ſicc. mell. roſ. an. dr. ii. ss. maſt. elect. pulv. dr. ss. ſp. vitriol. gut. iii. M.*

Cataplaſma in Angina. ℞. *Rad. alth. unc. i. ss. fol. malv. violar. an. m. i. fl. cham. melil. an. p. i. coq. in aq.*

in aq. ad. mollit. piſt. add. farin. ſem. lin. fœnugræc. hord. an. unc. i. nid. hirund. in pulv. redact. unc. ii. ol. amygd. viol. butyr. rec. an. unc. ii. ol. cham. unc. i. M. f. Catapl. ab aure ad aurem per collum callide applicandum.

Aliud. ℞. *Farin. hord. fab. an. unc. iv. nid. hirund. unc. ii. ſterc. canin. alb. exſicc. unc. i. ss. mell. unc. ii. ol. roſ. q. s. M. f. Catapl.* Vel ℞. *Nid. hirund. N. i. ſtercor. can. alb. i. coq. in vin.* vel *lact. ad conſiſt. pul.* vel *piſtentur. cum mell. & axung. porc.*

ARTICULUS V.

De Officio Medici, in præſcribendis & conſiderandis Medicamentis Thoracicis.

I.

MEdicamenta *Thoracica* ſeu *Pneumonica* ſunt, quæ pulmonibus appropriata eorum tonum ſartum tectumque conſervant, ac humores in iis contentos ad anacatharſin præparant. Actionem ſuam exercent, vel humores craſſos viſcidos incidendo, attenuando, & detergendo, ac membranam interiorem ad contractionem & excretionem irritando, atque hæc dicuntur præ ceteris *Bechica* & *arteriaca*, quæ conveniunt in tuſſi, aſthmate, expectoratione difficili, catarrho ſuffocativo &c. de quibus ſupra. Vel humores tenues, acres, ſalſos, titillantes & rodentes incraſſando, pepaſmum inducendo, orgaſmum tollendo, & acrimoniam fluxilem retundendo; atque hæc audiunt *intercipientia*, utilia in tuſſi ferina, hæmoptyſi, catarrhis ſalſis &c. Vel ſtagnantem ſan-

guinem, ſerumque ſpiſſeſcens & in coagulum abiturum, reſolvendo & diſcutiendo, ut in aſthmate; vel pulmones læſos, eroſos & ulceroſos, vi balſamica & vulneraria detergendo & conſolidando, ut in Phthiſi &c.

II.

Circa uſum horum Not. 1. in *Bechicis* ſemper humoris expectorandi qualitatem attendendam eſſe, ut inter incidentia & incraſſantia accurata fiat diſtinctio, neque dentur incraſſantia, ubi viſcoſi & tenaces peccant humores, nec incidentia & attenuantia, ubi tenues, ſalſi & acres. 2. In affectibus ſubinde magis prodeſſe reſolventia, quam expectorantia, cum ſint quaſi anima pectoralium. Sic in pleuritide & aſthmate magis reſolventia: in tuſſi & Phthiſi magis Bechica conveniunt, interim pro re nata hæc varie miſceri poſſunt. 3. In pectoralibus vitanda nimis exſiccantia, vel ſaltem cum humidis miſcenda. 4. Vitanda quoque nimis laxantia, tam interna, quam externa. Illa tonum debilitant, ventriculum dejiciunt, ac inappetentiam cient, hinc bechicis linctibus in magna copia & continuo uti, non eſt conſultum: hæc verò poros ampliando & magis dilatando, ad fluxum recipiendum magis diſponunt, unde in unguentis pectoralibus etiam cautio eſſe debet. 5. Bechica ſenſim magis ac pedetentim, quam una vice deglutienda, pitiſando nempe & ſorbendo ut ſcil: pars ad aſperam arteriam feratur & derivetur magis. 6. Decocta pectoralia præferenda ſæpius eſſe linctibus dulcibus. 7. Pectori inimica eſſe frigida, acida, ſalina, nitroſa, & vitriolica; illa ſerum coagulando: reliqua partim irritando, partim fundendo. Intelligendo tamen hæc ſingula de pectore vel debili, vel eroſo & eſſentialiter affecto; hinc acida in genere conveniunt aliquibus in caſibus, ſed ordinarie pulmonibus nulla eroſione

ne contaminatus, ſic v. g. proſunt, in pleuritide, pro tuſſi juvanda & conſervanda; in aſthmate, incidendi fine, mixta tamen & refracta cum dulcibus.

Formulæ

Remediorum Thoracicorum.

DEcoctum Pectorale in Pleuritide & Peripneumonia uſuale. ℞. *Rad. liq. unc. ss. tuſſilag. dr. iii. herb. ſcabioſ. capill. ven. chærefol. heder. arbor. card. b. an. m. ss. fl. bellid. papav. errat. an. p. ii. viol. p. i. ſic. N. v. jujub. ſebeſt. an. N. ix. paſſul. min. mund. unc. i. ſem. melon. excort. malv. an. dr. ii. coq. ex. aq. hord. s. q. in Col. lib. i. diſſolv. ſyr. fl. rhæad. unc. i. ss. de liq. de ſucc. card. b. an. unc. i. ſpirit. ſulph. acid. gut. xv. M. S.* Decoctum pectorale pro 3. vel 4. vicibus.

Decoct. ad Tuſſim, aliaſque Pulmonum læſiones. ℞. *Raſur. lig. ſaſſafr. unc. i. maceretur in aq. font. lib. vi. add. rad. leviſt. unc. ss. enul. dr. iii. herb. heder. terreſt. ſcabioſ. pulmonar. an. m. ii. ſem. aniſ. fœnic. an. dr. iii. coq. ad. 3. addendo in fine rad. liq. unc. ss. paſſul. min. conquaſſ. dr. vi. Col.*

Aliud ad Tuſſim. ℞. *Rad. enul. Ir. flor. an. dr. vi. herb. ſcabioſ. veron. hyſſop. heder. terreſt. an. m. i. fic. ping. N. v. ſem. aniſ. dr. iij. inciſa coq. ex cereviſ.* vel ℞. *Fic. N. vij. paſſul. m. j. zibeb. un. ss. Jujub. N. z. ſiliq. dulc. dr. vi. mell. unc. ij. ss. coq. in ſ. q. ad 3. addendo ſub finem acet. opt. unc. iij. Col. & clarif. dentur lib. iij. bibat quotidie bis lib. ss.*

Apozema antiphthiſicum. ℞. *Rad. chin. inciſ. dr. iij. raſur. ebor. dr. i. raſ. C. C. dr. i. ss. dactyl. N. vi. viij. infund. in aq. font. ſ. q. per noct. mane add. fol. arnogloſſ. bugul. agrimon. veron. virg. aur. capill. ven. an. p. ii. hord. p. ii. uv. paſſ. enucleat. m. ſ. coq. ad. lib.*

lib. ij. col. add. conſ. roſ. rub. unc. ii. ſtent ſimul per horas 3. *Col. S.* Apozema antiphthiſicum, de quo mane, veſperi & nocte hauſtus ſumendus.

Aliud. ℞. *Rad. chin. in taleol. inciſ. unc. i. ſaſſafr. ſant. cit. an. unc. ss. macerentur in aq. font. menſ. ii. ss. add. herb. hed. terreſt. pulmon. ſcabioſ. an. m. ij. ſem. aniſ. fœnic. an. unc. ss. rad. liq. dr. iij. paſſul. min. unc. j. coq. ad* 3. *Col.*

Aliud. ℞. *Rad. ſymph. maj. glyc. an. unc. ss. fol. marub. tuſſilag. pulmonar. veron. ſanic. agrimon. bugul. an. m. ss. fl. ſcabioſ. viol. an. p. ij. paſſul. min. dr. vi. ſant. rub. dr. ij. ss. coq. in ſ. q. aq. in Col. lib. i. ss. diſſolv. looch. de pulm. vulp. de ſymph. Fernel. de Jujub. an unc. ss.* vel *injice conſ. roſ. rub. rec. unc. i. ss.*

Julapium Pectorale. ℞. *Aq. ſarfar. ſcabioſ. veron. hyſſop. an. unc. iij. ſyr. de jujub. de liq. an. unc. i. ss. M. S.* Julapium pectorale pro 4. vicibus.

Mixtura Pectoralis anti Aſthmatica *Timæi*. ℞. *Looch. ſan. & expert. unc. i. aq. aſthmat. unc. iv. cinam. unc. iii. fœnic. unc. ii. veron. ſcabioſ. an. unc. i. ss. ſp. card. b. angel. an. dr. i. M. S.* Mixtura pectoralis anti Aſthmatica cochleatim adhibenda.

Aqua Aſthmatica. ℞. *Aq. ceraſ. nig. hyſſop. veron. fl. acac. an. unc. i. aſthmat. unc. i. ſpirit. aniſ. eſſent. ſacch. an. dr. ii. Balſ. ſulph. aniſ. terebinth. an. ſcr. i. confect. Alk. incompl. dr. ss. extr. croc. gr. vi. ſacch. perlat. unc. ss. M.*

Alia. ℞. *Pulv. Gumm. ammon. dr. i. aq. hyſſop. vin. Rhen. an. unc. ii. M.* Vel ℞. *Aq. ceraſ. nig. hyſſop. an. unc. ii. epil. Lang. aſthmat. an. unc. ss. ſpir. ceph. Anhalt.* vel *Elix. vit. Matth. dr. ii. aniſ. opt. dr. ii. ss. moſch. amb. an. gr. i. ſacch. cand. alb. unc. ss. M.*

Aqua Pectoralis, & antiphthiſica. ℞. *Aq. antiphthiſ. Minſ. unc. ix. magiſt. corall. perl. an. ſcr. ii. lact. ſulph. dr. i. fl. ſulph. ſcr. i. ss. ſacch. cand. alb. pulv. unc. ss. M.*

Mixtura Pleuretica. ℞. *Aq. card. b. ſcabioſ. chærefol.*

an. unc. i. ſs. ocul. canc. præp. antim. diaph. an. i. vel dent. apr. mandib. lucii piſc. ſpirit. ſal. mon. an. ſcr. ſs. laud. op. gr. dimid. iul. viol. dr. M.

Emulſio antipleuritica. ℞. Sem. mel. excort. unc. ſs. d. Mar. card. b. an. dr. ſs. amygd. d. dr. iii. pi. dr. ii. aq. ſcabioſ. fl. rhœad. card. b. an. unc. i. M. f. Emulſ. add. pulv. antipleurit. ſcr. i. vel raſ. nt. apr. ocul. canc. an. ſcr. ſs. man. chriſt. perl. dr. ſs. M.

Emulſio in Phthiſi utilis. ℞. Sem. melon. excort. vi. papav. alb. dr. i. amygd. d. excort. N. xxx. n. alb. probe toſt. unc. i. ſs. aq. veron. ſcabioſ. hyſ. p. an. unc. iii. borrag. viol. an. unc. iv. ſacch. cand. unc. i. M.

Brodium antiphthiſicum. ℞. Pullum exenteratum in ventre pone ſacch. roſ. unc. iii. item veron. heder. reſt. vel aliam herbam antiphthiſicam coq. lento igne olla cooperta in ſ. q. aq. relinquatur per noctem pra cineres calidos, mane ſumatur pullus contuſus um Brodio.

Aliud. ℞. Succ. expreſſ. naſturt. bellid. chærefol. ad. ochlear. ii. vel iii. cum pauxillo mell. roſ. diſſolv. in ſ. brod. carn. Vel ℞. Herb. prædictas aut alias huius irtutis ad m. ii. vel iii. contuſ. affund. brod. carn. ſa. ii, ebulliant unc. iv. vel v. Cod. add. mell. parum.

Brodium antiaſtmaticum. ℞. Sperm. cet. dr. i. iſſolv. in s. q. brod. carn.

Aliud antipleuriticum. ℞. Ol. depur. lin. unc. ii. ol. ntiſ. gut. iv. diſſolv. in s. q. brod. carn.

Decoct. Galli veteris, in affectibus Thoracis. ℞. ad. enul. tuſſilag. an. dr. vi. liq. unc. s. herb. heder. erreſt. ſcabioſ. an. m. ii. veron. pulmon. tuſſil. an. m. i. art. alb. unc. i. agar. dr. ii. inciſa indantur ventri alli veter. exenterat. coq. in aq. s. q. tamdiu, donec mnis caro ab oſſibus abſcedat, exprim. & col. doſ. uotidie unc. iv. vel v. cum gut. ix. Balſ. ſulph. anis.

Ele-

Electuarium Antiphthiſicum. ℞. *Conſ. roſ. veter. unc. ii. pulv. haly. rec. præp. dr. ii. antihect. Poter. dr. ss. Bals. ſulph. aniſ. gut. vii. ſyr. de ſymph. Fernel. q. s. M. F. Elect.* vel ℞. *Conſ. roſ. rub. fl. bellid. an. unc. i. looch. ſan. & expert. de pulm. vulp. de far. far. an. unc. ss. pulv. Haly. anonym. an. dr. ss. ſulph. ſcr. i. ſpec. diatrag. fr. ſcr. ii. ſyr. viol. papav. errat. an. q. ſ. M. F. Elect. S.* Electuarium ſingulare Antiphthiſicum, de quo ter in die quantitas nucis ſumenda.

Electuar. Aſthmaticum. ℞. *Fl. ſulph. unc. i. ss. cinam. dr. ss. z. z. ſcr. ii. croc. dr. i. moſch. gr. vi. mell. deſpum. unc. iii.* vel *q. s. M. F. Elect. S.* Electuarium anti aſthmaticum de quo 3. drachmæ bis in die ſumendæ.

Eclegma antiphthiſicum ex ſuccis. ℞. *Succ. ſymphyt. mai. lib. i. ſanguiſorb. veron. roſ. rub. ſalv. min. heder. terreſt. farfar. portul. an. unc. iv. depur. & s. q. ſacch. albiſſ. redig. in formam Looch.*

Looch album. ℞. *Ol. amygd. d. ſacch. penid. an. p. æq. M. exacte, ut abeant in maſſam albiſſ.*

Looch domeſticum. ℞. *Ol. amygd. d. rec. unc. iv. ſyr. Jujub. capill. ven. an unc. ii. ſacch. alb. dr. ii. M. in mort. marmor. S.* Syrupus pectoralis.

Linctus contra Tuſſim, Pleuritidem & Aſthma, vid. ſupra de expectorantibus.

Morſelli Pectorales. ℞. *Looch. ſan. & exper. dr. v. ſpec. diair. dr. ii. condit. rad. enul. unc. i. cort. arant. dr. vi. fl. benz. gr. v. ſacch. albiſſ. in aq. fœnic. ſol. lib. ss. M. F. Morſul. S.*

Trochiſci pectorales. ℞. *Extr. glyc. dr. ii. amyl. dr. vi. moſch. zibeth. an. gr. i. ss. ol. anis. gut. vi. ſacch. albiſſ. unc. vi. mucilag. gumm. tragac. q. s. M. f. Trochiſci.*

Rotulæ antiphthiſicæ. ℞. *Succ. glyc. inſpiſſ. unc. ss. ſpec. diair. ſcr. iv. fl. ſulph. ſpec. diatrag. frig. an dr. i. ſacch. penid. unc. i. ss. ol. aniſ. gut. vij. cum ſ. q. mucilag.*

lag. trag. f. Troch. maiores. *S.* Rotulæ peculiares pe-ctor: & in Tuſſi de quibus juxta placitum ſumatur.

Aliæ. ℞. *Pulm. vulp. præp. dr. i. extr. enul. pulv. ſpec. haly. an. ſcr. ii. ss. fl. ſulph. ſcr. i. benz. gr. v. ſacch. fin. in aq. tuſſilag. diſſol. unc. ii. ss. M. f. Rotul. add. ol. aniſ. gutt. x.*

Aliæ præſtantes. ℞. *Antim. diaph. ex regul. dr. i. fl. benz. ss. ſuccin. alb. præp. maſtich. ſubtiliſſ. pulv. ſpec. diatrag. frig. an. ſcr. iv. croc. orient. gr. xv. eſſent. amb. ſicc. gr. xvi. ol. antiſ. gut. vi. fœnic. gut. ii. ſacch. albiſſ. in aq. ceraſ. nig. diſſol. unc. iii.* M. f. Confect. in Rotulis.

Pulvis antiphthiſicus. ℞. *Fl. ſulph. unc. i. ss. diair. tabulat. unc. ss. M. F. Pulv.* S. Pulvis antiphthiſicus, de quo pondus ducati aurei, in ovo recenti ebulito ſumendum.

Alius. ℞. *Balſ. ſulph. dr. ii. impaſt. cum ſacch. cand. alb. unc. ii. pulv. ſucc. glyc. rad. enul. Ir. flor. laſt. ſulph. an. ſcr. ii. ſpec. diatrag. frig. dr. i.* M. F. *Pulv.* Vel ℞. *Fl. ſulph. ter ſublim. ſcr. ii. ss. Pulv. anonym. pulm. vulp. præp. Haly. an. dr. i. ſperm. cet. dr. i. ſacch. penid. unc. i.* M. F. *Pulvis*

Alius. ℞. *Pulv. Haly. ſpec. diair. diatrag. fr. an. dr. i. fl. ſulph. ter ſublim. ſcr. ii. benz. gr. xv. ſacch. cand. alb. unc. ii. s. fol. aur. N. vii. M. F. Pulv. S.* Pulvis antiphthiſicus de quo una drachma in juſculo hordei ſumenda.

Alius. ℞. *Viſc. querc. herb. ſalv. an. unc. i. pulmon. veron. an. unc. ss. rad. enul. pulm. vulp. præp. an. dr. ii. exſicc. & ſeorſim pulveris,* add. *ſacch. albiſs. ad pondus omnium. Detur ter in die ad cochl. i. ſuper buccella pan. vino madid.*

Pulvis antipleuriticus. ℞. *Sal. prun. dr. ii. Pulv. fl. papav. errat. corall. rub. an. dr. i. magiſt. dent. ap.* vel *mandib. luc. piſc. ocul canc. an. ſcr. i. ſacch. viol. unc. ss.* M. *f. Pulv.* doſ. *a ſcr. i. ad ii. ex aq. papav. errat.*

Pulvis antiaſthmaticus. ℞. *Fl. ſulph. dr. i. benz. dr. ss.*

Vel

Vel ℞. *Spec. diamoſch. d. compl. ſcr. ss. Gumm. ammon. gr. v. benz. gr. iv. croc Auſt. gr. v. M.*

Pulvis pectoralis Michaelis. ℞. *Rad. aron. crud. pulv. unc. i. ſulph. opt. commun. benz. pulv. an. dr. ij. antibect. Poter. unc. ss. ſacch. q. ſ. vel pro lubitu M. f. Pulv. cujus* doſ. *a dr. ss. ad dr. i.*

Tragæa in affectibus Pectoris. ℞. *Liq. raſ. dr. ij. ſem. aniſ. fænic. an. dr. i. ss. caſſ. lign. dr. ij. cubeb. dr. i. rad. Ir. flor. dr. i. ss. ſacch. roſ. tabul. unc. iv. ol. deſtill. aniſ. vel fœnic. gut. xi. M.*

Lotio pedum in Aſthmate. ℞. *Herb. maior. roriſm. an. m. i. hyſſop. orig. lavend. ſerpill. fl. chamom. an. m. ii. roſ. calend. an. m. i. M. pro lavacro pedum. S.* Species pro lotione pedum.

Unguent. pectorale. ℞. *Ung. pectoral. unc. i. de alth. unc. ss. ol. irin. amygd. d. an. dr. ii. croc. ſcr. i. M.* Vel ℞. *Pulv. cep. ſub. cineribus coct. unc. iii. cui* add. *ol. viol. irin. lin. an. unc. ss. ung. pectoral. unc. i. croc. orient. ſcr. i. M. S.*

Aliud antipleuriticum. ℞. *Ung. de alth. pingued. mur. mont. an. unc. i. ol. amygd. d. unc. ss. camph. ſcr. i. M.*

Cataplaſma pectorale, expectorationem promovens. ℞. *Hord. crud. ad mollit. coct. in aq. malv. lib. ss. piſetur.* add. *ol. viol. amygd. d. an. unc. i. croc. ſcr. i. M.*

Aliud in dolore pleuritico. ℞. *Rad. alth. lil. alb. an. unc. ii. fol. malv. violar. parietar. an. m. i. ſem. lin. fœnugræc. an. dr. iii. fl. chamom. melil. papav. errat. an. p. ii. coq. in ſ. q. lact. ad mollit. contuſ.* add. *ol. amygd. d. chamom. lil. alb. an. unc. i. ss. ping. gallin.* vel *ung. rub. potab. unc. i. farin. ſem. lin. q. ſ. M. f. Catapl.*

Ex ſpeciebus prædicti decocti, parari etiam poſſunt Sacculi & Fomenta &c. Plura de his vide ſuperius in remediis. expectorantibus.

ARTICULUS VI.

De Officio Medici, in conſiderandis & præſcribendis Remediis Cordialibus.

I.

MEdicamenta *cordialia* ſeu *cardiaca* ſunt, quæ cordi familiaria, illud reſpiciunt, vel flammulam vitalem depreſſam, nec ſatis emicantem inſtaurando, & particulis ſuis volatilibus ſulphureis, ſeu oleoſis & balſamicis, ſeu ſpirituoſis, alacriorem ſanguinis in corde rarefactionem, & in ſpiritus exaltationem promovendo; qualia conveniunt in languoribus cordis, laſſitudine cum malignitate, ſenio, pallore, frigore, cachexia, virium debilitate, aliiſque affectibus, ubi ſpiritus deficiunt, ac particulæ ſulphureæ volatiles & ſpirituoſæ, vel obtuſæ, vel non ſufficienti quantitate vigoratæ ſunt, vel illud reſpiciunt, eandem loculam vitalem p. n. exardentem, ut alienis quaſi urat flammis, particulis ſuis aqueis, acidis, nitroſis, mucilaginoſis & adſtringentibus refrænando, ſulphureaſque, balſamicas & mercuriales volatiles particulas, nimis efferatas deprimendo, obtundendo & præcipitando, vel agunt ſanguinis grumeſcentiam & coagulationem corrigendo, acidumque illud inſpiſſans & coagulans abſorbendo, vel nimis fuſam & rarefactam M. S. ut ſpiritus ſuos vix contineat, conſtipando, firmando, ac ſulphur concentrando, vel peregrinum malignum fermentum, calidum vitale oppugnans diſcutiendo, vel ſpiritus recreando, reſtaurando, vel eos veluti torpidos & ſopitos excitando.

II.

QUoad legitimum horum adminiſtrandi & applicandi modum. Not. 1. Alterationem exceſſivam in utramque partem cordi non convenire, hincque cavendum eſſe, & animis refrigerantibus, quæ motum ſpirituum præpediunt, & ab exceſſive calefacientibus, quæ eundem diſſipant. 2. In debilitate virium non ſtatim ad conſortantia cordialia, nec ad illa quidem ſola confugiendum, ſed cauſas inſuper removendas eſſe, niſi urgeat indicatio vitalis: præterea convenire aerem liberiorem & diætam convenientem. 3. Cordialibus volatilibus, rarefacientibus & reſolventibus, interponenda eſſe tonica quæ calorem conſervant; ac villos & fibras nerveas tuentur. 4. Cordialia debere eſſe quam maxime penetrantia, tum præcipue interna, tum etiam externa; hinc epithematibus acetum & camphora additur, ac eadem ex penetrantibus ſpirituoſis compoſita, omiſſis fixioribus, quæ in poros non admittuntur, non ſunt de nihilo. 5. Cordialia omnino non poſſe omnia, ſed eadem ab invicem diſtinguenda, neque confundenda fixa cum volatilibus, generalia cum ſpecialibus, neque alimenta cum medicamentis. Sic fixa præſtantiora ſunt, ſi humores acidi abſorbendi; vel fermentatio & orgaſmus bilioſus ſedandus: volatilia vero & aromatica, ubi ſpiritus magis intendendi & excitandi. 6. Moſchatis & ambratis non abutendum eſſe, cum nimis rarefaciant, ac in motum cieant ſpiritus, eoſque inquietos reddant, præſertim in febribus, palpitatione cordis & hæmorrhagiis.

For-

Formulæ

Remediorum Cordialium.

JUlepus Cordial. ℞. *Aq. borrag. bugloſs. rub. idæ. an. unc. i. cinam. bugl. dr. ss. ſucc. cit. rec. dr. vi. confect. alk. dr. i. ſyr. de rub. idæ. unc. ss. M. S.* Julepus cordialis cochleatim adhibendus. Vel ℞. *Syr. rub. idæ. unc. i. conf. alk. ſcr. ii. ſpir. roſ. ſcr. i. aq. ceras. nig. unc. iii. ſp. vitriol. q. ſ. M.*

Julapium vitæ. ℞. *Vitell. ov. rec. N. ii. ſacch. albiſs. unc. ss. ol. cinam. gut. iii. vin. alb. vel Hiſpan. aut malvat. unc. vi. M. exactè.* Si efficacius velis, add. *ambr. gr. ii. ol. deſt. cit. gut. iii. conf. alk. ſcr. ii. M.*

Julapium Perlatum. ℞. *Aq. cit. borrag. meliſs. ceraſ. nig. an. unc. iii. ſpirit. ceraſ. nig. unc. i. ſacch. albiſs. dr. vi. marg. præp. dr. i. ss. M. agitentur optimè ſ. a. S.* Julapium perlatum, de quo 3. aut 4. coclearia plena in languore ſumantur.

Aqua cordialis in Febribus malignis. ℞. *Aq. borrag. bugl. an. unc. i. ss. ceraſ. nig. acetoſ. an. unc. i. roſ. cinam. an. dr. vi. marg. præp. à ſcr. i. ad dr. i. bez. orient. gr. vi. man. chriſt. perl. dr. vi. M. S.* Aqua cordialis perlata.

Alia. ℞. *Aq. borrag. bugl. fl. cit. ſcorz. an. unc. i. ss. card. b. card. M. an. unc. ss. cinam. bugl. dr. ii. ſpec. de hyac. ſmaragd. præp. an. ſcr. i. ss. bez. orient. ſcr. ſ. man. Chriſt. perl. q. ſ. ad gratiam ſaporis.*

Aqua cordialis in Hypercatharſi & fluxibus alvi. ℞. *Aq. card. frig. unc. ii. ss. rub. id. frag. roſ. an. unc. i. cinam. bugl. unc. ii. carbunc. unc. i. marg. præp. ſcr. i. C. C. uſt. ſcr. ii. corall. rub. præp. ſcr. i. ſmaragd. præp. ſcr. ss. ſpirit. rub. id. dr. ss. roſ. ſcr. i. myv. cydon. unc. ss. M. S.* Aqua cordialis peculiaris ad confortandum & ſiſtendum.

Aqua perlata. ℞. *Aq. 4. cord. ceraſ. nig. an. unc. i. cit. ex toto namph. an. unc. ss. cinam. bugl. unc. ss. marg. orient. præp. ſcr. ij. magiſt. corall. ſcr. i. ss. C. C. uſt. præp. ſcr. i. man. chriſt. perl. dr. ii. M.*

Aqua Confortativa cum confect. Alkerm. ℞. *Aq. borrag. bugl. an. unc. i. ss. ceraſ. nig. acetoſ. roſ. an. unc. i. cinam. unc. ss. conf. alk. compl. dr. i. marg. præp. ſcr. i. vel dr. ss. man. chriſt. perl. unc. ss. M.*

Alia in fluxibus ſanguinis. ℞. *Aq perlat. uſitat. ceraſ. nig. cordial. temperat. borrag. bugl. an. unc. j. cinam. cydoniat. dr. iii. corall. rub. præp. marg. præp. an. ſcr. i. C. C. uſt. præp. ſcr. i. s. lap. bez. orient. gr. iiii. ſyr. acetoſ. cit. unc. ss. man. Chriſt. perl. dr. ii. M.*

Aqua confortativa in Gravidis. ℞. *Aq. perlar. uſitat. ceraſ. nig. cord temper. borrag. an. unc. ii. cinam. cydoniat. unc. ss. Balſ. embryon. unc. i. lap. bez. or. gr. vii. marg. præp. corall. rub. præp. C. C. philoſ. præp. an. ſcr. i. confect. alk. incompl. dr. i. ſyr. gran. man. Chriſt perl. an. unc. ss. M.*

Emulſio perlata *Montagnanæ* ℞. *Aq. Borrog. à flor. in vit. deſtill. lib. i. marg. præp. dr. iii. aq. cinam. unc. i. M. in mort. marmor.*

Alia *Craton.* ℞. *Marg. orient. præp.* vel *magiſt. perl. dr. i.* vel *perlar. præp. dr. ss. aq. fl. borrag. unc. iii. cordial. frig. unc. i. cinam. bugl. unc. ss. Jul. roſ. q. ſ. M. S.* lac perlatum.

Alia. ℞. *Amygd. d. excort. dr. vi. ſem. 4. fr. m. excort. an. dr. i. aq. borrag. bugl. an. unc. i. ss. typh. cerv. unc i. M. f. Emulſ.* add. *magiſt. perlar. dr. i. ſp. roſ. rub. idæ. an. gut. xi. man. Chriſt. perl. q. ſ.*

Electuarium Cordiale. ℞. *Conſ. roſ. rub. vitriolat. unc. iv. pulp cit condit. unc. ii. condit. cit. unc. i. ss. fl. cit. condit. unc. i. magiſt. perlar. corall. an. ſcr. ii. conf. alk. de hyac an. dr. ii. ſyr. perlar. orient. & gran. dulc an. q. ſ. M. f. Elect. S.*

Aliud. ℞. *Conſ. roſ. rub. unc. iv. bugl. unc. ii. affund.*

effund. ſp. vitriol. gut. xiii. M. in mortar. lapid. add. *conf. alk. dr. ii. ſpirit. rub. id. dr. i. ſyr. fl. tun. q. ſ. M. F. Elect. tegend. fol. aur.* S. ut ſupra. de quo interdum quantitas caſtaneæ ſumenda.

Aliud in plapitatione Cordis. ℞. *Conſ. roſ. rub. unc. ii. meliſs. cit. an. unc. i. conf. alk. de hyac. an. dr. i. ſpec. diamarg. fr. diarrhod. Abb. an. dr. ss. corall. rub. præp. ſcr. i. ſyr. de limon. q. ſ. M. f. Elect.*

Morſelli Cordiales. ℞. *Confect. alk. de hyac. an. unc. ss. pulv. cordial. Timæi dr. ii. condit. cort. cit. unc. i. ss. fl. cit. dr. vi. ſp. roſ. rub. id. an. dr. i. ſacch. albiſs. in ſucc. cit. ſol. lib. i. M. S.*

Alii ſimul Stomachici, ℞. *Confect. alk. compl. ſpec. pro morſul. Imperat. an. unc. ss. cort. rec. cit. arant. an. dr. iii. amygd. d. excort. unc. i. ſacch. in aq. roſ. ſol. lib. i. M.*

Tabulæ Cordiacæ. ℞. *Cort. exter. cit. condit. dr. ii. limon. unc. ss. arant. dr. ii. confect. ſem. fœnic. dulc. dr. i. ss. coriand. dr. iii. carv. dr. i. incid. in pulv. & leniter contund.* add. *nuc. moſch. pulv. dr. ss. ſpec. aromat. roſ. ſcr. iv. amb. gryſ. ſcr. ss. ſacch. opt. unc. vi. mucilag ſem. cydon. aq. meliſs. extract. q. s. M. F. Tabul. s. a.*

Aliæ prætioſæ. ℞. *Marg. præp. dr. ii. corall. rub. præp. ſuccin. alb. præp. dr. i. magiſt. C. C. ebor. an. dr. i. ss. ſacch. alb. unc. ii. mucilag. ſem. cydon. q. s. M. F. Tabell.*

Rotulæ Cordiales. ℞. *Magiſt. corall. perl. an. dr. i. conf. alk dr. ii. ol. deſtill. cinam. gut. iii. cit. gut. ii. ſacch. albiſs. in aq. carbunc. ſol. unc. ii. vel q. s. M. F. Rotul.*

Pulvis Cordialis. ℞. *Corall. rub. præp. dr. vi. marg. præp. dr. ii. ſacch. opt. unc. i. ol. deſtill. cinam. gut. ii. M. F. Pulv.* S.

Pulvis Cordialis analepticus. ℞. *Corall. rub. præp. dr. ii. ocul. canc. præp. dr. i. marg. præp. dr. ss. pulv. analept. frig. Mind. dr. ii. mac. ſcr. i. ſal. acetoſell.*

 gr. xv.

gr. xv. ſacch. albiſs. unc. ii. M. F. Pulv. de quo poſt paſtum cochleare minus, vel per ſe, vel cum pane vino imbuto ſumatur.

Tragæa Cordialis ℞. *Marg. præp ſuccin. præp. corall. rub. præp. C. C. uſt. præp. magiſt. ocul. canc. matr. perl. an. ſcr. ii. man. Chriſt. s. unc. i. ss. amb. gr. vii. ol. cinam. gut. iii. cariopb. gut. iv. fol. aur* N. *vii. M. ad ſcat. S.* Tragæa Cordialis, de qua parvum cochleare plenum, ſupra bucella panis in vino madidi poſt paſtum ſumendum.

Alia pretioſa. ℞. *Marg. orient. præp. corall. rub. præp. ſcr. iv. lapid. s. pretioſ. an. ſcr. i. C. C. uſt. præp. ſcr. iv. amb. opt. ſcr. ss. moſch. gr. v. man. Chriſt. s. unc iii. ss. fol. aur.* N. *vii. M.*

Epithema Cordiale frigidum, in Febribus utile. ℞. *Aq. meliſs. borrag. lavend. roſ. an. unc. iii. acet. fl. tun.* vel *roſ.* aut *fl. ſamb.* vel *rub. ide. unc. i. vel ii. ſpec. pro epith. cord. dr. i. ss. gr. kerm. pulv.* vel *ſpec. diatrion. ſant.* aut *cordial. temper.* vel *lig. aloes* aut *cort. cit. dr. ss. croc. campb. an. ſcr. i. album ov. conquaſs.* N. *i. M. S.* Epithema cordiale & arteriale.

Aliud, quo Spiritus Vitales ſubito reficiuntur. ℞. *Aq. meliſs. lib. i. fl. cit. roſ. an. lib. ss. ſpec. cord. temper. dr. ii. diamb. diamoſch. d. an. dr. i. ſucc. cit. unc. iij. acet. roſ. unc. i. vin. alb. lib. ss. M. pro Epithem.*

Unguent. Cordiale. ℞. *Ung. roſ. unc. ii. ſpec. pro epithem. cord. ſubtiliſs. pulv. dr. i. diamb. dr. ss. ol. lig. Rhod.* vel *Balſ. roſ. ſcr. ss. campb. ſcr. i. M.* poſſunt etiam addi *ol. deſt. cinam. gut. vi. mac. ſcr. ss.*

Aliud. ℞. *Ung. pomat. unc. ss. ol. lig. Rhod. gut. vii. caryoph. cit. an. gut. iv. ſpec. cord. temper. ſcr. ii. moſch. gr. ii.* M.

Saculi Cordiales pro corde & pulſibus. ℞. *Spec. cord. temper. dr. iii. fl. roſ. rub. lavend. an. dr. i. moſch. gr. iv.* M. *f.* 2. *Saccul. cum ſind. rub. pro pulſibus & unus pro Corde, madeſiant ſeq. liquore.* ℞. *Aq. roſ. lavend.*

lavend. an. unc. iij. aq. cinam. unc. ſs. acet. roſ. dr. ii. croc. ſcr. ſs. camph. gr. v.

Alii ℞. *Fl. borrag. bugl. viol. meliſs. anth an. p. i. ſpec. cord. temper. pro epith. cord. an. ſcr. ii. cort. cit. rec. dr. ſs.* M. *f.* 2. *Saccul. madefac. aqua ſeq.* ℞. *Aq. Borrag. unc. i. ſs. cinam. meliſs. an. unc. i. odorif. Fuchſ. dr. vi. acet. roſ. unc i.*

Aqua odorifera. ℞. *Aq. odorif. Fuchſii unc. i. ſp. cephal. anhalt. camph. dr. i. aq. cinam. deſtill. dr. i. ſs.* M. Vel ℞. *Aq. roſ. fragrant. odorifer. Fuchſ. an. unc. ſs. acet. rub. idæ. dr. ij. S.* Aqua odorifera naribus, cordi, & arteriæ aſpergenda.

Alia. ℞. *Aq. roſ. frag. unc. i. lavend. cinam. Elix. vit. an. dr. vi. acet. fl. tun. unc. i. roſ. dr. vi. ſpirit. roſ. dr. i.* M.

ARTICULUS VII.

De Officio Medici, in conſiderandis & præſcribendis Remediis Stomachicis.

I.

MEdicamenta *ſtomachica* ſunt; quæ ſtomacho appropriata, illi ſuccurrunt, & quidem, vel particulis ſuis volatilibus ignem vitalem adjuvando, & calorem ſtomachi promovendo & conſervando, vel particulis inciſivis cruditates liquando, vel villos ſeu fibras ejus conſtringendo, ſicque ſanguinem & ſpiritus ejus magis uniendo; atque talia locum habent in anorexia, dyſorexia, læſa chylificatione, ructibus, ſingultibus, cardialgia, inflatione ſtomachi, vertigine ſympathica, aliiſque ventriculi à frigiditate oriundis ſymptomatibus, ſuntque vel aromatica, vel oleoſa balſamica, vel ſale volatili in primis oleoſo referta, vel ſpirituoſa, vel carminativa, vel leniter

adſtringentia, quæ ſtomacho ſuccurrunt, fermentum ejus iners & deficiens acuendo & inſtaurando, qualia ſunt omnia ſale vel acido, vel volatili potiſſimum referta, vel fermentum excedens acrimonia, ſive ſalina, ſive biliosa corrigendo, qualia conveniunt in omni exceſſiva acredine, ut Cholera, diarrhœa, cardialgia, ſingultu, ſoda, aliiſque ejuſmodi affectibus.

I I.

IN uſu horum pro debito Regimine Not. 1. In omnibus remediis adhibendis videndum eſſe, quomodo ſe habeant erga ventriculum, ac ita ſemper corrigendum eſſe, fermentum, ne calorem vel tonum ventriculi negligamus, ipſique noxam inferamus, & vice verſa ita calorem temperandum, ne negligamus fermentum: præ omnibus verò ejus parietes, & villos moderatè adſtringentibus firmandos eſſe. 2. Nimium refrigerantia ventriculo nocere, cùm ſit viſcus natura ſua frigidum, uti etiam nimium laxantia, ut tepida, pinguia, oleoſa, &c. 3. Ita alterandum eſſe ventriculum, ne contrarius præternaturalis ſtatus inducatur. 4. Cavendum eſſe, ne in alteratione ventriculi alia viſcera lædamus, ſic in externis providendum, ne lædatur epar, quod proximè incumbit, in internis verò, ne vel nimis calefaciendo bilem acuamus, vel nimis refrigerando eam reddamus inertem. 5. Stomachicis calidis minus ex toto reſolubilibus, non fidendum eſſe, quia groſſiores particulæ remanent, & ventriculum gravant, vel irritant. 6. Non obruendum eſſe ventriculum copia medicamentorum quorumvis, tum ſibi, tum aliis dicatorum. 7. Roborantia magis vacuo ventriculo danda, exceptis alimentis medicamentoſis, interim ſpirituoſa quædam, ventriculo à repletione gravato, modicè concedenda eſſe. 8. Topica ſtomachica frequentius & uſitatius parte antica applicari, ubi epate ex parte

parte tegitur, aliquando tamen poſtica, ubi orificium ſuperius recumbit.

Formulæ

Remediorum Stomachicorum.

DEcoctum amarum, vid. ſuperius de *Antifebrilibus*.

Aliud in Anorexia proficuum. ℞. *Fol. agrimon. abſinth. cent. min. an. m. i. coq. in ſ. q. aq. font. ad lib. ss. diſſolv. ſacch. unc. i. M.* Vel ℞. *Rad. cichor. herb. abſinth. Rom. card. b. an. m. cent. min. m. s. coq. in vin. & aq. cichor. an. menſ. dimid. ad 3. p. conſumpt. Col. detur m. & v. bonus hauſtus.*

Julapium Stomachale. ℞. *Aq. cinam. opt. unc. vi. ment. meliſs. an. unc. iii ol. vitriol. ritè parat. gut. xij. cinam. gut. vi. ſyr. de ment. unc. i. ss. M. S.* Julapium ſtomachale de quo 2. aut 3. cochlearia plena ſumantur.

Aqua clareta Stomachalis. ℞. *Cinam. craſſiuſculè trit. unc. i. maceretur in lib. i. aq. vit. per ſe in vaſe vitreo; in alio vaſe vitreo per ſe & ſeorſim macer. ſacch. albiſs. unc. vi. aq. roſ. lib. ss. ſtent ſeorſim in infus. per 2. vel 3. dies, ſæpius de die agitando, tandem ſimul miſceantur, & per manicam tranſmittantur.* Doſ. *cochl. i. vel ij. jejuno ſtomacho.*

Vinum Hippocraticum. ℞. *Cinam. acutiſs. unc. iij. mac. caryoph. an. dr. ij. cardam. min. dr. i. ss. cort. cit. extern. unc. i. infund. in vin. alb. generos. lib. vi. ſtent in loco tepido per triduum Colat. edulcor. Sacch. alb. unc. x. Col. iterum bis vel ter per manicam Hippoc.*

Roſa ſolis. ℞. *Roſ. ſol. rec. m. iij. nuc. moſch. coriand. aniſ. roſ. rub ſicc. an. unc. ss. galang. zz. caryoph. an. dr. ij. glyc. unc. i. cardam. zedoar. gr. parad. calam. arom. an. dr. ss. ſant. cit. dr. i. ſant. rub.*

cinam. an. dr. vi. aq. vit. opt. lib. vi. infunde per dies aliquot. Col. per manicam Hippoc. add. *ſacch. opt. lib. i. M.* Doſ. *Cochl. i. vel alterum.*

Vinum abſinthiacum. ℞. *Herb. abſinth. lib. ii. ss. card. b. roriſm. an. lib. s. ſummit. cent. min. unc. iii. rad. caryophyllat. lib. s. fl. ſambuc. cort. cit. arant. an. unc. iij. M. inciſ & contuſ. ad ſaccul. pro amphora muſti. S.* Species pro vino abſinthiaco. Mutata doſi, etiam in minori quantitate lib. aliquot vini infundi poterunt, vel ſolus ſpiritus abſinthii in vino diſſolvi.

Aliud Vinum Stomachicum. ℞. *Rad. enul. dr. vi. zz.* vel *zedoar. dr. iii. herb. ment. criſp. abſinth. an. m. i. ſem. anis. dr. iii. cinam. acut. dr. ii. inciſ. dentur ad Nodulum pro menſ. i. vin. alb.*

Mixtura Stomachica. ℞. *Elix. propriet. P. dr. ii. Eſſent. abſinth. ſcr. ii. ol. mac. gut. vi. M. S.* Mixtura Stomachica, de qua 20. vel plures guttæ ex brodio ſumendæ: Alii etiam addunt *tinct. chalyb.* Vel *Sp. ſal. armon.* Alii ſolum *Elix. prop. P. ad gutt.* 20. *vel* 30. propinant.

Electuarium Stomachicum calidum. ℞. *Conſerv. roriſm. unc. iii. fl. tunic. unc. ii. condit. zz. chinenſ. unc. iii. cort. arant. unc. i. ss. ſpec. diacinam. arom. ros. an. dr. vi. cubeb. unc. ss. cardam. dr. iii. ſyr. de cinam. q. ſ. M. f. Elect. S.* Electuarium ſtomachicum confortans de quo bis vel ter in die quantitas nucis ſumenda.

Morſuli Stomachi. ℞. *Spec. pro morſul. Imperat. unc. i. condit. zz. chinenſ. cort. cit. nuc. ind. an. unc. ss. cardam. dr. i. ss. cubeb. dr. ii. ol. deſtill. cinam. gut. v. mac. gut. vii. caryoph. gut. iv. citr. gut. iii. ſacch. albiſs. in aq. ſaſſafr. cum cinam. diſſol. lib. i. M. f. Morſul. S.*

Alii. ℞. *Gr. paradiſ. dr. ii. affund. aq. cinam. unc. iv. ſtent in infuſ. per noct. manè col. in Col. diſſolv. ſacch. albiſs. unc. ix.* add. *ſpec. arom. roſ. dr. ii.*

diar-

diarrhod. dr. i. cardam. min. ſcr. ii. cubeb. dr. ii. condit. cort. cit. arant. cydon. an. dr. vi. zz. Chin. dr. ii. Condit. & aromata incidantur groſſo modo f. ſ. a. Morſul. aſperg. ſpirit. roſ. in quo amb. gr. vi. diſſol.

Alii, vaporum aſcenſum ex ſtomacho prohibentes. ℞. *Sem. Coriand. aut. præp. unc. ss. ſpec. aromat. roſ. diatrion. ſant. an. dr. i. Condit. nuc. ind. unc. ss. carn. cydon. dr. vi nuc. moſch. ſcr. iv. conſ. ros. vet. unc. i. ſacch. albiſs. in aq. roſ. ſol. lib. ss. M. f. Morſel.*

Alii contra Sodam. ℞. *Spec. diacret. Minſ. dr. vi. ebor. uſt. dr. i. ocul. canc. præp. unicorn. foſs. corall. rub. præp. an. ſcr. ii. nuc. moſch. dr. i. cum ſacch. in aq. portulac. ſ. p. ſolut. M. f. Morſul. S.* Morſelli contra Sodam.

Rotulæ Stomachales. ℞. *Rotul. man. Chriſt. ſ. unc. ii. ol. deſtill. cinam. gut. iv. caryoph. nuc. moſch. an. gut. iii. cit. gut. ii. M.*

Aliæ etiam Bibitoriæ dictæ. ℞. *Sem. Coriand. præp. ſcr. i. fœnic. aniſ. carv. an. dr. i. nuc. moſch. ſcr. ii. mac. ſcr. i. zz. cardam. cubeb. caryoph. an. ſcr. j. piper. alb. long. an. gr. xv. cum ſ. q. ſacch. in aq. carminat. ſolut. M. f. Rotul. S.*

Aliæ contra Sodam. ℞. *Succ. liquir. inſpiſs. ſacch. cand. alb. an. unc. i. cret. colon. dr. ii. cum mucilag. gum. tragac.* vel *arab. ex aq. veron. fact. M. f. Trochiſc. lupinar. S.* Rotulæ contra Sodam.

Pulvis Stomachicus. ℞. *Pulv. ſtomach. Birkman. unc. ss. vel i. detur ad Scatul. S.* Pulvis ſtomachalis de quo tres cuſpides cultelli plenæ ex brodio vel vino ſumendæ.

Alius. ℞. *Pulv. cort. arant. dr. ii. tart. vitriol. ſal. abſinth. an. unc. i. M. f. Pulv.* Vel ℞. *Rad. aron. ſicc. pulv. unc. ii. ſal. armon. unc. ss. rad. calam. aromat. dr. ii. cinam. mac. an. dr. i. caryoph. ſcr. i. M. f. Pulv.*

Alius.

Alius. ℞. *Pellicul. interior. ventric. capon. unc. ii. nuc. moſch. mac. ſem. coriand. aniſ. fœnic. an. dr. i. ss. glyc. dr. i. rhodoſacch. unc. i. M. f. Pulv.* cujus doſ. *à dr. i. ad dr. ii.*

Pulvis Pepticus. ℞. *Flaved. cort. exter. arant. candefact. & minutim inciſ. unc. ii. confect. ſem. coriand. unc. ii. aniſ. carv. fœnic. an. unc. i. ſpec. arom. roſ. dr. ii. ſal. abſinth. dr. ss. ment pulv. ſcr. ii. ſacch. cand. ad pondus omnium M. f. Pulv. groſs.* doſ. *dr. i. poſt ſingulos paſtus.*

Tragæa Stomachica. ℞. *Cubeb. dr. ii. cardam. zz. nuc. moſch. an. dr. i. caryoph. dr. ss. cinam. acut. dr. ii. ol. cit. gut. ix. ſacch. roſ. tabul. ad pondus omnium M. f. Trag. S.* Tragæa ſtomacalis, de qua cochlear plenum poſt omne paſtum, vel ſupra buccola panis in vino madidi ſumendum.

Alia. ℞. *Coriand. præp. unc. ss. ſem. fœnic. aniſ. an. dr. ii. cinam. caryoph. an. dr. i. ss. ſacch. ad pondus omnium duplum M. f. Pulv.* de quo capiat cochl. i. poſt ſingulos paſtus nihil deſuper edendo vel bibendo.

Alia. ℞. *Sem. anis. fœnic. coriand. an. dr. i. pan. biſcoct. Hiſpan. nuc. moſch. an. dr. ii. caryoph. ſcr. iv. cinam. opt. dr. ii. ſacch. fin. unc. iii. M. f. Trag.*

Alia. ℞. *Sem. coriand. præp. unc. ss. cinam. ſpec. arom. roſ. zz. mac. ſant. cit. rub. an. ſcr. i. confect. man. Chriſt. unc. iv. ss. M.*

Alia in ardore ſtomachi. ℞. *Nuc. moſch. N. ii. magiſt. ocul. canc. mat. perl. ſuccin. præp. C. C. uſt. præp. an. ſcr. i. ſacch. cand. alb. unc. ii. fol. aur. N. vii. M. f. Pulv.*

Linimentum Stomachicum. ℞. *Ol. nuc. moſch. per expreſs. dr. i. ss. ſuccin. rectif. balſ. Peruv. an. ſcr. i. M.* Vel ℞. *Balſ. Peruv. ol. nuc. moſch. expreſs. an. dr. ii. caryoph. ſcr. i. maſtich. deſtill. ſcr. ss. laurin. dr. ii. gumm. ladan. in ol. abſinth. diſſol. dr. vi. M. S.*

Balſamus ſtomachalis. ℞. *Ol. deſt. Juniper. dr. i.*

ment.

ment. abſinth. an. dr. ss. mac. caryoph. an. ſcr. ss. cinam. gut. v. Balſ. Peruv. ſcr. i. ol. nuc. moſch. q. ſ. M. f. Balſ. S. Balſamus ſtomachalis, cum quo ſtomachus, & os ventriculi calidè illinendus, cui poſtea pannus calidus imponatur.

Emplaſt. ſtomachale *Craton.* ℞. *Ladan. unc. ii. cer. unc. iv. ol. nuc. moſch. expr. dr. iii. M. S.* Emplaſtrum ſtomachale linteolis circumdatum, imponatur ſtomacho.

Aliud. ℞. *Empl. de maſt. unc. i. ſpec. arom. roſ. dr. i. ol. nuc. moſch. expr. q. ſ. M. f.* Empl. Vel ℞. *Cerat. ſtomach. Galen. unc. i. ladan. ol. unc. ss. ol. maſt.* vel *nuc. moſch. q. ſ. M.*

Aliud. ℞. *Empl. de cruſt. pan. de tacamah. an. dr. iii. malax. cum ol. maſtich.* add. *Balſ. Peruv. parum.* Vel ℞. *Gumm. tacamah. ladan. an. dr. iii. maſt. dr. i. caryoph. dr. ss. cer. flav. dr. iii. ss. ol. deſtill. maſt. gut. xv. ment. abſinth. an. ſcr. ss. Balſ. Peruv. ſcr. i. M.*

Cataplaſma Stomachicum, pro ſiſtendo Vomitu. ℞. *Ferment. piſtor. unc. ii. vel iii. Pulv. ment. criſp. nuciſt. maſtich. an. dr. i. theriac. Androm. dr. ij. acet. roſ. q. ſ. M. pro Catapl.*

Aliud ſtomachicum corroborans. ℞. *Panem mellit. q. pl. coq. in vin. Hiſp.* vel *Malv. s. q. ad conſiſt. Catapl.* add. *mac. cinam. nuc. moſch. caryoph. q. pl. M. S.* Cataplaſma ſtomachicum, ſtomacho calidè imponendum.

Sacculus ſtomachalis. ℞. *Comar. ment. abſinth. lavend. an. m. i. maſt. nuc. moſch. tacamah. an. dr. i. fl. anth. lavend. ros. an. m. omnia inciſa & ſp. abſinth. irrorata includ. Saccul. qui geſtetur in regione ſtomachi.*

Alius. ℞. *Menth. abſinth. an. m. bacc. laur. unc. ss. rad. cyper. galang. caryoph. cort. cit. cinam. mac. an. dr. i. mixta & conquaſs. includ. Saccul. ex ſidon. rub. vino incoq. & calidè applicando.*

Alius

Alius pro compeſcendo Vomitu. ℞. *Herb. abſinth. ment. criſp. an. m. i. rad. torment. unc. i. thur. maſt. an. unc. ss. coriand. dr. ii. roſ. rub. nuc. moſch. mac. an. dr. ss. inciſa dentur pro Saccul. coq. in vin. & acet. an. p. æq. qui calidè ventriculo admoveatur.*

ARTICULUS VIII.

De Officio Medici, in conſiderandis & præſcribendis Remediis Epaticis.

I.

REmedia *Epatica* ſunt, quæ reſpiciendo vel vaſa, quibus refertiſſimum eſt Epar, vel humores & in primis bilem, vel villos, tonumque fibrarum & robur acinorum glandoſorum, eidem amica ſunt, ac affectibus ejus ſuccurrunt. Hinc agunt, vel vaſa obſtructa aperiendo, eadem extricando, biliſque amurcam, ac viſcedinem mucilaginoſam expediendo, qualia ſunt amara, aromatica, acria, acida, ac abſorbentia ſalino-alcalina & martialia; atque horum uſus eſt in Ictero, cachexia, hydrope, affectu hypochondriaco &c. Vel agunt bilem inertem, aquoſam, vel viſcidam, aut particulis ſalinis & ſulphureis volatilibus haud inſtructam acuendo & reſtaurando, qualia ſunt incidentia tum ſulphurea, oleoſa, aromatica, ſpirituoſa, balſamica, tum imprimis ſale volatili pollent, & acria, tum abſorbentia humores auſteros, acidos, figentes; atque horum uſus eſt in cachexia, hydrope, anaſarca, ſcirrhis, tumoribus pituitoſis &c. Vel agunt bilem acriorem & copioſam, vel nimis mobilem temperando, ac refrænando, qualia ſunt diluentia, acida, terrea abſorbentia, vel tonum roborando & villos firmando, qualia ſunt leniter ſtiptica, cum partium tenuitate, ac in primis amara, uti etiam abſor-

ſorbentia vitriolata & martialia, quæ maximè ſunt Epatica, Icteri, chloroſis, hydropis, ſcorbuti, affectus & Melancholiæ hypochondriacæ unicum & ſummum remedium; magis tamen in laxis & præhumidis, quam ſiccis ſubjectis.

II.

CIrca horum uſum, Not. 1. Non eſſe aperiendum, citra diluentia ac humores fluxiles reddentia, hinc acidulæ, aſylum & extremum plurium morborum ſunt remedium, quod vires aperientes, Vitriolicas & martiales, plurimo diluente humore habeant immerſas. 2. Acidulas, de quibus jam ſupra ſpecialiter dictum, conducere, ubi ſalvis pulmonibus, & viſceribus, diluendi ac temperandi humores præcipuè bilioſi, ac laxitas villorum corrigenda, & quidem in habitu corporis magis ſicciori & ſqualido; Thermas econtra, ubi humores acidi magis exſuperant, & corpus laxiori gaudet habitu. 3. Dulcia, exceptis paſſulis facilè bileſcendo epar lædere. 4. In affectibus Epatis ita adſtringentibus tonicis, utendum eſſe, ne obſtruamus; hinc conſultiſſimum, aperientia moderari adſtringentibus, & viciſſim. 5. Etiam exterius Epatica locum habere, quatenus mediantibus poris virtutes interius fibrant, licet refractè agant, in primis in dolore vel ardore dextri Hypochondrii.

Formulæ

Remediorum Epaticorum.

DEcoctum ante-Ictericum, *Lindan.* ℞. *Rad. cich.* aut *tarax. unc. ii. chelidon. m. a dr. vi. ad unc. i. herb. endiv.* aut *cich. m. i. ss. vel m. ii. fragar. m. i. ss. marrub. m. ss. tart. alb. ab unc. ss. ad dr. vi. fol. ſenn. dr. vi. coq. in aq. & vin. an. ſ. q. vaſe clauſo;*

Hinc

Hinc ℞. *lib. ij. pro uſu, addendo, ſi præſtantius volueris, cuilibet doſ. ſp. tart. rectif. ſcr. i. M.* præmiſſo Vomitu ſaluberrimum eſt.

Aliud. ℞. *Stercor. anſer. raſ. ebor. an. unc. i. chelidon. cum tot. ling. cerv. fl. or. hyper. an. m. ij. croc. dr. ss. vin. alb. aq. font. an. lib. i. coq. ad dimid. f. Col. add ſacch. alb. q. ſ. & clariſ. iv. album ov.* doſ. *unc. v. bis in die.*

Infuſum ante Ictericum *Riverij*. ℞. *Rad. rub. tinct. unc. ss. fol. chelidon. m. m. i. ſummit. abſinth. pont. cent. min. an. p. j. cinam. dr. ss. croc. ſcr. ss. inf. per noct. in vin. alb. unc. viij. Col.* add. *ſacch. alb. unc. ss. M. capiat m. 3. horis ante Paſtum*. Hoc, p. p. Iſtericum recentem plerunque radicitus evellit, per 6. vel 7. dies uſurpatum.

Decoct. anti-Hydropicum. ℞. *Rad. bryon. rec. unc. i. aſar. unc. ss. ſal. tart. dr. iii. infund. in ſ. q. aq. ſ. ſtent in loco tepido per noctem*, manè add. *rad. vincetox. dr. iii. ſummit. abſinth. mi. fl. bellid. m. s. bacc. Juniper. dr. iii. inciſ. & contuſ. confund. ſimul. ac coq. in aq. s. q. de Col.* ℞. *lib. i. ss.* add. *ſp. ſal. armon. dr. ii.* de hoc Decocto capiat ter in die bonum hauſtum.

Mixtura antihypochondriaca. ℞. *Mixtur. ſ. unc. ss. Eſſent. cent. min. cochlear. an. dr. iii. trifol. fibr. dr. ii. tinct. mart. dr. i. ss. M. S.*. Mixtura aperiens, de aqua 15. guttæ ex brodio vel vino ſumendæ.

Vinum anti-Cachecticum. ℞. *Chalyb. præp. dr. vi. rad. enul. rec. unc. ii. fol. abſinth. utriuſque an. m. ii. paſſul. corinth. dr. vi. fol. ſenn. unc. ii. vin. alb. lib. iv. infund. frigidè per 24. horas*, doſ. *unc. iv. m.*

Cereviſia medicata anticachectica & anti-hypocondriaca. ℞. *Rad. cich. rec. lib. ss. enul. rec. unc. ii. herb. ſcolopend. lib. ss. card. b. m. iii. bacc. juniper. lib. iii. inciſ. & contuſ. dentur ad Saccul. pro 60. menſur. cereviſiæ, qui in liquore relinquendus, donec eius peracta fermentatione fiat tranſvaſatio.*

Alia

Alia *Buttleri*. ℞. *Beton. ſalv. agrim. cochlear. abſinth. Rom. an. m. iii. rad. enul. raph. ruſt. an. unc. iv. M. f. Saccul. pro cerevis. cong. viii.* mutatis mutandis, etiam ex his Vina alterantia fieri poſſunt.

Brodium aperitivum. ℞. *Rad. cich. fœnic. petroſel. an. unc. ss. paſſul. exacin. unc. i. croc. ſcr. i. mac. ſcr. ss. incid. & ventri Gallinæ abſciſſis alis, collo & pedibus indantur, coq. in s. q. aq. donec caro ab oſſibus ſeparetur, ſervetur juſculum, pro pulv. aperitivis in eo exhibendis.*

Electuar. Epaticum. ℞. *Conſ. roſ. cichor. cochlear. an. unc. i. ſpec. diatrion. ſantal. diarrhod. Abb. an. dr. i. arom. roſ. dr. ss. condit. rad. cich. unc. ss. nuc. ind. dr. ii. ſyr. capill. ven. q. s. M.*

Aliud. ℞. *Conſ. fl. abſinth. capill. ven. tamariſc. an. unc. i. condit. rad. enul. cort. cit. an. unc. ss. myrob. condit. N. I. nuc. moſch. condit. dr. iii. confect. alk. dr. ii. ſpec. diarrhod. Abb. dr. i. ſal. abſinth. tamariſc. an. ſcr. ii. croc. ſcr. i. amb. gryſ. ſcr. ss. cum ſyr. de cort. cit. M. f. Opiat. cujus* doſ. *magnitudo Caſtan. per 15. dies.*

Aliud. ℞. *Paſſul. corinth. mund. lib. ss. coq. in vin. vet. ad conſiſt. pult. per ſetaceum trajectis* add. *conſ. anth. cort. cit. condit. an. unc. i. cinam. acut. ſpec. arom. roſ. diatrion. ſant. an. ſcr. ii. aloes odorif. ſcr. i. croc. ſcr. ss. M. S.* Electuarium epaticum confortans.

Pulvis aperitivus & digeſtivus. ℞. *Sal. abſinth. cent. min. card. b. magiſt. ocul. canc. tart. vitriolat. an. ſcr. ii. M. f. Pulv. S.*

Alius. ℞. *Croc. mart. aperit. ſcr. iv. pulv. Epat. rub. ſal. abſinth. chelidon. mai. cent. min. an. ſcr. i. divid. in viii. p. æq. ſumendos ex brodio aperitivo.* Pulveres Cachectici, videantur ſuperius de Chalybeatis.

Pulvis ante Ictericus expertus *Timæi*, ℞. *Semin. aquileq. dr. vi. croc. oriental. dr. i. tart. vitriolat. dr. ss. M. F. Pulv. divid. in 7. p. æq. ſumendus ex vino calido per 7. dies continuos.*

Pul-

Pulvis præcipitans abſorbens. ℞. *Ocul. canc. præp. corall. rub. præp. an. dr. ii. matr. perl. præp. C. C. uſt. præp. an. dr. i. fol. aur. N. v. M. F. Pulv.* doſ. *ſcr. ii.* vel *dr. i.*

Alius ſpecificus. ℞. *Ocul. canc. præp. corall. rub. præp. unicorn. ver. an. dr. i. antibect. Poter. dr. i. ss. cinnab. nat. cinnab. antim. an. ſcr. ss. extr. caſtor. ſcr. i. M. F. Pulv.* vel *cum ſolutione tragac. Pilul.* poteſt pro re nata etiam aliquid addi *de laud. op.* vel *theriac. cæleſt.*

Tragæa Epatica. ℞. *Spec. diarrhod. Abb. ſcr. iv. diatrion. ſant. arom. ros. an. ſcr. ii. ſacch. ros. tab. unc. i. ss. ſacch. cand. alb. unc. ii. ol. deſtill. anis. gut. xv. M. S.*

Alia, viſcera abdominis roborans. ℞. *Spec. diarrhod. Abb. diatrion. ſant. an. ſcr. ii. diacurcum. dialacc. an. ſcr. i. cinam. opt. dr. ii. nuc. moſch. dr. i. mac. caryoph. cubeb. cardam. an. ſcr. ss. corall. rub. præp. dr. i. fol. aur. N. ii. ſacch. albiſs. unc. viii. M. F. Trag.*

Epithema Epaticum frigidum. ℞. *Aq. endiv. roſ. portul. nymph. acetos. an. unc. i. ss. acet. roſ. unc. i. pulv. ros. ſant. rub. ſpic. ind. an. ſcr. ss. ſpec. diarrhod. Abb. diatrion. ſant. an. dr. ss. M. S.*

Ung. deoppilativum. ℞. *Ung. deoppilat. unc. i. ss. ol. deſtill. carv. ſcr. ii. M.* Vel ℞. *Ung. deoppil. carmin. an unc. i. ss. ol. deſt. caryoph. gut. v. mac. gut. iii. lig. Rhod. gut. ii. M.* Vel ℞. *Ung. ſantal. dr. x. deoppil. dr. v. ol. deſt. lig. Rhod. ſcr. ss. ol. abſinth. q. s. M. S.* Unguentum epaticum.

Aliud. ℞. *Axung. molendinar. ping. capon. an. unc. i. ol. capp. rut. abſinth. an. dr. iii. ung. de alth. popul. an. unc. ss. cer. parum. M. S.* Unguentum axungiæ.

Unguentum Epaticum frigidum. ℞. *Cerat. ſantal. unc. i. ſucc. cichor. rec. expr. unc. ii. bull. ad ſucc. conſumpt.* add. *ol. ros. de capp. an. unc. ss. acet. ros. dr. ii.*

dr. ii. M. Vel. ℞. *Succ. endiv. cich. portul. an. unc. j. maſſ. cerat. ſantal. unc. ii. coq. ad ſucc. conſumpt.* add. *ol. roſ. nymph. ung. infrigid. Galen. an. unc. ss. M. S.*

Emplaſt. Hepaticum. ℞. *Ung. ſantal. dr. vi. pulv. roſ dr. i. ss. ol. deſt. lig. Rhod. gut. xiv. camph. gr. iv tereb. & ceræ parum M. F. Emplaſt. inducendum corio coopert. ſind. rub. S.*

Plura de Hepaticis, vide de Præparantibus & Martialibus, quæ omnia huc ſpectant, & de quibus ſupra.

ARTICULUS IX.

De Officio Medici, in conſiderandis Remediis Spleneticis. Antiſcorbuticis, & Nephriticis.

I.

MEdicamenta *Splenetica* ſunt, quæ Lieni familiaria, affectibus illius ſuccurrunt, & quidem vel motum ſanguinis & ſeri in colatorio hoc ſuo retardatum tollendo, ac humores ponticos, acidos & auſteros, ſanguinis partes volatiles figentes corrigendo, qualia ſunt aquea, diluentia & temperantia, leniter amara & aromatica, alcalina fixa & volatilia, alcalina terrea & præcipuè Martialia, quæ merito hypochondriacorum & ſcorbuticorum panacæa ſunt ac dicuntur, atque hæc proſunt in obſtructionibus viſcerum, initio hydropis, cachexia, palpitatione cordis, doloribus & tumoribus hypocondriorum. Immò cum hypochondria ſint fomes quaſi omnium morborum, hæc ipſa quoque ad affectus capitis & nervorum ſympathicos ſpectant; vel agunt ſeri ſtatum volatiliorem,

ſeu ejus acrimoniam & lixivioſitatem reſpiciendo, unde phlogoſes, ebullitiones, & rarefactio ſanguinis major, dolores arthritici, ſcorbutici vagi, ſudores colliquativi nocturni, vigiliæ, inquietudines, pavores &c. quibus medentur tum aquea diluentia, tum acidula, auſteriuſcula, ſtiptica, terrea; vel reſpiciendo obſtructiones, ac recrementa pituitoſa, tartarea limoſa ſero immerſa, & facilè in ſabulum cænoſum, arenuias vel calculum ipſum fatiſcentia, qualia ſunt aperientia generoſiora, ut acida, alcalina & enixa, aromatica, abſtergentia, diuretica & nephritica.

II.

CIrca uſum remediorum ſpleneticorum, Not. 1. Uti jam ſupra dictum, acidulas & thermas unicum ſæpè eſſe ſpleneticorum remedium. 2. Martialia hypochondriacorum panaceam eſſe & dici. 3. A præcipitantibus hypochondriacos & ſcorbuticos haud exiguum quoque accipere levamen. 4. Variare ſplenetica pro vario & diverſo ægrorum ſpleneticorum ſtatu. Nam ſicuti volatilia, tam ſalina quàm ſpirituoſa aromatica, nocent in affectu lienis calido, ita proſunt in frigido. 5. Acida ſubinde etiam inter ſplenetica numerari poſſe, præſertim vi inciſoria in humorum fixitate, vel fixatoria in nimia eorum rarefactione. 6. Diluentia, uti aperientium ita & ſpleneticorum actionem adjuvare, præſertim ubi ſerum non abundat, vel ſtagnat. 7. Lienem volatilioribus, & magis activis gaudere medicamentis, quàm Epar. 8. Dulcia etiam ſpleni minus amica eſſe, eo quod vi fermentativa potius exſuſcitent fervidos, ſalſos & acres humores, adaucta ſimul bile, quæ in omnibus Melancholicis ſimul peccat, unde hyſterica, epileptica ſimilia ſymptomata, facilè ſi non excitant, ſaltem exaſperant.

III. Ad

III.

AD Medicamenta *ſplenica*, reducentur etiam remedia *antiſcorbutica*, ſcorbuto præcipuè dicata, quæ ſale volatili abundantia, fermentationes corrigunt, craſſos & crudos humores penetrant, eoſque ſubtiles & tenues reddunt, acidum vitioſum deſtruunt, obſtructiones reſerant, humoreſque peccantes hinc inde diſcutiunt, & per urinas evacuant. Circa uſum horum, Not. 1. Calidioribus & acrioribus cautè utendum eſſe, præſertim in corporibus rarioris texturæ, & calidioris temperamenti, vel ſaltem temperatis & blandè acidis miſcenda, ut v. g. *Cichor. acetoſ. ſucc. cit.* vel quod optimum *ſero lactis*. 2. Dulcia non facilè exhibenda, ac præcipuè à ſaccharo nimio abſtinendum eſſe. 3. Simplicia antiſcorbutica recentia & eorum ſuccos aut conſervas præferenda eſſe, compoſitis artefactis, & præcipuè decoctis vel extractis, cum ſal volatile eorum facilè diſſipetur & evaneſcat. 4. In eorum uſu per 14. dies & ulterius inſiſtendum eſſe, & 5. vel 6. die lenitivum exhibendum.

Formulæ

Remediorum Spleneticorum, & Antiſcorbuticorum.

REmedia Splenetica eadem ferè ſunt, quæ Epatica, Martialia & præparantia Aperitiva, hinc ſuis locis videantur.

Vinum antiſcorbuticum. ℞. *Rad. Armorac. rec. teſſulatim inciſ. unc. iv. ſem. erac. quonquaſs. unc. i. affund. vin. Rhen. lib. iv. ſtent in infuſ. per triduum hinc Col.* dein ℞. *Fol. rec. cochlear. naſturt. beccabung. an. m. ii. incid. & terantur in mortar. marmor. aſſund.*

colat. ſuperiorem, ſtent per diem & noct. hinc exprim. ſub prælo fortiſſime, & col. per chart. emporet. addendo tantillum ſacch. pro delicatioribus.

Aliud. ℞. *Herb. rec. cochlear. naſturt. aquat. an. m. ij. beccabung. acetoſ. an. m. i. contund. in mort. marmor. affundendo vin. Rhenan. in quo rad. armorac. teſſulatim inciſ. per triduum macerat. lib. iv. ſtent in Infuſ. per diem & noctem, hinc exprim. fortiſſimè & Coler.* add. *ſucc. cit. rec. unc. iv. ſacch. parum M.* doſ. *ab unc. iii ad vi.*

Aliud. ℞. *Herb. Cochl. rec. naſturt. fumar. an. m. i. rad armorac. N. 1. enul. unc. i. paſſul. dr. vi. contuſ. & conquaſſ. includ. Nodulo infundendo vino*, vel ſi phlogoſes excitet, *ſero lact.* vel *lact.*

Cereviſia Antiſcorbutica. ℞. *Fol. cochlear. cardamin. beccabung trifol. fib. an. m. vi. epat. agrim. ling. cervin. an. m. ii. abſinth Rom. m i. rad. raph. ruſt. unc. iii. rad. 5. aperient. cichor. an. unc. ii. ſem. carv. unc. i. ss. cort. exter. limon. N. vi. uv. paſſ. exacinat. lib. ii. f. Saccul. pro cong. vi. cereviſiæ.*

Mixtura Antiſcorbutica. ℞. *Mixtur. ſ. ſpirit. cochl. naſturt. bacc. juniper. Eſſent. trifol. fib. an. dr. iii. M. S.* Eſſentia Antiſcorbutica de qua 20. uſque 30. gutt. ſumendæ.

Succi Antiſcorbutici. ℞. *Succ. rec. expr. cochlear. lib. ss. naſturt. aquat. beccabung. an. unc. iii. fumar. cichor. acetoſ. an. unc. ii. mixta præcipit. cum ſucc. cit. S.* Succus antiſcorbuticus, de quo quotidie 4. unc. in brodio ſumendæ.

Alii. ℞. *Succ. rec. expr. cich. fum. beccabung. naſturt. aquat. cochlear. an. dr. iii. ſeri lact. capr. unc. iv. M.*

Brodium Antiſcorbuticum. ℞. *Beccabung. naſturt. aq. cochlear. acetoſ. Hiſpan. an. m. ss. raph. mar. unc. ss. minutiſſime conciſ. affund. brod. carn. ferv. lib. i. per pannum fortiſſ. exprim.* doſ. *m. & v. unc. v. cum gut. xv. vel xx. Eſſent. trifol. fib.*

Ele-

Electuarium Antiſcorbuticum. ℞. *Pom. cit. rec. una cum cort. inciſ.* N. *iii. fol. cochl. rec. m. iii. naſturt. aq. m. ii. acetoſell. m. i. Contund. in mort. marmor.* & *cum pauco ſacch. f. Elect. S.*

Aliud. ℞. *Conſ. ros. antiq. unc. i. fumar. cochlear. an. unc. i. ss. pulv. troch. de viper. unc. ss. ſyr. ſcelotyrb. Foreſt. dr. vi. vel q. s. M. ad fictil.*

Pulvis Antiſpleneticus. ℞. *Crem. tart. cryſt. tart. an. dr. ii. ſcolopend. tamariſc. frax. juniper. tan. dr. ss. ol. mac. ſcr. ss. M. F. Pulv. S.* Pulvis antiſpleneticus digeſtivus aperiens.

Unguent. Spleneticum. ℞. *Ol. Chamom. laur. cappar. abſinth. an. dr. ii. ung. carmin. Minſ. unc. i. Cerat. de cicut. unc. ss. M. S.*

Emplaſtrum Spleneticum. ℞. *Empl. de bacc. laur. dr. vi. tacamah. unc. ss. Balſ. peruv. dr. i. cer. dr. ii. M. F. Empl. ſindone contegendum.* Vel ℞. *Empl. ſplenet. Cerat. de ammon. an. dr. vi. M.* Vel ℞. *Cerat. de Cicut. ſantal. de bacc. an. vi. malax. cum ol. capp.* & *F. Emplaſtrum.*

Formulæ

Remediorum Nephriticorum.

Videantur de Diureticis & Lithontripticis.

ARTICULUS X.

De Officio Medici, in conſiderandis & præſcribendis Hyſtericis ſeu Uterinis.

I.

MEdicamenta *Hyſterica* ſeu *Uterina* ſunt, quæ utero appropriata, affectibus illius ſuccurrunt, & quidem 1. Vel menſes movendo, quatenus vel vias uteri occluſas reſerant, vel ſanguinis qualitatem vitioſam, pituitoſam, acidam, ad motum ineptam corrigunt, ut orgaſmum menſtruum recipiat, vel ſanguinem fundunt, & archæum uteri exſtimulant, vel humores acidos, auſteros, ſtipticos, ſanguinem nimis figentes & concentrantes tollunt, uti maximè ſunt chalybeata, ſine quibus vix aliquid proficitur, vel uterum immediatè abſtergunt, ac humores pituitoſos, tartareos ac mucilaginoſos, vaſa obviſcantes expediunt, poros dilatant, & uno verbo vias liberas & patulas reddunt, naturamque ad excretionem blandè ſollicitant, atque hæc remedia dicuntur *Emmenagoga*, ſuntque vel volatilia oleoſa, vel ſalina, volatilia, amara, aromatica, ac præſertim martialia. Vel 2. Fœtus & ſecundinarum excluſionem promovendo, quatenus vel acrimonia irritante, fœtum ad calcitrationes & agitationes irritant, aut uterum ſtimulant, vel naturam roborant, aut vias emolliunt, aut ſpiritus animales majori copia ad fibras uteri proliciunt, atque

atque hæc dicuntur *partum facilitantia*, ſuntque vel emollientia, vel confortantia, balſamica & nervina, vel ſtimulantia, tum ſalina, tum ſulphurea. Vel 3. Agunt fibras uteri nerveas & membranoſas roborando, per nervina, ſpirituoſa, aromatica. Vel 4. Flatus & halitus, ſeu impuritates, circa & in utero ſtabulantes diſcutiendo. Vel 5. Tandem humores extravaſatos, circa uterum ſtagnantes reſolvendo, aut humores acidos, lancinantes, abſorbendo ac figendo.

II.

IN uſu horum Not. 1. *Emmenagoga* urgente & aurigante natura, non quieta vel invita exiſtente propinanda eſſe. 2. Eadem etiam eſſe fœtum exturbantia, hinc gravidis nunquam exhibenda. 3. Eadem juſto tempore, id eſt, ante ſolitum fluxum vel novilunium imprimis data, & ſæpius repetita, feliciſſimè juvare. 4. Optimum tempus movendorum menſium eſſe vernum, hinc maximè conſultum, illo tempore 6. vel 8. diebus ante menſium tempus operari. 5. In fœtu excludendo, naturam malle duci, quam pelli; unde talia medicamenta non propinanda, niſi conſtet de doloribus aperitivis portarum, & actuali niſu ad excernendum, ſicque quo natura magis indiga, eo magis juvanda, ut in fœtu mortuo, ſecundina retenta. 6. Non exhibenda eſſe partum juvantia, niſi conſtet de ſitu Infantis naturali ad partum. 7. Tum puerperis in genere, tum ſpeciatim in ſecundinis retentis, convenire bezoardica, putredini reſiſtentia, & uterum purgantia. 8. Dulcia Hyſtericis exoſa eſſe, & quidem illis maximè, quibus vel fermentum peregrinum uterum inquinat, vel nervoſum genus affectum, vel vaporoſa miaſmata infeſtant; nam iis ſubinde conferunt, quibus vis fermentativa ſanguini inducenda, ut in ſuppreſſione men-

 ſium

rum. 9. Acida pariter vix non omnes lædere hyſtericas, ſixatis humoribus & irritatis membranis, licet uterum non omnia lædant. 10. in caſu dubio, an menſes ſint ſuppreſſi, vel fœmina gravida, vix ultra martialia aſcendendum, cum hæc non noceant, ſed ſimul roborent. 11. Clyſteres uterinos egregiè quidem elutriare & abſtergere uterum: virginibus verò & gravidis non convenire, velut & peſſos ac ſimilia topica.

Formulæ

Remediorum Hyſtericorum & Uterinorum.

DEcoctum Emmenagogum. ℞. *Rad. fœnic. ap. rub. tinct pimpinell. an. unc. ss. herb. puleg. arthemis. ſerpill. calaminth. mont. meliſſ. an. m. ss. fl. cheir. calend. an. p. i. cic. rub. unc. i. ss. bacc. laur. unc. ss. ſabin. dr. iii. ſem. mil. ſol. anis. an. dr. iii. cinam. acut. dr. vi. incis. & conquaſſ. coq. in s. q. aq. ſ. in Col. lib. i. ss. diſſolv. ſyr. de arthemis. unc. iii. mixta clarif. & filt.* add. *eſſent. croc. gut. xxx. M. S.* Decoctum contra menſtrua retenta de quo mane, & veſperi potus ſumendus.

Aliud. ℞. *Arthemis. rub. m. i. ss. calaminth. orig. meliſs. mentaſt. puleg. an. m. ss. rad. oſtrut. fœnic. petroſel. pimpinell. cort. arant. an. dr. ii. ss. bacc. jun. per. unc. i. ſem. fœnic. petroſel. geniſt. hyper. an. dr. iii. coq. in vin. alb. s. q. Col. & bibatur m. bonus hauſtus.*

Julepus Emmenagogus. ℞. *Succ. limon. lib. ss. cum s. q. ſacch. f. inſtar. Julapii ad ignem, addendo ſub finem croc. q. ſ. ad ſaturatam flavedinem S.* Julepus emmenagogus, de quo bis in die 3. cochlearia plena ſumenda, & per quatuor dies continuandum.

Jula-

Julapium Hyſtericum camphoratum. ℞. *Camph. dr. ij. incende & ſæpè extingue in aq. font. lib. i. ad totalem camph. conſumptionem Col. dentur cochl. 4. vel 5. ſæpè in paroxyſmo Hyſterico.*

Julapium Hyſtericum fœtidum. ℞. *As. fœtid. dr. i. ss. ſolv. in aq. ceras. nig. unc. vi. ſine calore in mortar. frig. ut lacteſcat; ſumatur cochl. i. in initio & fine paroxyſmi.*

Julapium Hyſtericum moſchatum. ℞. *Aq. namph. unc. vi. moſch. ſcr. ss. ſang. drac. ſcr. i. M. pro 2. dos. in paroxyſmo.*

Potiuncula ad Dyſtociam vel centies experta. ℞. *Aq. meliſs. arthemis. cinam. hyſter. an. unc. i. myrrh. el. ſcr. i. ss. ſuccin. alb. præp. ſcr. i. croc. ſcr. ss.* M. *f. Potiuncula actu calidè haurienda & intra 4. horas repetenda, ſi prima non ſortiatur effectum.*

Mixtura Hyſterica. ℞. *Aq. meliſs. borrag. an. unc. ij. ss. marg. præp. ſcr. i. ss. Caſtor. gr. v. camph. gr. ij. M. S.* Mixtura hyſterica cordialis cochleatim ſumenda.

Alia. ℞. *Aq. Ceras. nig. rut. hyſteric. alb. an. unc. iij. caſtor. in dodulo ligat. & in vitro ſuſpens. dr. ss. Sacch. q. s. M. F. Julap. de quo capiat cochl. 4. vel 5. in omni languore, inſtillando primæ doſi, ſi Paroxyſmus urgeat, ſp. C. C. gut. xx.*

Alia. ℞. *Aq. meliſſ. puleg. fl. chamom. an. unc. i. ss. tinct. caſtor. cum ſp. ſal. armon. fact. dr. ss. ſpirit. meliſs. ſcr. i. ol. deſtill. ſuccin. gut. iij. ſyr. de ment.* vel *cort. arant. unc. ss. M.*

Mixtura in ſuppreſſione Lochiorum. ℞. *Elix. prop. P. dr. i. ss. Eſſent. caſtor. dr. i. M.* doſ *gut. xv. ex vino calido, in quo tantillum croc. mac. & cinam. ebullierit.*

Alia. ℞. *Aq. arthemis. hyſteric. Mins. an. unc. i. ss. cinam. unc. ss. pulv. myrrh. el. ſar. i. ſuccin. alb. præp. caſtor. an. ſcr. ss. M. pro una vice, & ſic pro ceteris.*

Potio

Potio ad expellendam Secundinam. ℞. *Troch. de myrrh. dr. i. cinam. acut. teſticul. eq. præp. an. ſcr. i. croc. orient. ſcr. ss. Borrac. gr. v. aq. arthemis. unc. ij. M. pro una doſi.*

Vinum Emmenagogum. ℞. *Rad. Curcum. ſcr. ii. dictamn. alb. dr. ss. coſs. lig. cinam. acut. an. ſcr. iiii. herb. meliſs. puleg. an. m. ij. cort. flav. cit. arant. an. ſcr. iv. croc. orient. ſcr. i. M. inciſa dentur ad Nodul. pro mens. i. vin. alb. & mens. s. aq. meliſs. deſtillat.* Doſ. *unc. iv. cum gut. vj. vel vii. tinct. chalyb.*

Aliud fortius, pro Secundina quoque aut Fœtu mortuo ejiciendo utilis. ℞. *Fol. ſabin. arthemis. dictamn. ceret. roriſm. puleg. an. m. ss. rad. ariſtol. rot. apii, Ireos, rub. tinct an. unc. ss. bacc. laur. dr. vi. borrac. venet. troch. de myrrh. an. dr. iij. caſs. lign. acutiſs. unc. ss. croc. integ. dr. ij. incis. & conquaſs. affunde vin. generoſ. q. s. ſtent. in infus. perpetua in loco calido optimè clauſa.* Detur ſingulis horis matutinis hauſtus calidus.

Brodium Emmenagogum, fit ex *Decoct. Rad. enul. petroſel. cic. rub. cum cinam. croc. & mac.*

Electuarium Lochia provocans. ℞. *Conſ. abſinth. Rom. rut. an. unc. i. troch. de myrrh. dr. ii. caſtor. croc. ſal. vol. ſalis armon. as. fœtid. an. dr. ss. cum s. q. ſyr. de S. rad. M. F. Elect. de quo capiatur magnitudo nuc. moſch. major. tertia quaque hora ſuperbibenda cochl. 4. vel 5. ſeq. Julepi.* ℞. *Aq. rut. meliſs. an. unc. iij. ſacch. cand. q. s.*

Pilulæ hyſtericæ. ℞. *Caſtor. dr. i. ſal vol. ſuccin. dr. ss. cum s. q. Balſ. Peruv. M. F. Pilul. N. xxiv. capiat tres ſingulis noctibus, ſuperbibendo cochl. ij. vel iij. aq. hyſter.*

Aliæ. ℞. *Myrrh. el. galban. an. dr. i. ss. caſtor. gr. xv. cum s. q. Balſ. Peruv. M. f. Pilul. ex dr. i. N. xii. ſumat 3. ſingulis noctibus.*

Aliæ Camphoratæ. ℞. *Camph. ſcr. ii. caſtor. dr. i. as. fœtid. ſcr. iv. ſem. dauc. ſylv. dr. i. ss. ſyr. de arthe-*

themis q. s. M. F. Pilul. 6. ex dr. i. vel ℞. *Pulv. ſem. vitic. unc. ss. rut. as. fœtid. camph. an. dr. i. caſtor. dr. ii. ol. ſuccin. gut. xx. ſyr. de arthemis. q. s. f. maſſ. Pilular.* Doſ. *à ſcr. ss. ad g. xv. tertia quaque hora in paroxyſmo Hyſterico, & præterea hora ſomni extra paroxyſmum ſingulis noctibus.*

Pilulæ in Menſium diminutione & conjuncto dolore. ℞. *Extract. aloes, croc. myrrh. caſtor. an. gr. viii. laud. op. gr. vi. ol. ſabin. gut. v. M. F. Pilul. N. xxviii.* Doſ. *N. vii. tribus diebus ante eruptionem menſium, ſub hora decubitus.*

Pulvis Hyſtericus expertus Timæi. ℞. *Fæcul. bryon. ſcr. ii. marg. præp. ſcr. i. caſtor. gr. xxv. ol. deſt. rut. ſuccin. alb. an. gut. v. M. F. Pulv. divid. in 3. p. æq. & repetitis vicibus, ſi opus fuerit, ori infundatur cum vino calido, in quo tantillum mac. & croc. bullierit.*

Pulvis Partum provocans. ℞. *Myrrh. el. ſcr. i. ſuccin. alb. borrac. an. ſcr. ss. cinam. gr. viii. M. F. Pulv. ſumendus ex aqua lil. alb. hyſter. & puleg.*

Alius. ℞. *Epat. anguill. exſicc. & pulv.* vel *ægagropil.* aut *teſtic. eq. præp. à dr. ss. ad dr. i. Borrac. venet. ſcr. i. M. detur ex aq puleg. meliſſ. & hyſter.*

Pulvis Emmenagogus. ℞. *Bacc. laur. maſſa panis circumdact. & in clib. coct. unc. ss. ſumit. cent. min. myrrh. rub. croc. an. ſcr. i. cinam. ſabin. ariſtol. rot. dictamn. alb. an. gr. xxiv. M. F. Pulv.* Doſ. *a dr. ss. ad ſcr. ii.*

Alius. ℞. *Rhab. el. dr. ii. puleg. abſinth. ſabin. bacc. laur. an. dr. i. mac. dr. ss. croc. ſcr. i. M. F. Pulv.*

Alius. ℞. *Rad. dictamn. alb. dr. iii. zedoar. calam. arom. cinam. mac. croc. cort. clt. an. dr. i. troch. de myrrh. borrac. venet. an. ſcr. iv. ſem. nigell. dr. ii. fœnic. cumin. anis. bacc. laur. an. dr. i. M. F. Pulv. cujus* doſ. *dr. i.*

Alius. ℞. *Crem. tart. cryſt. tart. an. dr. ii. ſal. arthe-*

arthemis. abſinth. puleg meliſſ. ſpirit. ſal. coagul. an. dr. ss. pulv. agar. rad. aſar. gial. an. dr. ii. Rhab. ver. dr. i. croc. orient. ſcr. i. troch. de myrrh. dr. i. ss. ol. mac. ſabin. an. ſcr. ss. M. F. Pulv. ſubtiliſſ. cujus doſ. *dr. i. ex aq. meliſſ. puleg.* &c.

Tragæa Emmenagoga. ℞. *Spec. dianth. diarrhod. Abb. an. dr. i. pulv. aſar. Rad. Ir. cyclam. dictamn. alb. ariſtol. rot. Cyper. gentian. zedoar. an. ſcr. ii. ſuccin. alb. myrrh. cinam. an. dr. ss. ſem. ſeſel. dauc. an. ſcr. i. Eſſent. cit. ſaccharin. ad pondus omnium f. Trag.*

Pediluvium in ſuppreſſione Menſium. ℞. *Herb. arthemis. meliſſ. puleg. roriſm. an. m. ii. s. fl. chamom. calendul. an. m. i. bacc. laur. unc. i. ss. M. incis. & contuſ. ad chart. S. Species* pro pediluvio.

Emplaſtrum Matricale. ℞. *Empl. matrical. Auguſt.* vel *gumm. carann. unc. i. extend. ſuper alut.* Vel ℞. *Galb. tacamah. an. unc. ss. diſſolv. & extend. ſuper alut. ac infra umbilic. applicetur.* Vel ℞. *Galb. in tinct. caſtor. ſolut. col. dr. iii. tacamah. dr. ii. M.*

Suffitus humidus in ſuppreſſione Menſium vel Lochiorum. ℞. *Herb. matricar. puleg. an. m. i. ſabin. m. ii. bacc. laur. juniper. an. unc. i. pom. colocynth. unc. i. inciſ. graſſo modo dentur ad chart. S. Species* pro fomento. *ebull. in aq. commun. cujus vapor fervidus excipiatur per infundibulum, in ſella undique clauſa. Si citius liquor deferveat, injectione ſilicis vel chalyb. igniti denuò calefieri poteſt.*

Suffitus ſiccus in eundem finem. ℞. *Sabin. m. s. myrrh. dr. ii. aſphalt. troch. alband. an. dr. i. M. F. Pulv.* Vel ℞. *Caryoph. cinam. mac. an. dr. ii. bacc. juniper unc. ss. ſem. nigell. dr. i. ſtyrac. calam. dr. ii. M. F. Pulv. groſſ.*

Odoramentum in paſſione Hyſterica. ℞. *Caſtor. as. fœtid. an. dr. ss. ol. ſuccin. ſcr. ss. M. & in ſerico involve f. Nodul. naribus admovendus.* Vel ℞. *Galb. as. fœtid.*

fœtid. an. dr. ii. caſtor. dr. i. ss. ſal. vol. ſuccin. dr. ss. M. f. Nodul. vel ſæpius olfaciat ſp. ſal. armon.

Enema Hyſtericum. ℞. *Decoct. commun.* vel *Emoll. unc. x. camph. dr. i. ol. rut. unc. ss. mell. mercurial. unc. iii. M.*

Aliud. ℞. *Herb. mercurial. pariet. arthemis. puleg. rut. calam. an. m. i. ſem. carv. cumin. bacc. laur. an. dr. ii. coq. ad lib. i. in Col. diſſolv. elect. hier. pic. benedict. laxat. an. unc. ss.* vel *dr. vi. ol. rut. unc. ii. camph. ſcr. ss.*

Aliud in Partu difficili. ℞. *Herb. mercurial. malv. arthem. fl. chamom. an. m. i. fl. lil. alb. p. i. rad. alth. bryon. ariſt. rot. an. dr. vi. coq. in s. q. aq. in Col. unc. viii. diſſolv. Elect. lenit. dr. vi. ol. lil. alb. amygd. d. an. dr. vi. vitell. ov. N. i. Borrac. venet. dr. ss. M.*

ARTICULUS XI.

De Officio Medici, in conſiderandis & præſcribendis Remediis Arthriticis.

I.

MEdicamenta *Arthritica* ſeu *articularia* ſunt, quæ articulis appropriata, affectibus eorum ſuccurrunt, tum reſpiciendo ſerum, quod vel exſiccant, ejuſque quantitatem abſumunt, ut v. g. china, ſaſſafras &c. Vel qualitatem ejus acrem diluunt & temperant, ut lac, emulſ. &c. Aut invertunt & abſorbent, ut martialia, antiſcorbut. &c. Vel reſolvunt, feroque fluxibilitatem fœnerantur, ut cinnabarina, tum reſpiciendo nervos, membranas, tendines & ligamenta per roborantia, qualia ſunt, quæ ſulphure balſamico oleoſo ſuavi & roſcido pollent, tum mitigando dolorem ipſum urgentem, à tenſione & vellicatione membranarum oriundum, tum intus, per emulſ. cinna-

cinnabarina, tum extrinſecus, per paregorica ac nervina, ſpirituoſa ſulphurea & urinoſa, ac præſertim è lumbricis & formicis parata.

II.

CIrca uſum horum Not. 1. Sæpè optimum Medicamentum topicum arthriticum eſſe, non uti topico, cum ſanè præſtet internis tollere cauſam morbificam, roborare genus nervoſum, & acrimoniam demulcere, quam externis inhærere. 2. Cavendum eſſe, ne, dum per externa juvare intendimus, articulorum tonum deſtruamus, vel ſerum nimis exhauriendo, vel nimis laxando ut magis influat, vel ad partes principaliores repellendo. 3. Dextro oculo corpus: ſiniſtro articulos reſpiciendos eſſe, niſi malum fuerit à cauſa externa. Videndum igitur, ne ipſi negligantur articuli, neque etiam ipſa viſcera & maſſa ſanguinea. 4. Topica, dum blandiuntur ſenſu, ſæpè inſidioſa eſſe motui, adeoque ita ſenſui triſti medendum eſſe, ne motum cum ſenſu auferamus. 5. Non conſtantem æquè affectum exſpectari poſſe à quocunque topico, cum localia ſæpè exaſperent dolores & morbum, ac quæ una vice proſunt, altera noceant, atque ex his ſeliganda, in primis defenſiva & roborantia. 6. Quæcunque magis impingunt & figunt humores, præ ceteris nociva eſſe articulis, ut repellentia. 7. Unctuoſa quoque, pinguia & emplaſtica, minus competere certum eſt in arthriticis, hinc frequens docet experientia, unguenta, emplaſtra & ſimilia, plus damni dediſſe podagricis: immò plures ex arthritide vaga hoc modo fixam ſibi accerſiviſſe, plurimos etiam tophos; adeò, ut tales podagrici contracti & conſummati revera captivi fiant, ex intempeſtivo topicorum emplaſtrorum, aliorumque uſu. Diſtinguenda igitur ſunt articularia Medicamenta, pro diſtinctione morborum, quibus obſidentur articuli.

For-

Formulæ
Remediorum Arthriticorum.

VInum Arthriticum purgans, ℞. *Chin. ſarſapar. an. unc. ii. polyp. querc. unc. iii. Rhab. ſenn. an. unc. i. gial. dr. vi. caryoph. dr. i. vin. alb. lib. vi. inf. ſ. a. & Col.* doſ. *unc. iv. quotidiè per dies viii. vere & autumno, vel etiam imminente Paroxyſmo.*

Vinum Arthriticum alterans. ℞. *Sarſapar. guajac. an. unc. i. viſc. querc. dr. vi. fol. ſicc. chamæd. chamæpyth. ſalv. an. unc. iii. fl. primul. ver. roriſm. lil. convall. an. unc. ss. hyper. dr. vi. vin. alb. lib. x. inf. per dies 3. f. Col.* doſ *unc. ii. bis in die per dies* 30. vel *poſt uſum vini prioris.*

Vinum Antipodagricum Paracelſi. ℞. *Rad. caryophyllat. acor. an. unc. i. fol. majoran. m. iv. fl. ſambuc. p. iv. infund. in vin. lib. iii. ſtent. in infuſ. per viii. dies ſumatur ex hoc m. & v. hauſtus.*

Aliud. ℞. *Sarſapar. rad. chin. lig. ſaſſafr. an. dr. i. ss. rad. Pœon. irid. flor. an. dr. ij. caryoph. dr. i. herb. chamæd. dr. ii. beton. ſalv. an. dr. i. fl. hyper. primul. ver. an. dr. ss. mac. dr. ss. ſem. coriand. præp. ſcr. iv. incid. & contund. pro vin. alb. mens, iii. ss. detur primus hauſtus ad paſtum.*

Electuarium amarum Antipodagricum Sydenham. ℞ *Rad. angel. calam. aromat. imperat. enul. fol. abſinth. vulg. cent. min. marrub. alb. chamæd. chamæpyth. ſcord. calaminth. hyper. virg. aur. ſerpill. ment. ſalv. rut. card. b. puleg. abrot. fl. cham. tanacet. lil. convall. croc. ſem. thlaſp. cochlear. carv. bacc. juniper. an. q. pl. mell. deſpum. & vin. Canariens. q. s. M. F. Elect.* doſ. *dr. ii. m. & v.*

Aliud. ℞. *Sarſapar. unc. iv. ſem. hyper. fol. chamæpyth. camæd. an. unc. iii. ariſt. rot. dr. vi. angel.*

cinam.

cinam an. dr. ii. caryoph. ſcr. iv. croc. ſcr. ii. omnia in tenuiſſimum pulverem redacta incorpor. cum s. q. mell. Hiſpan. coct. f Opiat. qua utatur æger per integrum annum, ſumendo quotidie diebus veris, hyemis & autumni dr. i. ss. æſtate dr. ij. diebus canicularibus omnino abſtineat.

Pilulæ Antipodagricæ. ℞. *Rad. ariſtol. rotund. long. an. unc. ss. polyp. querc. dr. ii. C. C. phil. præp. ſal. vol. lumbric. terreſt. an. dr. ss. cran. hum. præp. dr. ss. cum gelat. C. C. M. f. Pilul. ex dr. i. N. xxxx. aſperg. pulv. ſant. cit. ſumantur N. vij. m. & v. pro integrum annum, ſi affectus radicatus.*

Aliæ. ℞. *Pulv. caſtor. opt. unc. ss. ſuccin. alb. chamæd. chamæpyth. an. dr. vi. ſal. ſuccin. ceruſſ. antim. Bals. Tolut. an. unc. i. rad petaſit. dr. iii. tereb. venet. unc. ii. Balſ. ſulph tereb. q. s. M. F. maſſa pilularis* doſ. *dr. ss. bis in die, per menſes duos* vel *tres, bibendo propotu decoct. ſarſapar. chin. rad. petaſit. cum uv. paſſ.*

Pulvis Antipodagricus. ℞. *Pulv. fol. chamæd. chamæpyth. cent. min. maior. ſalv. beton. rad. gent. ariſtol. rot. an. unc. i. ſacch. lib. i. M. f. Pulv.* Vel ℞. *Pulv. fol. ſalv.* vel *chamæpyth. lib. ss. ocul. canc. ſacch. an. unc. ii. M. F. Pulv. alii etiam addunt oſſa humana ped. calcinat.*

Pulvis Arthriticus Wepferi. ℞. *Lumbric. terreſt. præp. unc. ss. C. C. phil. præp. ungul. alc. præp. an. dr. ii. ol. nuc. moſch. expr. gut. iv. ſacch. albiſſ. unc. i. ss. M.* doſ. *m. dr. i. & v. dr. ss.*

Alius ejuſdem. ℞. *Antim. diaphoret. cum triplo nit. deton. dr. i. ss. ſal. vol. lumbric.* vel *viper. ſcr. ii. cinnab. antim. ter cum cinnab. nat. ſublimat. ſcr. i. C. C. phil. præp. dr. i. ss. ol. cinam. gut. ii. M. F. Pulv.*

Pediluvium Podagricum. ℞. *Roriſm. hyper. puleg. laur. arthemis. an. m. iii. ſal. nig. lib. i. ſal. armon. unc. ii. furf. mac. unc. vi. Coq. in aq. cong. ii.* add. *ſapon. venet. unc. ii. ſp. vin. lib. ii. M.*

Aliud

Aliud ad firmandos articulos podagra debilitatos, ac ſimul à crebriore recidiva præſervans. ℞. *Bacc. Juniper. lib. ss. herb. roriſm. m. vi. ſerpill. ſalv. an. m. ii. M. S. Species coq. in s. q. lixivii commun. non adeò acris. Decoct. decantato cum* vel *ſine Col. immittuntur pedes, coercendo halitus integumento vaſi ſuperimpoſito, conſervando æſtum* vel *novo decocto, vel ſilice candefacto immiſſo.*

Aliud. ℞. *Salv. roriſm. chamom. arthemis. hyper. abſinth. vulg. an m. vi. ſal. nig. m. iii. coq. in aq. cong. iii. ad ii. f. col. pro Fotu.*

Fomentum in doloribus Arthriticis frigidoribus. ℞. *Aq. Arthrit.* vel *Anhalt. unc. ii. ſpirit. iuniper. unc. iv. ſpirit. vin. opt. lib. ss. M.* Vel ℞. *Spirit. iuniper. unc. iii. roriſm. lavend. an. unc. i. alum. crud. dr. iii. M. S.*

Aliud in dolore Dorſi. ℞. *Aq. vit. unc. vi. quibus infund. fl. roriſm. ſalv. lavend. maioran. an. p. ii. cardam. dr. i. caſtor. ſcr. i. ſtent in vitro probè clauſo in digeſtione, vitrum quotidie agitando, de hac aqua.* ℞. *Unc. ii. aq. ſalv. deſtill. ſpic. ſcr. i. M. manus imbuatur hoc liquore & f. unc. ss. ol. deſtill. Frictio ſupra dorſum.*

Aliud expertum in dolore Iſchiadico. ℞. *Bacc. iuniper. unc. ss. piper. nig. maſt. el. an. dr. ss. M. F. Pulv. groſs. indendus vitro anguſt. orificii, ſuperaffund. ſpirit. vin. alcoholis. unc. iv. ſp. iuniper. unc. ii. ſtent. in digeſt. per hor. 4.* vel *v. poſtea in Col. in mortar. frig. diſſol. ſapon. venet. dr. ii.*

Fomentum in dolore Podagrico. ℞. *Lapid. pum. dr. iii. medicamentoſ. Croll. dr. v. alum dr. ii. ſal. comm. dr. i. ſulph. ſcr. ii. caſtor. mum. an. ſcr. i. myrrh. ſcr. iv. croc. gr. xii. infund. per hor. xii. in loco calido in aq. ſpermat. ran. unc. viii. verbaſc. unc. iii. vin. alb. unc. iv. acet. ſquill. unc. i. ss.* add. *mell. deſpum. unc. i. bull. parum in duplici vaſe. Col.* add. *ſp. tart. ſcr. iv.*

Aliud. ℞. *Tinct. croc. cum ſpirit. vin. parat. unc. iv. camph. op. an. dr. i. diger. loco calido ad diſſolut.*

Aliud. ℞. *Spirit. vin. rectif. unc. viii. ſp. ſal. armon. dr. iii. camph. dr. ss. tinct. op. caſtor. an. ſcr. ii. M.* Vel *ſeq.* Wepferi. ℞. *Butyr. antimon. dr. i. ſp. vin. lib. ss. M.* Vel *ſeq.* Grulingii, *quod intra 2. horas dolorem ſedare dicitur.* ℞. *Caput mort. vitriol. acet. deſtill. an. unc. ss. opii thebaic. dr. i. aq. chelidon. maj. fl. ſambuc. an. unc. viii. M.*

Unguentum Antiparalyticum. ℞. *Ol. lumbric. unc. ii. philoſoph. unc. ss. vulp. laur. rutac. an. unc. i. ol. deſt. ſuccin. ſcr. i. major. ſalv. roriſm. an. gut. xv. pingued. caſtor. dr. ii. M. inung. ſpinam & latus paralyticum bis in die præmiſſis frictionibus.*

Unguentum Nervinum. ℞. *Ung. nerv. unc. i. ss. ol. laur. unc. ss. lumbric. dr. iii.* vel ℞. *Ol. juniper. petrol. an. unc. i. ſuccin. dr. ii.* vel ℞. *Ung. nerv. unc. ij. Ol. tereb. chamom. aneth. an. dr. ii. juniper. philoſoph. petrol. an. dr. i. ſem. urtic. ſcr. i. M.*

Emplaſtrum Antipodagricum. ℞. *Op. ſapon. venet. an. unc. ss. Emplaſt. diacalcit. unc. ii. M. ſ. a.* Vel ℞. *Sacch. ſaturn. rub. unc. ix. olei lib. i. ſapon. alb. unc. ii. cer. unc. i. coq. s. a.*

Emplaſtrum Iſchiadicum. ℞. *Gumm. carann.* vel apud vulgares *pic. naval. unc. i. ss. extend. ſuper alut.* Vel ℞. *Pic. naval. unc. ii. ſulph. commun. ſubtiliſſ. dr. iii. maſt. dr. i. tereb. unc. ss. M.* poſſet etiam addi *caſtor.* vel *Gumm. ammon. aceto diſſol.*

Aliud. ℞. *Emplaſt. de melilot. diapalm. an. unc. ss.* vel *Empl. diapalm. diaphoret. Mins. an. unc. i. ſal. armon. ſcr. ii. malax. cum ol. chamom. & lumbric.*

Cataplaſma anodynum Antipod. ℞. *Medull. pan. alb. unc. iii. macerentur in lact. ebull. ac coque parum, hinc adde vitell. ov. N. ij. pulv. fl. chamom. dr. i. croc. ſcr. i. M.*

Aliud

Aliud Domeſticum . ℞. Herb. rap. ex aqua compreſſa poſtea in frixura frixa , imponatur calide.

Suffitus in doloribus Articulorum . ℞. *Succin. cit. unc. i. ss. lign. iuniper. unc. i. thur. dr. ii. myrrh. dr. iii. M. inciſ. & contuſ. dentur ad ſcatul.* Vel ℞. *Succin. flav. unc. ii. maſt. el. unc. ss. ſummit. roriſm. lavend. fl. calend. an. dr. vi. bacc. iuniper. unc. i. M. F. Pulv groſs. cuius ſuffitus in linteo molli aliquoties complicato excipiatur , ac applicetur.*

CAPUT X.

De Officio Medici in Affectibus indicantibus Adſtringentia, Stegnotica, Hypnotica, Anodyna & Vulneraria.

ARTICULUS I.

De Officio Medici, in conſiderandis & præſcribendis Remediis Adſtringentibus, & Sanguinem ſiſtentibus.

I.

MEdicamenta *Adſtringentia* ſunt, quæ quidquid laxum eſt adſtringunt, utilia præſertim in vomitu, diarrhœa, lienteria, dyſenteria, gonorrhœa, fluore albo, aliiſque ſimilibus affectibus; vim ſuam exercent, vel villos ſeu fibras molliores, flaccidas & expanſas cogendo, roborando, contorquendo & uniendo, vel poros cutis, vaſorum, meatuum & viarum corrugando, criſpando, colligando, incuneando, contrahendo, obliniendo, replendo, ac obſtruendo; quo etiam ſpectant *condenſantia* & *emplaſtica*, vel humores efferatos, fluxiles, tenues & impetuosè motos, in impetu ſuo coercendo, ipſoſque incraſſando, inviſcando, concentrando, cohibendo & refrænando. Inter adſtringentia ſunt, tum terrea exſiccantia & abſorbentia, tum acerba & auſtera, tum acida humores fluxiles coagulantia & quaſi figentia, tum emplaſtica, tum narcotica, martialia, tum etiam eſcharotica, non quidem propriè, ſed quatenus & humorem

rem fluentem abſumunt, & cruſtam inducunt partibus propugnaculi loco, atque adſtrictionem poſt ſe relinquunt. Huc etiam refero Medicamenta *Iſchema*, ſeu *ſtegnotica* & ſanguinem ſiſtentia, ut intra alveos ſuos commoretur, nec extravaſetur; qualia itidem ſunt, vel reſpicientia ſanguinis orgaſmum, rarefactionem, & ebullitionem ejus ſiſtentia, ut præcipitantia, terrea, temperantia aquea, refrigerantia acida; vel reſpicientia ſanguinem ſeroſiorem, fluxiliorem & acriorem, ut incraſſantia, adſtringentia, opiata; vel vaſorum oſcula aperta, ut conſolidantia, glutinantia, ſanguinem imbibentia, coagulantia, & ſanguinem in cruſtam quaſi redigentia, cauterizantia, quæ torrefaciendo ſanguinem, & vaſa criſpando ac occludendo, ſanguinem ſiſtunt.

II.

IN uſu horum omnium. Not. 1. Adſtringentia debere eſſe convenientia tum partibus, quibus debentur, tum humoribus & cauſæ, ſit ventriculo magis conveniunt adſtringentia aromatica vel acida: in affectibus pulmonum miſcenda reſolventia: in affectibus epatis penetrantia acida, in affectibus capitis balſamica, ſi materia fluxilis & acris, magis mucilaginoſa, ſi maligna, quæ ſimul bezoardica. 2. Nunquam nimis adſtringendum eſſe, ne ſubſidant nimis pori, & hinc vix relaxari queant, præſertim etiam, cum ſubinde fluxus moderari potius quàm ſiſti petant. 3. In affectibus pectoris in genere parci adſtringentibus utendum eſſe, tum quia tonus pulmonum laxitate gaudet, tum quia facile vitioſa materia ob viciniam ad cor repelli poteſt. 4. In uſu adſtringentium ſemper rationem habendam eſſe ventriculi, nè fermentum ejus deſtruatur. 5 Adſtringentium vim augere anodyna vel opiata, ac moderari reſolventia, perpetuo miſcenda in ſputo ac vomitu cruento,

caſu ab alto, &c. 6. Vim adſtringentium, ubi paulo poſt remittit, novis doſibus juvandam eſſe.

III.

PRæterea 7. Not. Adſtringentibus liquidis, vel particulas laxiores habentibus, minus fidendum eſſe, ut v. g. dulcibus, ſyrupis, clyſteribus, fomentis, balneis, unguentis &c. 8. Adſtringentia non commodè dari cum cibis. 9. Fluxu ſanguinis, oriundos vel ab obſtructione vaſorum, & ordinario denegato ſpatio, vel humorum orgaſmo & copia, minus tolerare adſtringentia: plus verò, ut v. g. purgantia, aperientia & imprimis acida. 10. Adſtringentia alimentoſa, ventriculum debiliorem habentibus, ante cibos reliquos aſſumpta, adſtringere: poſt aſſumpta, alvum laxare, fibris nempe ſuperioribus conſtrictis, & inferioribus laxatis. 11. Adſtringentia externa actu frigida applicari, v. g. ubi repellendum, ubi ſanguinis rarefactio, impetus & effuſio ſiſtenda, v. g. adhibita teſtibus, hypochondriis, & in primis fronti, unde anacollemata & frontalia, ex adſtringentibus actu frigidis confici & adhiberi ſolent, cum cerebro nocere nequeant, obſtante oſſium vallo: minus frigida locum habent in thoracis, ventriculis, epatis & uteri affectibus. 12. Adſtringentia uti & opiata, in dyſenteria intra 6. 7. horas efficaciam ſuam deperdere; hinc repetenda, neque ab eorum uſu ceſſandum. 13. Adſtringentia longè efficacius adhiberi in forma ſicca, ut pulv. trochiſc. pilul. quàm humida, utpote citius defluente: extrinſecus etiam in forma emplaſt. cerat. frontal. quàm foment. Baln. clyſt. unguent. &c. 14. Adſtringentia non debere eſſe in uſu, quibus alvus ſiccior & quibus menſes fluxuri ſunt; obſervandum tamen in hoc caſu, quid magis urgeat. 15. Aromatica adſtringentia, ut v. g. nucem moſch. maſtich. terreis mixta; diarrhœis, dyſenteriis & vomitibus maximè amica eſſe.

eſſe. 16. Topica ſanguinem ſiſtentia, illis locis applicanda eſſe, ubi vel immediatè id opus eſt, vel ſanguis magis refrigerari poteſt, ſic applicantur bregmati, fronti, ſub lingua, nuchæ, naribus, collo, hypochondriis, teſtibus, plantis pedum, ſub axillis &c. 17. Ligaturas leviores extremorum, pro remorando ſanguine non eſſe inutiles, quo nomine quoque frigida, ut lapides & ſimilia, præter affluxia, quæ præſtant, arctius manu vel ſub axillis detenta, commendantur, in quibus tamen non excedendum, præſertim, ſi impectuoſus ſanguinis motus conjunctus. 18. Cauſtica & corroſiva, ad hæmorrhagias ſiſtendas, non æque ſemper tuta eſſe. Nam licet initio venas adſtringant ob partes ſtipticas, corrodendo tamen poſtmodum & irritando, gravia ſymptomata inducere valent, hinc ignis actualis melior.

Formulæ

Remediorum Adſtringentium & Sanguinem ſiſtentium.

DEcoctum *Timæi* comprobatiſſimum, ad Hæmoptyſim & reliquos fluxus ſanguinis. ℞. *Rad. ſymph. mai. unc. i. ss. plantag. pimpinell. an. dr. ij. tormentill. unc. ss. alth. liq. an. dr. iii. herb. burs. paſt. prunell. polyg. chærefol. conſolid. med. ſanic. an. m. i. fl. ros. rub. hyper. bellid. cum tot. an. m. s. ſem. hyper. dr. iii. incis. groſſo modo inf. per noct. in s. q. aq. mané coq. de Colat. cum album. ov. clarif.* ℞. *Lib. ii. ss. add. ſyr. de ſymph. unc. iii. de alth. unc. ij. oxymell. ſ. unc. i. ss. M. S.*

Aliud. ℞. *Rad. ſymph. torment. glyc. an. unc. ss. herb. veron. centinod. ſanc. millefol. alchimil. agrim. an. m. ss. fl. ros. balauſt. bellid. min. an. p. ii. nuc. pin. unc. i. ſantal. rub. unc. ss. coq. in ſ. q. aq. font. de*

Colat. ℞. *Lib. ii. diſſolv. ſyr. de roſ. ſicc. de ſymph. Fernel. an. unc. i. M.*

Julepus in Hæmorrhagiis. ℞. *Aq. frag. unc. vi. burs. paſt. endiv. cich. ros. an. unc. iii. ſyr. corall. unc. iii. frag. papav. errat. an. unc. i. ss. ſucc. cit. acid. unc. ii. M.* Vel ℞. *Tint. ros. cum s. q. ſp. vitriol. lib. ii.* Vel ℞. *Syr. pro tinct. ros. parat. unc. iii. aq. font. lib. ii. ſp. vitriol. q. s. M.*

Mixtura ſtegnotica *Sylvii.* ℞. *Aq. plantag. unc. iii. cinam. dr. iii. acet. vin. dr. iii. corall. rub. præp. terr. ſig.* vel *ſang. drac. an. ſcr. i. laud. op. gr. iii. M. Capiat cochleatim.*

Alia. ℞. *Aq. plantag. fol. querc. burs. paſtor. centinod. an. unc. i. ss. lapid. hæmat. præp. corall. rub. præp. carneol. præp. an. ſcr. i. ſperniol. Croll. ſcr. ss. ſyr. corall. papav. errat. an. unc. ss. M.*

Emulſio adſtringens, in Fluxibus ſanguinis. ℞. *Sem. papav. alb. dr. iii. 4. frig. m. excort. an. dr. i. amygd. d. unc. ss. aq. plantag. portul. ros. an. unc. i. ss. M. F. Emulſ. add. pulv. ſtegnot. Guttman. ſcr. i. corall. rub. præp. ſcr. ss. rotul. man. Chriſt. perl. dr. i. ſpirit. frag. gut. xi. M. S.* Emulſio adſtringens fluxum ſanguinis, ante cubitum ſumendæ.

Alia. ℞. *Amygd. d. rec. unc. ss. ſem. melon. excort. dr. ii. papav. alb. dr. i. ss. plantag. dr. ss. aq. fol. querc. plantag. burs. paſt. an. unc. i. ss. M. F. Emulſ. add. lap. hæmat. præp. corall. rub. præp. an. ſcr. i.* vel *lap. cryſolit. ſang. drac. nit. perl. an. ſcr. ss. ſacch. perlat. dr. ii. M.*

Alia anti-Dyſenterica. ℞. *Amygd. d. non rancid. unc. i. ss. aq. dyſenter. Dorncreull. unc. iii. ros. fol. querc. an. unc. ii. M. F. Emuls. cui add. C. C. uſt. præp. dr. i. marg. præp. corall. rub. præp. an. ſc. i. ſpirit. rub. id. roſar. an. ſcr. i. rotul. man. Chriſt. dr. ii. ss. M. S.* Emulſio adſtringens.

Alia. ℞. *Amygd. d. excort. unc. i. ss. aq. in qua aur. ignit. ter. extinct.* vel *decies chalybeat. lib. i. ss.*

M. F.

M. F. Emuls. add. man. Chriſt. perl. dr. vi. M. Vel *℞. Amygd. d. unc. i. ſem. melon. dr. vi. papav. alb. dr. ii. C. C. uſt. præp. ſcr. ii. aq. plantag. lib. i. M. F. Emuls. add. Jul. ros. unc. i. M.*

Brodium anti-Dyſentericum. *℞. Pimpinell. ſanguiſorb. fol. cichor. millefol. plantag. an. m. i. fl. ros. rub. p. i. cum fruſto carnis. f. Juſcul. cui add. Rhab. toſt. dr. ss.* vel *ſcr. ii. M.*

Electuarium in Hæmoptyſi, longo uſu probatum. *℞. Conſerv. ros. vetuſtiſs. unc. iii. ss. pulv. rad. conſolid. utriuſque, ſem. portulac. maſtich. bol. armen. tragac. ſcr. i. ss. cum ſyr. de ſymph. F. Elect. molle.*

Aliud. *℞. Conſ. roſ. rub. unc. iii. ſymphyt. unc. i. pulv. ſem. hyoſc. papav. alb. an. dr. i. ſpec. diatrag. frig. dr. i. ss. lap. hæmat. præp. carneol. præp. corall. rub. præp. croc. mart. adſtrict. an. dr. ss.* vel *bol. armen. terr. ſig. ſang. drac. &c. ſyr. papav. errat. q. ſ. M. F. Elect.*

Electuar. adſtringens in Diarrhœa. *℞. Conſ. roſ. rub. vet. unc. iii. diacydon. cum ſpec. unc. i. condit. cort. cit. unc. ss. ſpec. arom. roſ. dr. i. corall. rub. præp. ſcr. ii. lig. aloes ſcr. ss. terr. ſigill. ſcr. i. miv. cydon. q. ſ. M. f. Elect.* poſſent etiam add. *nux moſch. C. C. uſt. pulv. rad. torment. rub. pannon. &c.*

Electuarium pro ſiſtendo Vomitu. *℞. Conſ. roſ. vet. unc. i. ss. ment. unc. ss. cort. cit. condit. unc. i. rad. acor. condit. unc. ss. rob. rib. unc. i. diacydon. cum ſpec. dr. vi. corall. rub. præp. dr. ii. nuc. moſch. cinam. an. dr. ss. ol. deſtill. caryoph. gut. ii. ſcyr. acetoſ. cit. q. ſ. M.*

Electuarium anti-Dyſentericum. *℞. Conſ. roſ. vet. unc. ii. carn. cydon. condit. unc. ss. condit. fl. cit. arant. an. unc. ss. Bol. armen. terr. ſigill. an. dr. i. tragac. dr. ss. corall. rub. præp. marg. præp. an. ſcr. i. ſmaragd. præp. ſcr. ss. cum ſ. q. vin. granat. M. F. Elect. S.*

Aliud

Aliud comprobatiſſimum. ℞. *Conſ. roſ. vet. unc. j. theriac. vet. diaſcord. an. dr. i. terr. ſig. corall. rub. præp. ſem. plantag. an. ſcr. i. ss. C. C. phil. præp. ſcr. i. lap. bez. occid. gr. vi. laud. op. gr. iv. cum ſyr. de roſ. ſicc. ſ. q. M. f. Elect. S.* Electuarium adſtringens de quo omni quarta hora quantitas nucis ſumenda.

Electuarium adſtringens in Gonorrhæa. ℞. *Conſ. roſ. rub. vet. unc. iv. carn. cydon. condit. dr. vi. nuc. Ind. condit. unc. ss. medull. nuc. Ind. condit. dr. ii. pulv. torment. balauſt. an. ſcr. ii. terr. ſig. corall. rub. præp. an. ſcr. i. C. C. uſt. præp. ſcr. i. ss. cum ſ. q. ſyr. gran. acid. M. f. Elect.*

Aliud contra Abortum. ℞. *Conſ. roſ. unc. ii. cort. cit. condit. dr. vi. pulp. dactyl. myrob. condit. an. unc. ss. corall. rub. præp. marg. præp. raſur. ebor. an. dr. i. cum ſyr. cydon. ſ. q. M. Elect.*

Electuarium in nimio Menſium fluxu. ℞. *Conſ. roſ. ſicc. unc. ii. troch. de terr. ſig. dr. i. ss. rad. torment. corall. rub. præp. an. ſcr. ii. lap. hæmat. ſang. drac. bol. arm. an. ſcr. i. cum ſ. q. ſyr. corall. M. F. Elect. de quo ſumatur magnitudo nuc. moſch. maioris m. & v. ſuperbibendo Cochl. 3. vel 4. aq. burſ. paſt. vel ſeq. Julappii.* ℞. *Aq. fol. querc. plantag. an. unc. iii. cinam. cydoniat. ſyr. de roſ. ſicc. an. unc. i. ſp. vitriol. q. ſ. ad gratam aciditatem.*

Aliud. ℞. *Conſ. roſ. rub. vet. unc. iv. condit. cydon. unc. i. ss. ſpec. aromat. roſ. diarrhod. Abb. an. dr. i. croc. mart. adſt. dr. iii. corall. rub. præp. ſcr. iv. marg. præp. ſmaragd. præp. an. ſcr. i. bol. armen. terr. ſigill. an. ſcr. ii ſyr. corall. q. ſ. M. f. Elect.*

Tabulæ Corallinæ *Timæi*, in omnibus fluxibus ſanguinis utiles. ℞. *Corall. rub. præp. dr. ii. marg. præp. dr. i. extr. ſymph. ſcr. iv. torment. roſ. an. ſcr. i. ss. troch. de carrab. de terr. ſigill. an. dr. i. Carneol. præp. ſcr. i. ss. ſmaragd. præp. ſcr. i. carn. cydon. condit. unc. i. Conſ. roſ. rub. dr. vi. ſacch. albiſſ. in ſucc. berber. & aq. hæmopt. Dornacreſill. ſol. q. ſ. m. f. Morſuli.*

Ta-

Tabulæ contra Abortum. ℞. *Sem. coriand. præp. dr. ij. rad. biſtort. raſur. ebor. corall. rub. an. dr. i. ſuccin. cryſtall. præp. an. ſcr. i. cocc. infect. ſcr. ss. ſacch. in aq. roſ. ſol. unc. iv. f. Tab. pond. dr. i. Capiatur una alternis diebus mane.*

Pilulæ adſtrictivæ, pro ſiſtenda Gonorrhœa. ℞ *Tereb. venet. aq. roſ. lot. & coct. unc. j. Palſ. peruv. dr. ss. pulv. rad. conſolid. maj. torment. an. dr. j. ocul. canc. præp. mercur. dulc. an. dr. ss. M. F. maſſ. Pilul.* doſ. *ſcr. ss. m. & v. pro valetudine plena reſtituenda, in fine Gonorrhææ.*

Pulvis contra Abortum. ℞. *Gr.* Kerm. *ſcr. i. ſant. rub. dr ss. caryoph. nuc. moſch. an. ſcr. i. fol. aur. N. iij. M. F. Pulv.*

Alius. ℞. *Pulv. contra abort. Auguſt. dr. ij. mag. corall. ebor. ſ. igne præp. maſt. an. ſcr. ii. pellicul. ventric. Gallin. ſcr.* j. *M. f. Pulv.* Vel ℞. *Corall. rub. præp. ſcr. iv. ſantal. omnium lig. aloe an. dr. i. ſpodii ex ebore magiſt. ungul. alc. an. ſcr. ij. C. C. uſt. præp. dr. ij. magiſt. mat. perl. Succin. præp. an. dr. i. nuc. moſch. pulv. dr. i. ss. lapid. ss. pretioſ. an. ſcr. i. ſpirit. ſal. guttatim affuſ. ſcr. i. Sacch. roſ. tabul. ad pondus omnium, fol. aur. N. viij. M. f. Pulv.*

Pulvis ſpecificus contra Fluorem album. ℞. *Magiſt. oſteocoll. dr. ii. carneol. præp dr. i. ss. corall. rub. præp. marg. præp. terr. ſig. maſtich. gumm. Arab. torment. an. ſcr. i. taleol. porc. præp. dr. ii. M. F. Pulv. cuius* doſ. *ſcr. ii. ex vino rubro.*

Alius. ℞. *Chalyb. cum acet. præp. dr. x. caſſ. lig. ver. dr. iii. ſant. rub. ſpod. ex ebor. ſuccin. alb. præp. an. dr. i. fœcul. bryon. ſcr. iv. croc. ſcr. ss. camph. gr. iii. ſacch. fin. unc. ii. ol. cinam. gut. iv. M. f. Pulv. cuius* doſ. *ſcr. iv.*

Pulvis contra Diarrhœam. ℞. *Pulv. gr. act. corall. rub. præp. terr. ſigill. rub. C. C. uſt. præp. an. ſcr. iv. M. f. Pulv. divid. in* 4. *p. æq.* Vel ℞. *Corall. rub. præp. dr. i. rad. torment. nuc. moſch. an. dr. ii. C. C. uſt.*

præp. dr. i. ſs. M. doſ. *dr. i. vel ſcr. ij. bis in die, cum vino rub. vel vin. cydon.*

Pulvis anti Dyſentericus. ℞. *Corall. rub. præp. gr. xxiv C. C. uſt. præp. gr. xviij. croc. mart. adſtrict. dr. ſs. terr. ſig. rad. biſtort. gum. tragac. nuc. moſch. an. dr. ſs. M. f. Pulv. pro 3. doſ. ex ovo ſorbili ſumendis.* Vel ℞. *Corall. rub. præp. dr. i. C. C. uſt. præp. rad. torment. troch. de carab. ſem. plantag. nuc. moſch. an. dr. ſs. terr. ſigill. croc. mart. adſtr. an. dr. i. M. f. Pulv. cujus* doſ. *a dr. i.*

Pulvis ſpecificus Americanus ad Dyſenteriam. ℞. *Ipecacoanhæ pulv. a dr. ſs. ad dr. i. detur ad chart. ſumatur ex uno vel altero cochleari brodii, vel vin. lymph. jejuno ſtomacho, vel ſi neceſſitas exigat. 2. horis a paſtu; detur per 3. dies continuos.* Vires habet per ſuperiora & inferiora purgandi & detergendi, ac ſimul roborandi & malignitati reſiſtendi. Curare dicitur omnem diarrhœam & dyſenteriam, niſi jam adſit gangræna, vel diarrhœa phthiſica aut hydropica.

Pulvis Vomitum ſiſtens. ℞. *Sal. abſinth. dr. i. vel ſcr. ij. detur cum cochl. i. ſucc. limon.* Vel ℞. *Xyloal. dr. i. nuc. moſch. maſt. an. ſcr. ij. magiſt. corall. ſcr. i. galang. ſcr. ſs M. f. Pulv.*

Pulvis ſtegnoticus, in nimio fluxu Menſium. ℞. *Croc. mart. adſtr. dr. ſs. bol. armen. lap. hæmat. ſang. drac. an. gr. xxv. mag. corall. ſcr. i. ſem. plantag. rad. torment. an. gr. xv. M. F. Pulv. ſubtiliſſ.* doſ. *dr. i. ex aq. ſequenti.* ℞. *Aq. torment. unc. ii. ſs. burſ. paſtor. plantag. an. unc. i. ſs. ſp. vitriol. gut. vi. M.*

Alius. ℞. *Corall. rub. præp. ſcr. iv. lap. chryſol. præp. carneol. præp. marg. orient. præp. an. ſcr. ij. pulv. rad. torment. gr.* Kerm. *an. dr. ſs. M. F. Pulv. divid. in 6. p. æq.*

Tragæa in Vomitu gravidarum. ℞. *Spec. diarrhod. Abb. diatrion. ſant. an. ſcr. ij. cinam. opt. dr. ii. nuc. moſch. dr. i. mac. caryoph. cubeb. cardam. an. ſcr. ſs.*
lig.

lig. aloes ſcr. i. corall. rub. præp. marg. præpar. an. ſcr. i. ss. ſacch. albiſs. unc. iv. fol. aur. N. iii. M. F. Trag. cum pane vino madido ſumenda.

Unguentum in Diarrhœa & Dyſenteria. ℞. *Ung. comitiſs. unc. ii. ol. laur. unc. ss. nuc. moſch. expr. dr. ii. cerat. ſantal. unc. ss. ol. maſt. q. ſ. M.*

Unguentum contra Abortum. ℞. *Ung. Comitiſſ. dr. vi. theriac. Androm. dr. ii. vel iii. terr. ſigill. dr. ii. ceræ parum M. F. Emplaſt. umbilico applicandum.* Vel ℞. *Theriac. terr. ſigill. an. unc. i. M. pro Empl. ventri imponendo.* Vel ℞. *Empl. de cruſt. pan. unc. i. ung. Comitiſſ. dr. ii. ol. nuc. moſch. dr. iii. maſtich q. s.* Vel ℞. *Empl. diaphæn. calid. de cruſta pan. an. dr. vi. melon. cum ol. maſtich.*

Emplaſtrum præſens in Vomitu. ℞. *Pic. unc. ii. ol. cydon. unc. ss. liquefiant ſimul. & f. Dropax.*

Emplaſtrum contra Abortum. ℞. *Rad. biſtort. ſem. coriand. an. dr. ii. nuc. cupreſſ. ſantal. rub hypocift. an. dr. i. ladan. maſtich. an. unc. ss. thur. bdel. an. dr. corall. ſuccin. an. dr. i. pulveris. excip. ol maſt. & cum ſ q. cer. & tereb. F. Empl. applicandum regioni lumborum.*

Cataplaſma abortum impediens. ℞. *Thur. maſcul. unc. ii. album. ov. N. v. agitentur ſimul ſuper prunas ſemper movendo, ne concreſcant, addendo terebinth. excipiatur ſtupp. & calidiſſimè umbilico applicetur, bis in die, per triduum.*

Aliud. ℞. *Pulv. gr. act. unc. ii. cort pan. nig. toſt. lib. ss. maſt. thur. an. unc. i. F. Pulv. in mortar. & cum vin. cydon. vel vino rubro F. Catapl. cujus pars dimidia inducatur linteo, & apponatur ventri inferiori.*

Cataplaſma in fluxu immodico Menſium. ℞. *Pulv. bol. armen.* vel *fulig. camin. q. pl. album ov. & acet. acerrimi q. ſ. pro Catapl. ad lumbos & os ſacrum applic.*

Cataplaſma adſtringens in Diarrhœa & Dyſenteria. ℞. *Pan. ſecalin. unc. iii. cydoniat. unc. i. coq. in vin. rub.* vel *acet. ad conſiſt. Catapl. add. pulv. torment. rad.*

con-

conſolid. m. an. dr. vi. terr. ſigill. unc. ss. Nonnulli *addunt maſt. nuc. moſch. mac. fl. roſ. &c.*

Aliud. ℞. *Bol. arom. unc. i. alum. unc. ss. farin. fab. unc. i. ss. album. ov.* N. *i. acet. vin. q. ſ. M. f. Catapl. ventri applicandum.*

Cataplaſma pro Vomitu ſiſtendo. ℞. *Ferment. acerr. unc. iii. ment. pulv. dr. ii. caryoph. maſt. an. dr. i. M. pro Catapl.*

Naſale in Hemorrhagiam narium. ℞ *Lacc. pictor. alum. an. p. æq. vel ſtercor. porc. dr. iii. pulv. roſ. rub. dr. ss. excip. cum album. ov. & cum goſſyp. f. Turunda.* Vel ℞. *Thur. aloe ſang. drac. farin. vol. tel. aran. p. i. lepor. minutim. inciſ. an. dr. ss.* Vel ℞. *Lanug. cydon. tragac. maſt. ſang. drac. bol. arm. lap. hæmat. aloe farin. vol. an. ſcr. i. M. F. Pulv. excip. cum album. ov. & goſſyp.*

Anacollema ſeu Frontale, in Hæmorrhagia narium. ℞. *Aq. plantag. ſperm. ran. equiſet. nymph. vel roſ. an. unc. i. acet. fortiſſ. unc. iii. album. ov. conquaſſ.* N. *ii. cret. Colonienſ. vel bol. arm. unc. ss. vel terr. ſig. bol. arm. lap. hæmat. an. dr. i. ss. M. f. Frontale frigidè applic.*

Aliud. ℞. *Croc. mart. adſtrict. bol. arm. ſang. drac. terr. ſig. an. dr. i. decoct. gallar. & cum m. i. millefol. ad. unc. vi.* vel *aq. roſ. plantag. an. unc. iii. acet. roſ. unc. i. ss. nit. præp. dr. ss. M.*

Suffitus in Diarrhœa. ℞. *Succin. thur. maſt. an. ſcr. iv fl. lavend. p. ii. roſ. p. i. tereb. coct. ad pondus omnium; confracta dentur ad ſcat. pro Suffitu. Poteſt etiam addi lig. aloes, ſtorax, fl. verbaſc. &c.*

Enema adſtringens & conſolidans, in Dyſenteria. ℞. *Rad. conſolid. in torment. an. unc. ss. herb. polyg. plantag. ſanic. an. m. i. fl. verbaſc. roſ. balauſt. an. p. i. ſem. plant. dr. i. ss. coq. ex lact. chalyb. ſ. q. in Col. unc. x. diſſolv. ſev. hirc. dr. vi. ol. roſ. cydon. an. unc. ss. bol. arm. terr. ſig. an. dr. M.* Poſſet etiam diſſolvi *theriac. Androm. ad dr. ii.* vel *Pilul. de cynogloſſ. ſcr. i.*

ſcr. i. ss. prius autem præmittantur *Clyſt. detergentes ex decoct. hord. cum mell. roſ.*

ARTICULUS II.

De Officio Medici, in conſiderandis & præſcribendis Remediis Hypnoticis, & Anodynis.

I.

MEdicamenta *Hypnotica* ſunt, quæ ſomnum conciliant; quod præſtare videntur vel ſuaviter humectando, ac ſerum deficienti ſupplendo, vel aquoſa frigidaque humiditate ſua, aut craſſitie ſpiritus gravando, vel fibrilloſam cerebri compagem relaxando, vel ſulphure vaporoſo, blando, ac reſolubili cerebrum replendo, vel ſpirituum vias ac nervorum initia non nihil opplendo, vel vi peculiari ac volatili ſulphurea viſciditate ſpiritus ungendo, ad ſe invicem conglomerando, ligando, ac quaſi torpidos reddendo quæ poſteriora propriè ſunt & dicuntur *narcotica*, inter quæ principaliſſimum eſt Laudanum opiat. de quo ſuperiùs peculiari paragrapho abundè dictum.

II.

MEdicamenta *Anodyna* ſeu *paregorica* ſunt, quæ dolorem mitigant. Cùm autem dolor tribus modis ſedari ſoleat, & quidem vel cauſam dolorem efficientem auferendo, vel ſenſum ſtupefaciendo, per narcotica, de quibus ſupra, vel cauſa & morbo manentibus, ex parte ſaltem cum leniendo, per ea, quæ vel vim ſuam exerunt blando & moderato calore, quo pars affectu fovetur, & ad quandam æqualitatem reducitur, cutis relaxatur, fibræ plus juſto tenſæ & contortæ demulcentur, vel quibus humores dolorifici diſcutiuntur & reſolvuntur, vi digerendi, diſcutiendi & carminativa præditis, vel quæ repellunt & affluxum humorum prohibent, atque ita ſenſum partis nonnihil obtundunt.

Formulæ

Remediorum Hypnoticorum & Anodynorum.

JUlepus Hypnoticus. ℞. *Syr. de papav. ſs. unc. i. vel dr. vi. aq. nymph. unc. ij. hypnot. Lang. unc. i. M. F. Julep. S.*

Emulſio Hypnotica. ℞. *Sem. papav. alb. dr. iij. ſem. melon. excort. unc. ſs.* vel *ſem. 4. fr. m. an. dr. i. aq. nymph. viol. ſolan. an. unc. i. ſs. M. F. Emulſ. add. magiſt. perl. ſcr. i. ſp. roſ. gut. vij. man. Chriſt. perl. dr. i. M. S.*

Alia. ℞. *Sem. melon. excort. unc. ſs. aq. frig. nymph. rub. id. an. unc. i. M. F. Emulſ. add. man. Chriſt. perl. dr. ij. ſal. nit. perl. ſcr. ſs. C. C. phil. præp. ſcr. i. ſs. M.*

Alia.

Alia. ℞. *Amygd. d. excort. dr. iij. ſem. 4. frig. m. an. dr. ii. papav. alb. dr. i. ss. aq. violar. unc. ij. borrag. nymph. an. unc. i. ss. M. f. Emulſ. add. jul. roſ. unc. ss. man. Chriſt. perl. dr. iii. M.*

Pediluvium Hypnoticum. ℞. *Fol. lactuc. ſalic. vit. malv. violar. fl. nymph. an. m. i. ſummit. aneth. m. ss. capit. papav. alb. N. xvii. cort. rad. mandrag. dr. iii. coq. in ſ. q. aq. pro Pediluv.*

Aliud. ℞. *Capit. papav. cum ſemin. contuſ. N. vii. fl. roſ. rub. m. ii. chamom. m. i. herb. beton. ſal. comm. an. m. i. ss. M. inciſ. dentur ad chart. S.* Species pro pediluvio Vel ℞. *Capit. papav. alb. N. xx. ſem. papav. alb. unc. i. fol. lactuc. m. iv. fl. nymph. m. vi. viol. m. i. s. bull. in aq. s. q.*

Unguentum ſomniferum. ℞. *Ung. popul. unc. i. alabaſt. ol. viol. papav. an. unc. ss. op. theb. acet. fl. ſambuc. ſol. gr. xv. ol. nuc. moſch. expr. ſcr. i. croc. gr. viii. ceræ parum. M. F. Linim. quo inung. tempora, nares & pulſus manuum* vel ℞. *Ung. alabaſt. refrig. Gal. popul. an. unc. ss. ol. nuciſt. dr. i. nymph. papav. an. dr. ii. mandrag. dr. ss. M.*

Oleum anodynum intus exhibendum. ℞. *Ol. amygd. d. rec. expreſſ. unc. i. ss. ſpermat. cet. dr. s.* vel *ſcr. ii. M. detur cum Brod. calid* vel *cum vin. malvat. unc. s.*

Epithema cephalicum in dolore Capitis frebrili. ℞. *Nucl. perſic. exoſſat. N. xi. ſem. papav. alb. dr. ii. 4. frig. mai. an. dr. i. aq. fl. nymph. viol. an. unc. iii. fl. ſamb. unc. ii. acet. rutac. fl. ſambuc. an. unc. i. M. F. Emulſ. add. camph. ſcr. i. croc. orient. ſcr. ii. M.*

Aliud. ℞. *Nucl. perſic. unc. i. amygd. am. unc. ss. ſem. cannab. dr. iii. aq. verben. beton. roſ. an. unc. i. camph. croc. an. gr. v. M.*

Oxyrrhodinum. ℞. *Album. ov. conquaſſ. No. ii. aq. roſ. lavend. an. unc. iii. acet. roſ.* vel *fl. ſambuc. dr. vj. ol. roſ.* vel *nymph. unc. j. camph. ſcr. i. croc gr. vj. M.*

Unguent. pro dolore Capitis. ℞. *Ung. alabaſt. popul. an. dr. iij. op. gr. viij. croc. ſcr. j ol. deſtil. aneth. gut. ij. M.*

Unguentum in dolore Dorſi & Renum. ℞. *Ung. infrig. Cal. roſat. Meſ. anodyn. an. dr. vj. ol. ſcorp. ſucc. lim. an. unc. ss. M.*

Liniment. in doloribus Suræ. ℞. *Ol. hyoſc. laur. de later. chamom. an. unc. ss. M.*

Aliud in dolore Iſchiadico. ℞. *Ol. juniper. petrol. an. unc. i. ſuccin. dr. ij. M.*

Unguentum in dolore Hæmorrhoidum. ℞. *Ung. de linar. unc. j. de liq. unc. ss. ol. ov. maſt. an. dr. i. ss. M.*

Aliud in eorum inflammatione. ℞. *Mucilag. ſem. pſyl. cydon. aq ſperm. ran. extr. an. unc. i. ſacch. ſat. dr. i. camph. ſcr. ss. M.*

Emplaſtrum in doloribus, ortis ex defluxione Catarrhoſa. ℞. *Gummi carann. p. i. tacamab. p. ij. cum pauca tereb. d ſſol. extend. ſuper alut.* Vel ℞. *Oxycroc. Empl. diapalm. an. dr. vj. malax. cum ol. juniper. & f. Empl. appic.* alii etiam addunt *empl. diaph. Minſicht.*

Cataplaſma ſeu pulmentum in dolore Capitis. ℞. *Fol. verben. rec. m. j. contund. in mortar. add.. ferm. accerr. unc. ij. ol roſ. q. ſ. M. applicetur tepidè fronti.*

Aliud. ℞. *Bacc. juniper. unc. i. nuc. i. nucl. perſic. N. xx. ſem. papav. alb. dr. ij. thur. ſcr. ij. ss. contund. cum aq. fl ſcambuc. & verben. ac f. Pulment.*

Cataplaſma probatiſſimum, ad dolorem Hæmorrhoidalem. ℞. *Porrorum cum tot. m. iv v. mic. pan. lib.. s. coq. in lact. capr. ad putrilag. contund. in mortar. addendo ſub ſinem, croc. Auſtriac. dr. s. vel q. ſ. ad intenſam flavend. Hoc*, teſte Sorbait, miraculi inſtar tollit dolores.

Aliud expert. Grulingii. ℞. *Fic. in mortar. ad pult. conſiſt. contuſ. N. iv.* vel *v. mell. roſ. unc. i. ss. M. Illinatur parvo linteo & applicetur.*

Ca-

Cataplaſma anodynum generale, præſertim in Tumoribus & Abſceſſibus. ℞. *Mic. pan. albiſs. q. pl. coq. cum lact. ſ. q. ad conſiſt. Catapl. add. ol. roſ. vel ſimul etiam lil. alb. chamom. lumbric. &c. unc. i. vel i. ss. croc. ſcr. ss. vel ſcr. i. ſubinde & vitell. ov.*

Sacculus anodynus in Colica. ℞. *Spec. decoct. emoll. carminat. an. m. iij. ſummit. orig. ſerpill. an. m. j. fl. chamom. Rom. m. iii. ſem. carv. unc. i. inciſ. groſſo modo & ſaccul. incluſ. coq. in lact. & applic.*

Alius in Pleuritide. ℞. *Violar. malv. fl. chamom. an. m. ii. fl. papav. errat. m. i. ſem. lin. fœnug. an. unc. i. fol. hyoſc. m. ss. M. F. Sacculus.*

Alius in Nephritide. ℞. *Herb. malv. alth. pariet. ſaxifrag. fl. cham. melil. aneth. an. m. iv. rad. alth. unc. iv. herb. arthemiſ. m. i. ss. chærefol. m. ss. ſem. lin. fœnug. an. unc. i. aniſ. dr. ii. f. ii. Saccul. in aq. decoq. & alternatim calidè applic.*

Clyſter anodynus. ℞. *Lact. vaccin. unc. x. ſacch. rubr. unc. ii. ol. ſem. lin. unc. iv. ſal. dr. ss. M.* Loco olei etiam ſumi poteſt *butyr.* vel *ung. de cynogloſſ.*

Enema oleoſum, in Colica & Calculo egregium. ℞. *Ol. lin. unc. iii. chamom. aneth. an. unc. ii. ſcorp. rutac. an. unc. i. ol. terebinth. ſcr. i. M.*

ARTICULUS III.

De Officio Medici, in conſiderandis & præſcribendis Remediis Vulnerariis, atque ad ea ſpectantibus.

I.

MEdicamenta *traumatica* ſeu *vulneraria* ſunt vel externa, vel interna. Interna ſunt, quæ calorem innatum roborant, vi ſua Balſamica, & ſale ſuo volatili oleoſo, quæ putredini reſiſtunt, materiam probam pro generatione carnis ſuppeditant, ſanguinis nimiam humiditatem abſumunt, ejus tonum conſervant, ſtagnationem, vappeſcentiam ac aceſcentiam, ſerique ichoreſcentiam corrigunt & abſorbent, affluxumque ad partem vulneratam, moderata adſtrictione inhibent, Externa, vel ſunt *ſuppurantia* ſeu *digeſtiva*, in vulneribus & ulceribus uſualia, quæ ſanguinem extravaſatum, ac in poris hærentem in pus convertunt, vel *glutinantia* quæ viſcoſitate ſua emplaſtica, vel adſtrictoria, labiorum parietes firmant, & ſeri nativam coagulationem promovent; vel ſunt *ſarcotica*, ſeu carnem generantia, quæ moderatè exſiccando, ac ſuperfluam humiditatem abſumendo, ſordes blandè & citra acrimoniam detergunt, ac abſorbent, leniterque adſtringendo ac roborando, carnem firmant, ſicque etiam partium calorem conſervant; vel ſunt *Epulotica*, quæ cicatricem inducunt, efficaciter deſiccando, ſerum in ſuperficie abſumendo, & in pelliculam coagulando, cutemque contrahendo, denſando & indurando; vel ſunt *Porotica*, quæ callum generant, ac oſſium alimentum vi ſiccandi & adſtringendi in callum & firmitudinem oſſeam con-

convertunt. Huc quoque ſpectant remedia contra *ambuſta*, quæ agunt extrahendo empyreuma, poros aperiendo, ſeroſas & acres humiditates evocando, vel inflammationem ſedando, vel calore & ardorem leniendo ac demulcendo, vel exulceratas partes moderatè ſiccando & ad ſanitatem perducendo.

II.

HUc brevitatis cauſa etiam ea refero, quæ ad affectus externos in uſu ſunt, qualia ſunt: 1. *Grumos reſolventia*, quæ ſanguinem & ſerum in vaſis ſuis, vel poris internis aut externis ſubſiſtentem, in motum cient, & coagulum ejus futurum impediunt, vel etiam factum disjiciunt, & reſolvunt. 2. *Repellentia*, reprimentia, & repercutientia, quæ extrinſecus applicata, materiam adhuc fluxilem, mobilem, volatilem, & ad partem fluentem, nondum tamen eidem impactam, vel extravaſatam aliò repelunt, vel leviter ſaltem hærentem, in alveum ſuum redire faciunt. Horum alia ſunt frigida, terrea, ac adſtringentia: alia actu & potentia frigida, aquea, mucilaginoſa, viſcoſa. 3. *Abſtergentias*, quæ duris, aſperis & acutis ſuis particulis, vel vi nitroſa, ſalaſa, & ſaponaria abradunt, & evertunt ſordes, humoreſque vitioſos in meatibus hærentes, uti etiam abſceſſuum ruptorum, vel ulcerum ſordidorum ſaniem, pus, aliaque excrementa abſtergunt. 4. *Emollientia*, quæ emolliunt, tum humectando & laxando, fibras nerveas tenſas & irritatas, tum poros adſtrictos & anguſtatos, tum congelata & concreta reſolvendo, fundendo ac per halitum digerendo. Talia ſunt moderate calida & humida. Humida, ut corrigatur ſiccitas, laxetur denſum, & diluatur concretum. Calida, ut calor nativus roboretur, ac materia quaſi coquatur. 5. *Diſcutientia* ſeu rarefacientia, quæ emollientibus calidiora, ac tenuioris ſubſtantiæ, unde facilè penetrant,

cutis poros dilatant, humores attenuant, & in vapores convertunt, ut per inſenſibilem tranſpirationem ſeu diaphoreſin evacuentur. 6. Tandem *attrahentia*, quæ deſtinata ſunt, vel ex alto evocandis humoribus, vel a parte affectu avocandis & aliorſum ducendis, vel advocandis utilibus.

II.

IN uſu horum omnium, Not. 1. Vulneraria interna ſemper ea eligenda eſſe, quæ peculiarem cognationem habent cum parte affecta. 2. Ea intrinſecus præcipuè convenire, cum vulnera vel ulcera ob vitioſam partis conſtitutionem non facilè curam ſuſcipiunt, ſynoviaque infeſtat. 3. Non uſurpanda hæc in principio, & ubi externa ſatisfaciunt, vel ubi adeſt febris, & inflammatio. 4. Reſpiciendum ſimul eſſe ad ventriculum, ne exinde lædatur. 5. Suppurantia convenire præcipuè tumoribus ſanguineis, quæ diſcutientibus & reſolventibus non cedunt. 6. In ulceribus, ſuppurantia non debere eſſe nimis humida, ne ulcera reddantur ſordida. 7. Traumatica alcalinæ eſſe naturæ, & occultum alcali & quidem volatile in ſe continere, acidum vulnerum vel ulcerum perimens. Item Emplaſtra vulneraria ferè omnia in hoc convenire, quod vulnera ab aere defendant, ac vi balſamica & modicè ſiccante, partem læſam demulceant. 8. In corporibus duris & ſiccis, & ubi caro durior generanda, convenire magis pulveres ſarcoticos, uti etiam ubicunque ulcera ſuperflua luxuriant humiditate. Item in vulneribus capitis: econtra in corporibus mollioribus forma linimenti vel unguenti. 9. Epulotica uſurpanda eſſe, ulcere carne non omnino repleto, ne cicatrix fiat eminentior. 10. In Applicatione remediorum ad ambuſta, actu frigida eſſe cavenda, cùm ob contrarietatem major oriatur ardor, fluxuſque

que & dolor augeatur, hinc topica tepidè ſunt applicanda. 11. Unguenta pro ambuſtis adhibenda, non debere eſſe dura, ne majorem dolorem excitent. 12. Interius quoque in ambuſtis ardorem reſtinguendum, ut v. g. nitro, at maximè partem affectam reſpiciendam.

IV.

PRæterea, 13. Notandum: Reſolventia ſtipticis & traumaticis jungenda eſſe, eiſque interius ſuccenturiari univerſalia, ut v. g. purgantia, diaphoretica: exterius emollientia & paregorica. 14. Repellentia alia *propriè talia* eſſe, quæ ipſis partibus affectis applicantur. Alia *Intercipientia* dicta ſeu *defenſiva*, quæ viis, per quas humor defluit, applicata, facultate frigida, ſicca, terrea, adſtringente, humoribus aditum intercludunt. 15. Repellentia non competere in omnibus fluxionibus; non etiam adhibenda: nec in partibus nobilibus; nec quando fluxio parti principi vicina eſt; nec partibus nimis profundo loco ſitis; nec ſi materia maligna & venenata; nec ubi animalis venenati ictu vel morſu vulnus inflictum; nec ſi natura rectè agens, criticè materiam in partem aliquam propellat; nec ſi humor ſit multus, & corpus adhuc plenum; nec ſi humor jam parti impactus, & dolor adſit vehemens. 16. Not. tempus adhibendi repellentia, eſſe principium fluxionis: eodem verſus augmentum tendente, digerentia admiſcenda, hinc ſola reſolventia uſurpanda. 17. Repellentia frigida & humida convenire, cum humor tenuis & paucus, aut ſuperficiem corporis occupat, aut cum fluxiones accidunt, ob nimium partis calorem aut dolorem: frigida verò ſicca & adſtringentia, cum dolor non ita urget, & fluxiones fiunt ob partium debilitatem. 18. In Eryſipelate, ſub hoc climate, unctuoſa, oleoſa, immo

omnia humida vitanda eſſe, cum tutiora ſint in forma ſicca applicata. 19. Intercipientibus fortioribus utendum in habitu corporis duriore, ubi vaſa ampliora, & influentis humoris major portio. 20. Repellentia apprimè convenire in cancro, non omiſſis univerſalibus.

V.

HOc amplius Not. 21. impropriè ad repellentia pertinere, quæ poros obſtruunt, & fluentem materiam vitioſam cum ſanguinis maſſa reduniunt, & ſic retrocedere faciunt, ut v. g. Mercurialia in ſcabie. 22. Repellentia ſubinde ſenſum dolorificum obtundere, ac convenire etiam dorſo applicata, in ſudoribus colliquativis. 23. Inter emollientia imprimis conducere Cataplaſmata & Emplaſtra, illa magis ad ſuppurationem: hæc ad diſcuſſionem inſerviunt; illiſque meliora, cum Cataplaſmata facile frigeſiant, & hinc materiam repellant. 24. Emollientia non convenire in tumoribus atrabilariis, v. g. cancris & ſcirrhis malignis, quæ acrimonia gaudent ſalina, inſtar Mercurii ſublimati, magis enim per emollientia dilatantur pori, ut & affluxus humorum procuretur, & acrimonia corroſiva, in centro detenta & coercita, latius expandatur.

For-

Formulæ

Remediorum Vulnerariorum, atque ad ea ſpectantium.

DEcoctum ad Caſum. ℞. *Rad. ſymph. mai. unc. ss. plantag. alth. pimpinell. an. dr. iii. herb. veron. ſanic. chærefol. prunell. heder. arbor. bellid. cum tot. an. m. ss. rad. liquirit. dr. iii. fic. N. vii. coq. ex aq. & vin. rub. an. lib. i. ss. Colat. clarif. add. ſyr. de ſymphyt. de alth. an. unc. ii. oxymell. ſ. unc. i. ss. M.*

Decoctum vulnerarium. ℞. *Rad. ſymph. unc. i. rub. tinct. ariſtol. rot. an. unc. ss. herb. millefol. veron. pyrol. ſanicul. alchimill. agrimon. an. m. ss. fl. bellid. min. ſummit. virg. aur. an. p. ii. ocul. canc. unc. ss. nuc. moſch. dr. ii. coq. in s. q. aq. font. in Col. lib. iii. diſſolv. ſyr. de ſymph. Fernel. unc. iii. M.* Doſ. *unc. iv. S.* Decoctum vulnera ſanans bis in die tribus horis ante paſtum ſumendum.

Aliud. ℞. *Scob. lign. ſaſſafr. rad. chin. ſymph. mai. an. unc. ss. herb. veron. agrim. piloſell. conſolid. ſaracen. ſanic. alchimill. an. m. ss. cinam. liq. an. dr. ii. fic. N. v. paſſul. min. unc. ii. ſem. anis. fœnic. an. unc. ss. M. incis. coq. cum aq. font. lib. vi. & vin. alb. odorif. lib. ii. ad 3. de quo m. & v. bibantur unc. v.*

Species pro decocto Traumatico. ℞. *C. C. uſt. unc. ss. hord. integ. unc. i. ss. herb. agrim. veron. alchimill. ſanic. an. p. i. rad. conſolid. mai. liq. an. unc. ss. ſpec. pro decoct. pectoral. unc. i. ss. anis. fœnic. an. ſcr. i. M. incis. dentur ad chart. S.* Species pro decocto vulnerum cum duabus menſuris, aut una & dimidia menſura aquæ, & una dimidia menſura vini ebulliendæ.

Deco-

Decoctum ad Herniam. ℞. *Herb. ſanic. ſalv. herniar. epat. nob. polyg. plantag. an. m. ss. pyrol. p. iii. rad. ſymp. m. unc. ss. bardan. dr. vi. torment. pentaph. an. dr. ij. ſem. perfoliat. dr. iii. coriand. præp. dr. i. coq. in s. q. vin. & aq. chalyb. ad lib. ii. colat. dulcoretur ſacch. albiſs. ad gratiam.*

Pulvis ad Caſum. ℞. *Pulv. contra caſum Auguſt. dr. i. detur ex aq. chærefol.* Vel. ℞. *Ocul. canc. præp. rhab. ſperm. cet. antim. diaph. ſang. hirc. præp. an. dr. ss. mum. ſcr. i. M. F. Pulv. cujus* doſ. *dr. i.*

Pulvis ad Eryſipelas Mins. ℞. *Farin. vol. unc. vi. plumb. uſt. bol. rub. an. unc. ii. maſtich. olib. ceruſſ. an. unc. i. M. F. Pulv. ſubtiliſs. qui chartæ ceruleæ inſperſus, parti affectæ applicetur.* Vel ℞. *Bol. arm. unc. ij. camp. unc. ss. M.* ad idem valet. *farin. hord. cum bol. pulv. glyc. camph. &c.*

Fomentum in Ulceribus contumacibus uſuale, Aqua Catapultorum vulgo dicta. ℞. *Rad. ariſtol. rot. gent. raph. zedoar. an. unc. i. coq. in vin. alb. lib. iii. ad mediet. diſſolv. ſacch. alb. unc. iv. foveatur hoc ulcus & imponatur fol. Braſſicæ rub. hoc madefactum.*

Fomentum polychreſtum ad Eryſipelata, Inflammationes, Exulcerationes humidas, metum Gangrænæ &c. ℞. *Lythag. lib. ss. fl. roſ. rub. m. ii. olib. myrrh. maſt. an. unc. ss. decoct. ſeu aq. calc. viv. rec. lib. iv. acet. lib. i. coq. ſimul, uſque dum lytharg. ſolut. add. in fine camph. unc. ss. Col. S.* Fomentum quod linteolo circundatum vel pannis complicatis calidè, bis vel ter vel ſæpius in die imponendum.

Aliud contra Gangrænam & Sphacelum, Aqua fuſca dictum. ℞. *Herb. rut. abſinth. ſalv. ſabin. fol. querc. an. m. ss. rad. ariſtol. rotund. dr. iii. enul. dr ii. vitriol. Rom. unc. i. ſal. armon. dr. i. ss. gal-*

ſs. gallar. unc. ſs. bacc. laur. unc. i. olib. maſt. an. dr. ii. ceruſſ. lythar. alum. crud. an. unc. iii. Bol. armen. unc. ſs. cort. virid. nuc. jugl. dr. vi. camph. dr. ſs. M. de his ſpeciebus cochl. i. cum vin. alb. lib. ii. coq. & cum intinctis ſpleniis vel linteis triplicatis vel quadruplicatis calidè applicetur.

Fomentum pro Membro fracto, luxato vel diſtorto, ante vel poſt repoſitionem. ℞. *Herb. beton. chamom. roriſm. an. m. i. ſummit. hyper. cum fl. m. i. ſs. rad. ariſtol. rot. dr. vi. ſymph. mai. dr. ſs. ſem. 4. calid. m. an. dr. i. ſs. coq. in aq. ſ. q. Colat. lib. i. ſs. add. vin. infuſ. fl. hyper. lib. ſs. S.*

Fomentum pro membris à Gelu ſideratis. ℞. *Spirit. vin. opt. rectif. lib. i. pulv. ſal. armon. unc. i. camp. ſcr. i. M. ad vitr. S.* Fomentum pro pedibus.

Aliud pro rubedine, tumore & dolore Pedum. ℞. *Bol. arm. alb. dr. iii. lythar. unc. i. maſt. myrrh. an. unc. ſs. olib. dr. vi. aq. plantag. ſperm. ran. fl. ſambuc. an. unc. viii. coq. & Col. ſervetur ad uſum.*

Fomentum in tumore Pedum œdematoſo. ℞. *Spirit. vin. opt. rectif. menſur. i. ſal. armon. unc. iii. M. inting. lintea, ac ſub horam decubiti in lecto, pedibus tepidè circumvolvantur.* Optima etiam eſt *aq. calc. viv.* ſic paranda. ℞. *Fruſtul. calc. viv. ad magnitud. nuc. jugland. immittatur in aq. ferventem donec diſſolv. hinc calx cum aq. agitetur, & poſtea reſidere ſinitur. Deinde clarior aqua per inclinationem in aliud vas transfunditur, applic. cum intinctis linteis vel ſpongia nova.*

Aliud. ℞. *Herb. abſinth. ſalv. rut. hyper. orig. roriſm. lavend. major. an. m. i. rad. ebul. irid. cort. med. ſambuc. an. dr. ii. fl. cham. ſamb. ſpic. ſtœch. roſ. melil. an. m. ſ. bacc. laur. juniper. an. unc. ſs. M. conciſ. coq. in aqua font. ſ. q. pro Fomento pedum bis in die uſurpando.*

Aliud

Aliud in Tumore Manuum & Pedum. ℞. *Lytharg. unc. vi. bol. arm. unc. i. ſulph. viv. unc. i. ss. alum. crud. dr. ii. gallar. unc. i. myrrh. el. unc. i. ss. M. F. Pulv. de quo 2. vel 3. cochl. cum vin. alb. unc. xx. acet. vin. acerrimi unc. x. coq. ac cum intinctis linteis duplicat. vel triplicat. ſæpius calidè applicentur.*

Unguentum digeſtivum Chirurgorum. ℞. *Tereb. cum vin. vel aq. roſ. ad albed. lot. unc. i. ſev. cerv. unc. ss. ol. roſ. dr. ii. cer. alb. olib. maſt. an. ſcr. ii. camph. ſcr. ss. M.* Vel ℞. *Tereb. unc. ii. vitell. ov. N. i. myrrh. aloes an. dr. ss. ol. cer. gut. x. M.* in partibus nerveis additur etiam *Balſ. peruv.* Vel ℞. *Tereb. unc. i. vitell. ov. N. i. mell. roſ. unc. ss. ol. hyper. dr. i.*

Linimentum ad Ambuſta. ℞. *Ol. oliv.* vel *lin. part. i. album. ov. conquaſſ. part. ii. M. Illin. cum pluma Gallin.* Vel ℞. *Butyr. rec. 9. liquefact. & lot. in aq. ſperm. ran. unc. vi. ol. de vitell. ov. unc. ii. M.*

Unguent. ad Ambuſta Fabricii. ℞. *Butyr. rec. ſine ſale aq. roſ. lot. unc. iii. ol. viol. de vitell. ov. amygd. d. an. unc. i. croc. ſcr. i. mucilag. ſem. cydon. unc. i. cer. q. ſ. M.*

Unguentum ad Scabiem. expertiſſimum. ℞. *Pingued. ſuill. antiq. unc. vi. liqueſiant ad ignem. Col. add. ſulph. viv. ſubtiliſſ. pulv. bacc. laur. eodem modo pulv. an. dr. ii. ss. caryoph. arom. dr. i. pulv. lapat. acut. dr. ss. M.*

Aliud certiſſimum & Infallibile, in Scabie humida. ℞. *Pulv. cort. laur. ſulph. cit. an. unc. iv. enul. unc. ii. vitriol. alb. unc. i. ss. ſtyrac. liquid. q. s. M. F. Ung.*

Aliud in Scabie ſicca & pruriginoſa. ℞. *Succ. lapath. acut. plantag. an. unc. ii. ſolan. unc. i. ss. citri unc. i. ceruſſ. unc. ii. lytharg. unc. ss. fl. ſulph. dr. i. ss. ol. roſ. viol. an. unc. ii. ss. butyr. ſalit. unc. i. ss. tereb.*

cer.

cer. an. dr. vi. M. F. Ung. add. ol. deſt. lig. Rhod. gut. xxv. alipt. moſch. ſcr. ii. M.

Aliud in Scabie vulgatiſſimum. ℞. *Tereb. vulg. vitell. ov. diſſol. unc. i. ſ. ſulph. dr. vi. butyr. rec. unc. iv. M.*

Emplaſtrum infallibile in Clavis pedum. ℞. *Galban. gumm. ammon. acet. ſolut. an. unc. ss. ſal. armon. ſcr. i. Empl. diachyl. magn. un. i. ss. M.* Vel ℞. *Pic. naval. unc. i. galb. in acet. diſſol. unc. ss. ſal. armon. ſcr. i. Empl. diachyl. magn. dr. ss. M. cum panno ſuper clavos ponatur ac tertio vel quarto die mutetur.*

Emplaſt. pro tumore Pedum. ℞. *Empl. diaph. Minſ. unc. i. ss. oxycroc. unc. ss. malax. cum ol. chamom.*

Emplaſtrum diaſulphuris Ruland. ℞. *Balſ. ſulph. unc. iii. cer. unc. ss. coloph. dr. iii. liquat. add. myrrh. opt. pulv. unc. iii. ss. coq. s. a.*

Emplaſtrum Mammillare, in omnibus Mammarum tumoribus utiliſſimum. ℞. *Spermat. cet. unc. i. cer. alb. unc. ii. galban. acet. ſol. unc. ss. ol. ſambuc. q. ſ.*

Balſamus ſulph. Ruland. ℞. *Fl. ſulph. unc. i. ol. nuc.* vel *rap. unc. vi. vin. generos. unc. ii. macerentur per dies 8. aliquoties agitando coq. leniter ad vini conſumpt.*

Balſamus ſcolopetarius. ℞. *Ol. lin. tereb. an. lib. i. ærug. ær. unc. ss. coq. parum ſ. a.*

Cataplaſma ſuppurativum. ℞. *Rad. alth. lil. alb. an. unc. ii. herb. malv. alth. pariet. an. m. ss. ſem. lin. fœnug. an. unc. ss. coq. in ſ. q. aq. ad mollit. per cribrum traject. add. farin. ſem. lin. fabar. an. dr. vi. ol. viol. axung. porc. an. dr. v. M. F. Catapl. S.* Maturier Cataplaſma ſuppurativum panis illitum calidè imponatur.

Aliud. ℞. *Herb. malv. cum tot. mic. pan. alb. an. p. æq. coq. in lact. caprin. s. q. ad conſiſt. Catap. add. vitell.*

vitell. ov. croc. & ol. roſ. vel etiam ol. lil. alb. chamom. amygd.

Injectio in Ulcera cava, mundificans, ſiccans, adſtringens, putredinem arcens & conſolidans. ℞. *Herb. cent. min. ſcord. roſ. rub. an. m. ss. fl. balauſt. dr. ii. pulv. maſtich. myrob. olib. aloes an. dr. ss. rad. Ir. flor. ariſtol. rot. torment. an. dr. ss. Conciſ. coq. cum unc. xx. aq. font. & x. vin. rub. in olla bene tecta, in Col. diſſolv. mell. roſ. col. unc. i.* addi etiam poteſt *Balſ. peruv.*

Plura non addo, cum hæc magis ſpectent ad Chirurgiam.

CAPUT XI.

De Officio Medici, in præſcribenda debita Diæta.

ARTICULUS I.

De Officio Medici, in conſideranda Diæta in genere.

I.

PEr *Diætam* hic aliud non intelligitur, quàm debita Victus ratio, vel potius methodicus uſus ſex rerum non naturalium. Hæc non minimum eſt fundamentum ſanitatis, tum conſervandæ, tum reſtituendæ. Si enim utilitatem ejus brevibus deſcriptam verbis deſideres, hæc illa eſt, quæ morbos pellit, corpus agile, ſanum, purum à fœtore, ac fœditate alienum præſtat, longævitatem inducit, ſomnos jucundos & placidos conciliat, epulas communes ſuaves & gratas efficit, ſenſibus incolumitatem, memoriæ vigorem, ingenio perſpicaciam & claritatem confert, paſſiones ſedat, iracundiam & mærorem pellit, libidinis impetum frangit, denique corpus & animam maximis bonis replet, ut merito mater trium S. ſanitatis nempe, ſapientiæ, & ſenectutis dici poſſit.

II. Diæta

II.

DIæta alia ſpectat ad ſanos: alia ad ægrotos. Illa in his præcipuè conſiſtit Regulis. 1. Ut vitentur, quantum fieri poteſt, aeris in qualitatibus vehementiores exceſſus & anomaliæ. 2. Ut in quanto non excedatur, quod cognoſces, ſi ad ſatietatem non comedas, ſi poſt cibum nullum ſentias torporem, gravitatem & laſſitudinem corporis, cum antea eſſes multo agilior, ſi poſt cibum etiam aptus ſis actionibus mentis, ſi nulla appareant ſigna repletionis, qualia ſunt v. g. capitis dolor & gravitas, ſomni longiores vel perturbati, in ſomnia turbulenta, ſomnus diurnus, ſegnities totius corporis, appetitus dejectio, cruditates, ructus, alvi ſtipticitas vel profluvium, copia flatuum, deſtillationes frequentes, multa narium emunctio & exſpuitio matutina &c. 3. Ut vitetur varietas ciborum, præſertim inter ſe valdè contrariorum in uno paſtu, quæ eſt fons morborum uberrimus. 4. Ut cæna prandio ſit parcior. 5. Ut caſu aliquo extraordinario, v. g. in convivio lautiori exceſſum faciens, ſequentem paſtum præſcindas, aut unico hauſtu vini diluti vel tantillo cibo abſolvas. 6. Ut vinum diluatur, præſertim meracum. 7. Ut debita fiat corporis exercitatio, & motus moderatus, qui ad ſanitatis conſervationem, excepta ſobrietate, maximè principalis eſt: immo etiam à *Galeno* ciborum parſimoniæ anteponitur. 8. Ut graviora vitentur animi Pathemata, 9. Ut ſomnus ſit moderatus, ac alvus debitè reſpondeat.

III. Diæ-

III.

Diæta ægrorum, de qua potiſſimum hic ſermo, varia eſt, ejuſque diverſitas deſumitur, a *victus forma*, *quantitate*, *qualitate*, *utendi occaſione ſeu opportunitate*, & *exhibendi modo*. *Formam* victus quod attinet, ea deſumitur a modo ſubſtantiæ, eſtque pro varia virium conſervatione triplex apud Medicos. *Craſſa* nimirum, *valens* ſeu *firma*, quæ concedit alimenta firma ſolida, ac multum nutrientia, & proinde vires auget. *Tenuis*, quæ alimenta habet infirma, parum nutrientia, ac proinde vires nonnihil diminutas conſervat. *Mediocris*, quæ inter victum craſſum & tenuem media eſt, ideoque vires conſervat. Victus craſſus convenit corporibus ſanis, robuſtis, ac bene ſe exercentibus; victus tenuis, morbis acutis; mediocris, morbis diuturnis & chronicis. Pro victu tenui, moderno tempore conceduntur Brodia carnis gallin., vel ſola, vel cum ovi luteo permixta, eaque ut plurimum tertia vel ad ſummum quarta hora, alterata etiam vel ſucc. cit. arant. gran. acid. vel herb. endiv. acetoſ. portul. lactuc. &c. Additur ſubinde paucum conſummat. item crem. hord. & ſi morbus minus acutus, panatell. vel pulment. cum ov. vitell. vel carne gallin. parat. bis aut ter in die, ov. ſorbile, contuſum ex canc. vel carnibus volatilium. In morbis longioribus Victus nonnihil plenior convenit, ex carnibus pullorum gallin. vitul. aliiſque cibis exinde paratis. In morbis longis & periculoſis, gravius eſt peccare in victu nimis tenui, quam nimis craſſo: econtra in morbis acutis gravius eſt peccare in nimis craſſo, quam nimis tenui.

IV.

QUoad cibi *quantitatem* in morbis, plenius æger cibari poteſt in morbi principio, dum ut cunque melius ſe habet; propè ſtatum verò, vel in ipſo ſtatu valde tenuiter, quò enim ſtatura magis in morbo expugnando occupata eſt, eò tenuior diæta imperanda, & quo minus, eò plenior; hinc etiam in quolibet victu triplex obſervatur doſis, ſumma nimirum, media & infima. Prima convenit in morbi principio, media in augmento, ac ultima in ſtatu. Interim hoc non perpetuo in omni morbo obſervandum, quia in initiis inflammationum, præſertim partium nobiliorum, durante adhuc ſanguinis ad partem affectam affluxu, utile eſt, tunc minus cibare, ne augeatur fluxio: immo etiam in aliis morbis, ſi cruditas aliqua in ventriculo vel inteſtinis lateat, quod rariſſimè non accidit, præſtat tum parum cibi aſſumere, eamque victus parſimonia abſumere, quod Italis in primis frequens, qui morbi curationem ut plurimum ab inedia incipiunt. Interim gravius delinqueret, qui morbi initio nimis parum, quam nimis multum ederet, quod tamen contrarium eſt in ſtatu morbi.

V.

QUalitatem Victus quod attinet, præſcribitur illa ab affectu, conſuetudine & temperamento. Intelligitur autem hic per qualitatem victus non illa qualitas, quæ victui ineſt, ut alimento ſeu merè cibo, ut eſſe digeſtionis facilis vel difficilis, ſucci boni vel mali, craſſi vel tenuis &c. Sed quæ ineſt ipſi, quatenus ſimul eſt medicamentoſus, calidus nempe, frigidus, humidus, ſiccus, laxans, adſtringens, incidens,

at-

attenuans &c. Prout igitur eſt affectus, ita victum poſtulat contrarium, ut affectus calidus & ſiccus, victum frigidum & humidum &c. Ita tamen, ut conſuetudinis & temperamenti ſimul habeatur ratio.

VI.

Occaſio ſeu *opportunitas* in Victus ratione, deſumitur ex ægri conſuetudine, tempore ſanitatis, ac virium tolerantia. Illo enim tempore debet æger cibari, quo minus a morbo patitur, eaque potiſſimum hora, qua ante morbum cibari conſuevit, niſi morbi vehementia in illa hoc prohibeat, unde a ſola conſuetudine ſumitur idoneum tempus in morbis, qui continentur ſeu ſine typis affligunt. In morbis verò, qui acceſſiones, paroxyſmos vel exacerbationes habent, nunquam cibus exhibendus, cum acceſſiones adſunt, vel proximè futuræ ſunt, ſed cum ceſſant, vel quieverunt, ne natura a pugna, pepaſmo & excretione materiæ avocetur, niſi adſit magna virium jactura, vel acceſſio longior, vel corpus ægrotantis valdè calidum & ſiccum, picrocholum, gracile, ac raræ texturæ, vel humor aeris ventriculum occupet, animi deliquium circa initia paroxyſmorum efficiens, in quibus caſibus in Paroxyſmi initio, vel parum ante illum, aliquid cibi offerri poteſt. In intermittentibus ſubintrantibus, vel ubi ſaltem duæ vel tres horæ inter finem unius & principium alterius Paroxyſmi intercedunt, æger cibandus in fine ſtatus primi Paroxyſmi.

VII.

